




BREVIARIUM TULLENSE

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI
IN CHRISTO PATRIS
D. D. SCIPIONIS HIERONYMI
BEGON,

Dei gratiâ, & auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, Episcopi & Comitis Tullensis, S. R. I. Principis jussu & auctoritate, necnon de venerabilis ejusdem Ecclesiæ Capituli consensu editum.

PARS AUTUMNALIS.

Venit 8. lib. non compactum.



TULLI LEUCORUM,
Sumptibus suis ediderunt Typographi Usuum Tullensium.

M. DCC. XLIX.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

Et vænit Nanceii apud A. LESEURE, *Typographum Regium, sub Signo S. Joannis Evangelistæ.*





SCIPIO HIERONYMUS,

Dei gratiâ, & auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, Episcopus Comes Tullensis, S. R. I. Princeps, &c.

UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ TULLENSIS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.



Na equidem, & quæ neminem præterit, lex est hominibus imposita, ut sacrificio laudis ab omnibus honoretur magnus Dominus & laudabilis nimis, *cujus* est orbis terrarum, & universi qui habitant in eo : *Hinc utique ab omnibus enixè rogandus, qui sit in misericordia* dives in omnes qui invocant illum : *inde exorandus humiliter, qui sedeat* super thronum *judicans* justitiam ; *hinc gratè benedicendus, qui det* omnibus affluenter, *& non improperet : inde* sine intermissione *invocandus, qui operetur* in nobis velle & perficere pro bona voluntate.

Ps. 47. Ps. 23. Rom. 10. Ps. 9. Jacob. 1. 1. Thess. 5. Philip. 2.

Lib. de Eccles. Dogmat. inter Opera S. Augustini, cap. 56.

Quia enim nullum credimus ad salutem, nisi Deo invitante, venire; nullum invitatum salutem suam, nisi Deo auxiliante, operari; nullum, nisi orantem, auxilium promereri; *omnium quotquot sumus, quanti refert adjutorem deprecari Deum ex quo* nostra sufficientia est?

2. Cor. 3.

Verùm illa, quæ ex summo Dei imperio, & ex nostra virium & rerum inopiâ omnibus communis est, multò vobis impensiùs incumbit orandi necessitas; vobis, inquam, Fratres charissimi, qui divinis mancipati specialiùs, & ab anxiis sæculi negotiis liberi, pro Deo ad populum legatione, & pro populo ad Deum mediatione ex instituta vestræ conditionis sorte fungimini. Sacrorum enim administris injunctum quis nesciat, ut, dum aliàs alii avocantur, manus ipsi ad cœlum supplices attollant, modò Numen pugnantibus deprecaturi propitium modò peccatoribus iratum exarmaturi.

Eò quippe Clericis demandatum est precationis publicæ munus, quò vocem & pietatem populo quasi vicariam commodent, verendasque Angelorum vices imitati, incensa multa, quæ sunt orationes

Apoc. 5.

Sanctorum, *ante sedem Agni suppliciter offerant. Permagnum sanè religionis opus; quod quantò præstantius, tantò ab Ecclesia fuit ordinandum accuratiùs; ut sacrificium illud laudis odorem coram Deo suavissimum exhalaret.*

Hinc, quia rudioribus sæculis in Libros Officii Ecclesiastici nonnulla irrepserant non satis exactè digesta, quæ divinorum parum saperent Canticorum majestatem; sacrosancta Synodus Tridentina ex iis omninò voluit expunctum quidquid divini cultûs decori minùs congruum videretur, aut dignitati. Quod cùm in multis olim tentatum legimus, tum in iis vidimus perfectum Breviariis, quæ non minori laude quàm diligentiâ nuper edidere plures Galliarum Episcopi.

Quorum perutilem laborem æmulati, cùm nulla vel pauca superessent veteris Breviarii Tullensis exemplaria, novum ordinari & excudi curavimus, quod ad incorruptas fidei morumque regulas exactum, meliori ordine digestum, diligentiori examine probatum, recitantium pietatem verbi divini pabulo aleret, veritate firmaret, exemplis accenderet; illa-

quæ Sacerdotibus offerret subsidia, quibus populos sibi commissos scientiâ salutis possent instruere faciliùs. Tantâ porrò sedulitate, eoque conatu opus elaboratum est, ut jam in lucem prodeat, vestris omnium votis excipiendum illud curæ Pastoralis nostræ munus; cujus formam & texturam, licèt in Officiorum decursu fusiùs explicatam, in ipso tamen operis limine breviter delineare abs re non fuerit.

Ac primò quidem, omnes singulis annis Scripturæ sacræ Libros legi, & integrum singulis hebdomadis providimus recitari Psalterium, eo digestum ordine, quo, distributis ad Horas breves, & juxta antiquissimum Concilii Narbonensis Canonem divisis in plures Doxologias longioribus Psalmis, simul & nimiæ Officiorum inæqualitati, & prolixioris Psalmodiæ gravamini præcaveretur. Conc. Narbonens. Can. 2.

Quoniam autem amica, ut ait sanctus Cyprianus, & familiaris oratio est Deum de suo rogare; Invitatoria, Antiphonas, Versiculos, Capitula & Responsoria ex sacris Codicibus desumpta volumus; & ista quidem ex gemino tum veteris, tum novi Testamenti textu conflata, ut collatis cum veritate figuris, cum eventu promissis, mirus utriusque concentus cuique mox obvius occurreret: quod eo frequenter successu peractum est, ut Scripturæ veteris Testamenti in primis Vesperis & in Officio Nocturno prælectæ, quasi nocti aurora in Laudibus, & quasi tenebris lux in cæteris Horis aptatus accederet novi Testamenti textus. Cypr. Lib. de Orat. Dom. post init.

Licèt firma asserendis Dogmatibus Catholicis argumenta, & frequentes moribus componendis adhortationes in hocce Breviario nostro disponere studuerimus; ne tamen, qui ex instituto ad precationem publicam comparatus est Liber, is in controversiarum vel adhortationum lectionem plus æquò desineret, & imprudenter subtraheretur cordi quod totum vel nimium menti tribueretur; in eo maximè insudavimus, ut precationis formam & sensum exprimerent textus sacri ad Antiphonas, Responsoria & Versiculos assumpti; quibus avocatus fortè, quasi interjectis precibus ad Deum revocatus, alacriùs assurgeret recitantium animus, & illis, quasi sparsis hinc inde scintillis, tepescens aliquando pietatis ignis exardesceret.

Cùm multi essent Hymni, vel inelegant stylo, vel etiam deficiente metro compositi, subtractis quibusdam, aliisque emendatis, plures alios suffecimus, quorum sit modulatio facilior, stylus ad metri regulas exactior, sensus ad pietatem aptior.

Lectiones è Patrum Sermonibus & Homiliis excerpta, cavimus ut cum delectu fierent, ex genuinis eorum operibus, & ad optimarum editionum fidem diligenter recognita, Mysteriis vel Festis cujusque diei congrua, & (quod nobis quasi proprium) pro multiplicitate Festorum sic multiplices & varia; ut & pascendæ Ministrorum doctrinæ, & instruendis in Lege Christiana populis bene consultum videatur.

Acta Sanctorum, nonnisi ex coætaneis, supparibus, aut saltem melioris notæ auctoribus, ad puriores Historiæ fontes exacta, severiori castigavimus examine: cùm melius sit, teste sancto Augustino, quodcumque verum, quàm quidquid pro arbitrio fingi potest; nec umquam, ut inquit Innocentius III, sub nomine pietatis tolerari debeat falsitas.

Aug. de vera Relig. cap. 108. Innoc. lib. 3. Epist. 10.

Unum singulis anni diebus Canonem ad absolutionem Capituli legendum apposuimus; quod & antiqua Ecclesiæ disciplina instituit, & recens plurium Diœceseon firmavit exemplum; sicque provisum est, ut Clerici omnes perutili disciplinæ Ecclesiasticæ notitiâ faciliùs imbuti, ad illius normam diligentiùs mores componere studerent. Hos verò Canones, quò majoris essent apud vos momenti, ex Conciliis generalibus, quorum veneranda est ubique terrarum auctoritas, aut ex antiquis Provinciæ Trevirensis & Diœcesis nostræ Synodis, quarum Decreta nosse nos, & præ cæteris observare decet, ut plurimùm decerpere curavimus.

Cœlest. 1. Epist. 3. cap. 1. Capitul. Aquisgr. cap. 55.

Restituta est sua diei Dominicæ prærogativa, ut nempe ad Duplicium gradum evecta, Festa quælibet excluderet, nisi quæ à populo ex toto vel ex parte feriarentur, aut primam secundamve in Ecclesia nostra celebritatis Classem obtinerent.

Edocti antiquitate regulari (ut cum Patribus Toletanis loquamur) sacrisque Conciliis Laodiceno, Bracarensi & aliis, Quadragesimam, utpote luctuosis pœnitentiæ laboribus sacram, nonnisi ægrè Martyrum admittere solemnia; occurrentes per illud

Tolet. 10. c. 1. Laod. c. 51. Brac. c. 48.

tempus Sanctorum Festivitates ad aliud magis opportunum transtulimus: exceptis tamen Festis S. Joseph & Virginis Annuntiatæ, quibus propter solemnitatem suus religiosè locus servatus est.

Denique, cùm illa quæ certo ordine concinnata sunt, faciliùs subeant animos, & memoriæ tenaciùs inhæreant; suum cuique Psalmo in Psalterio, cuique diei in hebdomada, cuique Officio in Mysteriorum, vel Sanctorum solemnitatibus, imò & cuique Officiorum parti scopum assignavimus brevi & simplici argumento explicatum, quo menti sese primo prospectu offerret nova nobisque propria hujusce Breviarii methodus, eo imprimis ordinata consilio, ut studiosâ Versiculorum cum Antiphonis, Antiphonarum cum Capitulis, Capitulorum cum Responsoriis brevibus relatione cautum sit, ne in incertum erraret, aut ad aliena raperetur recitantium attentio.

Quocirca, ut uno à nobis ore, uno ab omnibus precationis ritu glorificetur Deus, de venerabilium Fratrum Ecclesiæ nostræ Canonicorum consilio; omnibus Diœcesis nostræ Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Ordinibus, Communitatibus, in quibus Breviarium Tullense ex more vel lege recitatur; necnon omnibus singulisque Clericis qui ad illud ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Professionis quocumque modo tenentur, mandamus & præcipimus, ut hocce Breviario nostro à nobis, ut sequitur, ordinato utantur in posterum; neque aliud, sive publicè in Choro, sive privatim extra Chorum recitare præsumant.

Unum superest (quod nostri maximè est muneris) adhortari vos, Fratres charissimi, ut toto erecti animo, has preces vobis quotidianas eo recitetis pietatis sensu, quem & quantum sanctissimi illius ministerii magnitudo postulat. Ecclesiasticâ quidem lege sancitum est, ut quos in præcipuam hæreditatis suæ partem Deus elegisset, ii statis temporibus atque Horis, quas Canonicas vocant, preces & laudes Domino persolverent. Verùm, qui præcepti hujus litteram sequimini, spiritum assequi satagite. Psallite Deo nostro, psallite; *sed memores quòd* Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. Ps. 46. *Concordet ori mens, & dum alternat pro tempore sonus vocum,*

perpetua sit vox interiorum. Quantùm miseri qui Deum invocando provocant, tantùm felices vos, si injunctum precationis officium eâ præstetis corporis modestiâ, eâ mentis attentione, eâ cordis pietate, quâ sitis Ecclesiæ ad splendorem, Religioni ad præsidium, Fidelibus ad exemplum, Angelis ad spectaculum, orbi universo ad auxilium.

2. Cor. 7. Rom. 15. *Et quoniam* in cordibus nostris estis ad commoriendum & ad convivendum; obsecro vos, Fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum, & per charitatem sancti Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.

DATUM Tulli Leucorum, in Palatio nostro Episcopali, die quartâ mensis Julii anno millesimo septingentesimo quadragesimo octavo.

✠ *SCIPIO HIERONYMUS,*
Episcopus Comes Tullensis.

De Mandato illustrissimi & Reverendissimi D. D. mei Episcopi Comitis Tullensis.
THIEBAUT.

TABULA TEMPORARIA



Anni Domini	Aureus Numerus	Epacta	Indictio	Littera Dominical.	Dom. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum.
1748	I	xxx	11	g f	5	11 Feb.	28 Feb.
1749	2	xj	12	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1750	3	xxij	13	d	2	25 Jan.	11 Feb.
1751	4	iij	14	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1752	5	xiv	15	b A	3	30 Jan.	16 Feb.
1753	6	xxv	1	g	6	18 Feb.	7 Mart.
1754	7	vj	2	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1755	8	xvij	3	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1756	9	xxviij	4	d c	5	15 Feb.	3 Mart.
1757	10	ix	5	b	5	6 Feb.	23 Feb.
1758	11	xx	6	A	4	22 Jan.	8 Feb.
1759	12	j	7	g	2	11 Feb.	28 Feb.
1760	13	xij	8	f e	3	3 Feb.	20 Feb.
1761	14	xxiij	9	d	2	18 Jan.	4 Feb.
1762	15	iiij	10	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1763	16	xv	11	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Feb.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3	3 Feb.	20 Feb.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1767	I	xxx	15	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.	17 Feb.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Feb.
1770	4	iij	3	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Feb.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Feb.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Feb.	21 Feb.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1778	12	j	11	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.	17 Feb.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.	9 Feb.
1781	15	iiij	14	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1783	17	xxvj	1	e	5	16 Feb.	5 Mart.

FESTORUM MOBILIUM.



Anni Domini.	Paschæ Annuale.	Ascensio Domini, Sol. Maj.	Pentecostes. Annuale.	Festum Cor. Chr. Sol. Maj.	Dom. post Pent.	Dom. 1. Adventus.
1748	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1749	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1750	29 Mart.	7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29 Nov.
1751	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1752	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec.
1753	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1754	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1756	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov.
1757	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov.
1758	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1759	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Nov.
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1763	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov.




SCIPIO HIERONYMUS,

Dei gratiâ, & auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, Episcopus Comes Tullensis, S. R. I. Princeps, &c.

UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIOECESIS NOSTRÆ TULLENSIS.

SALUTEM ET BENEDICTIONEM IN CHRISTO JESU.



Na equidem, & quæ neminem præterit, lex est hominibus imposita, ut sacrificio laudis ab omnibus honoretur magnus Dominus & laudabilis nimis, *cujus* est orbis terrarum, & universi qui habitant in eo : *Hinc utique ab omnibus enixè rogandus, qui sit in misericordiâ* dives in omnes qui invocant illum : *inde exorandus humiliter, qui sedeat* super thronum *judicans* justitiam ; *hinc gratè benedicendus, qui det* omnibus affluenter, *& non improperet* : *inde* sine intermissione *invocandus, qui operetur* in nobis velle *& perficere pro bona voluntate*.

Ps. 47.
Ps. 23.
Rom. 10.
Ps. 9.
Jacob. 1.
1. Thess. 5.
Philip. 2.

FEBRUARIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxix	d	Cal.	1	Ignatii, Episc. Antioch. & Mart. *an.* 107. *Duplex* 4. *Classis.*
xxviij	e	iv	2	PRÆSENTATIO DOMINI, & PURIFICATIO B. MARIÆ V. *Duplex* I. *Classis, Solemne majus.*
xxvij	f	iij	3	Blasii, Episcopi Sebast. & Mart. *c. an.* 316. *Simpl.* *Prima dies Cinerum.*
25 xxvj	g	*Prid.*	4	Isidori, Presbyteri & Pelusiotæ Solitarii, *c. an.* 445. *Simpl.*
xxv. xxiv.	A	*Non.*	5	Agathæ Catanensis, Virginis & Mart. *an.* 251. *Simpl.*
xxiij	b	viij	6	Vedasti, Atrebatensis Episc. *an.* 539. *Semidupl.* *(Si quandoque hoc Festum incidat in Quadragesimam, de eo fiet commemoratio, ut fit de Simplici.)*
xxij	c	vij	7	Romualdi, Abbatis, & Camaldul. Monach. Institut. *an.* 1027. *Simpl.*
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha, Presbyteri, & Ordinis Ss. Trinitatis Institut. *an.* 1213. *Simplex.*
xx	e	v	9	Apolloniæ, Alexandr. Virginis & Martyris, *an.* 249. *Simpl.*
xix	f	iv	10	Scolasticæ, Virginis Cassinensis, *an.* 543. *Simpl.*
xviij	g	iij	11	
xvij	A	*Prid.*	12	
xvj	b	*Idib.*	13	
xv	c	xvj	14	
xiv	d	xv	15	
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis, Hierosolymit. Episc. & Mart. *an.* 107. *Simpl.*
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	Gundelberti, ex Senonensi Episc. Monachi Tullensis, *c. fin.* 7. *s. Simpl.* *Ultima Septuagesima.* *(Feriâ 4. 6. & Sabbato post Dominic. primam Quadragesimæ, fiunt jejunia quatuor Temporum.)*
vij	d	viij	22	
vj	e	vij	23	
*	*	*	*	*Dies intercalaris addendus in anno Bissextili.*
v	f	vj	24	MATTHIÆ APOSTOLI, I. *s. Dup.* 3. *Classis.* *(si Festum sancti Matthiæ venerit in Quadragesima, anticipatur in Feriam secundam post Dominicam Quinquagesimæ.*
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	*Prid.*	28	

(In Anno Bissextili Februarius est dierum 29. & Festum sancti Matthiæ celebratur 25. Februarii (nisi sit tempus Quadragesimæ) & bis dicitur, sexto Calendas, *id est,* 24. & 25. *Littera autem Dominicalis quæ assumpta fuerat mense Januario, mutatur in præcedentem.*

que Sacerdotibus offerret subsidia, quibus populos sibi commissos scientiâ salutis possent instruere faciliùs. Tantâ porrò sedulitate, eoque conatu opus elaboratum est, ut jam in lucem prodeat, vestris omnium votis excipiendum illud curæ Pastoralis nostræ munus; cujus formam & texturam, licèt in Officiorum decursu fusiùs explicatam, in ipso tamen operis limine breviter delineare abs re non fuerit.

Ac primò quidem, omnes singulis annis Scripturæ sacræ Libros legi, & integrum singulis hebdomadis providimus recitari Psalterium, eo digestum ordine, quo, distributis ad Horas breves, & juxta antiquissimum Concilii Narbonensis Canonem divisis in plures Doxologias longioribus Psalmis, simul & nimiæ Officiorum inæqualitati, & prolixioris Psalmodiæ gravaminis præcaveretur. Conc. Narbonens. Can. 2.

Quoniam autem amica, *ut ait sanctus Cyprianus*, & familiaris oratio est Deum de suo rogare; *Invitatoria, Antiphonas, Versiculos, Capitula & Responsoria ex sacris Codicibus desumpta voluimus; & ista quidem ex gemino tum veteris, tum novi Testamenti textu conflata, ut collatis cum veritate figuris, cum eventu promissis, mirus utriusque concentus cuique mox obvius occurreret: quod eo frequenter successu peractum est, ut Scripturæ veteris Testamenti in primis Vesperis & in Officio Nocturno prælectæ, quasi nocti aurora in Laudibus, & quasi tenebris lux in cæteris Horis aptatus accederet novi Testamenti textus.* Cypr. Lib. de Orat. Dom. post init.

Licèt firma asserendis Dogmatibus Catholicis argumenta, & frequentes moribus componendis adhortationes in hocce Breviario nostro disponere studuerimus; ne tamen, qui ex instituto ad precationem publicam comparatus est Liber, is in controversiarum vel adhortationum lectionem plus æquò desineret, & imprudenter subtraheretur cordi quod totum vel nimium menti tribueretur; in eo maximè insudavimus, ut precationis formam & sensum exprimerent textus sacri ad Antiphonas, Responsoria & Versiculos assumpti; quibus avocatus fortè, quasi interjectis precibus ad Deum revocatus, alacrius assurgeret recitantium animus, & illis, quasi sparsis hinc inde scintillis, tepescens aliquando pietatis ignis exardesceret.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies mens.	
				
				# APRILIS.
xxix	g	Cal.	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula, Ordinis Minimorum Instit. an. 1507. Simpl.
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Isidori, Hispalensis Episc. an. 636. Simplex. (de sancto Ambrosio fit die 7. Decembris, qua Ordinationis ejus dies est.)
xxv. xxiv	d	Non.	5	*Ultimum Novilunium Paschale.*
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	(*de s. Leone I. Papa fit die 30. Octobris.*)
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Justini, Romæ Mart. 167. Simpl. comm. s. Hermenegildi, in Hispania Mart. an. 585.
xv	f	xviij	14	
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti, Papæ, c. an. 168. Simpl.
xj	c	xiv	18	Apollonii, Senatoris Romani, Mart. c. an. 186. Simplex.
x	d	xiij	19	Leonis IX. Episc. Tullensis & Papæ, an. 1054. Duplex 3. Classis.
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi, Cantuariensis Episcopi, an. 1109. Simplex.
vij	g	x	22	
vj	A	ix	23	Gerardi, Episcopi Tullensis, an. 994. Duplex I. Clas. Solemne minus.
v	b	viij	24	Georgii, Martyris in Oriente, 3. vel 4. sæculi, Simpl.
iv	c	vij	25	MARCI, EVANGELISTÆ, 1. s. Dupl. 3. Classis. *Ultimum Pascha.*
iij	d	vj	26	Cleti, Papæ & Mart. c. an. 91. Simpl.
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Mariæ Ægyptiæ, Pœnitentis, circa annum 421. Semiduplex.
xxx	g	iij	29	Petri, Ordinis Dominicanorum, Mart. an. 1252. Simplex.
xxix	A	Prid.	30	Catharinæ Senensis, Virginis, an. 1380. Simpl.
				(*Feriâ sextâ post Dominicam ab Albis depositis, fit Festum sancti Clavi, Duplex primæ Classis. Solemne majus.*)

tempus Sanctorum Festivitates ad aliud magis opportunum transtulimus : exceptis tamen Festis S. Joseph & Virginis Annuntiatæ, quibus propter solemnitatem suus religiosè locus servatus est.

Denique, cùm illa quæ certo ordine concinnata sunt, faciliùs subeant animos, & memoriæ tenaciùs inhæreant; suum cuique Psalmo in Psalterio, cuique diei in hebdomada, cuique Officio in Mysteriorum, vel Sanctorum solemnitatibus, imò & cuique Officiorum parti scopum assignavimus brevi & simplici argumento explicatum, quo menti sese primo prospectu offerret nova nobisque propria hujusce Breviarii methodus, eo imprimis ordinata consilio, ut studiosâ Versiculorum cum Antiphonis, Antiphonarum cum Capitulis, Capitulorum cum Responsoriis brevibus relatione cautum sit, ne in incertum erraret, aut ad aliena raperetur recitantium attentio.

Quocirca, ut uno à nobis ore, uno ab omnibus precationis ritu glorificetur Deus, de venerabilium Fratrum Ecclesiæ nostræ Canonicorum consilio; omnibus Diœcesis nostræ Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Ordinibus, Communitatibus, in quibus Breviarium Tullense ex more vel lege recitatur; necnon omnibus singulisque Clericis qui ad illud ratione Ordinis, vel Beneficii, vel Professionis quocumque modo tenentur, mandamus & præcipimus, ut hocce Breviario nostro à nobis, ut sequitur, ordinato utantur in posterum; neque aliud, sive publicè in Choro, sive privatim extra Chorum recitare præsumant.

Unum superest (quod nostri maximè est muneris) adhortari vos, Fratres charissimi, ut toto erecti animo, has preces vobis quotidianas eo recitetis pietatis sensu, quem & quantum sanctissimi illius ministerii magnitudo postulat. Ecclesiasticâ quidem lege sancitum est, ut quos in præcipuam hæreditatis suæ partem Deus elegisset, ii statis temporibus atque Horis, quas Canonicas vocant, preces & laudes Domino persolverent. Verùm, qui præcepti hujus litteram sequimini, spiritum assequi satagite. Psallite Ps. 46.
Deo nostro, psallite; *sed memores quòd* Rex omnis terræ Deus, psallite *sapienter. Concordet ori mens, & dum alternat pro tempore sonus vocum,*

JUNIUS.


Cyclus Epactar.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxvij	c	Cal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Pothini, Lugdunensis Episcopi, & Sociorum Martyrum, *an.* 177. *Semid. comm.* Ss. Marcellini, Presbyt. & Petri Exorcistæ, Romæ Mart. *an.* 304.
xxv. xxiv	g	iij	3	Clotildis, Francorum Reginæ, Viduæ, *c. an.* 540. *Semid.*
xxiiij	A	Prid.	4	
xxii	b	Non.	5	Bonifacii, Moguntini Ep. & Mart. *an.* 755. *Simpl.*
xxj	c	viij	6	Norberti, Magdeburgensis Episcopi, Ordinis Præmonst. Instit. *an.* 1134. *Duplex* 4. *Clas. com.* s. Claudii, Vesuntini Episcopi, *an.* 581.
xx	d	vii	7	
xix	e	vj	8	Medardi, Noviomensis Episc. *c. an.* 545. *Semidup.*
xviij	f	v	9	
xvij	g	iv	10	
xvj	A	iij	11	Barnabæ, Gentium Apostoli, 1. *f. Dupl.* 3. *Clas.*
xv	b	Prid	12	
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua, Ordinis Minorum, *an.* 1231. *Simplex.* *Ultima Pentecoste.*
xiij	d	xviij	14	Translatio s. Mansueti, Tullensis Apost. & primi Episcopi. *Dupl.* 2. *Clas.*
xij	e	xvij	15	Basilii Magni, Cæsariensis in Cappadocia Episc. & Eccl. Doct. *an.* 379. *Duplex* 4. *Clas.*
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	
viij	b	xiij	19	Deodati, ex Nivernensi Episcopo, Monachi Tul. *c. an.* 715. *Dupl.* 2. *Clas. in Ecclesia Cathedr. alibi Dupl.* 4. *Clas. comm.* Ss. Gervasii & Protasii, Mediolan. Mart. 1. *vel* 2. *f.*
vij	c	xij	20	
vj	d	xj	21	Eusebii, Ep. Samosatensis & Mart. *an.* 389. *Simp.*
v	e	x	22	Paulini, Nolani Episc. *an.* 431. *Simpl.*
iv	f	ix	23	Jacob, Episcopi Tullensis, *c. an.* 770. *Semiduplex. comm.* Vigiliæ, *cum jejunio.*
iij	g	viij	24	NATIVITAS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ, *Duplex* 1. *Clas. Solemne minus.*
ij	A	vij	25	De Octava Nativitatis s. Joannis. *Simpl.*
j	b	vj	26	De Octava ... *comm.* Ss. Joannis & Pauli, Romæ Mart. *c. an.* 362.
xxx	c	v	27	De Octava ... *Simplex.*
xxix	d	iv	28	Irenæi, Lugdunensis Episcopi, & sociorum ejus Mart. *c. an.* 202. *Semidupl. comm.* Octavæ s. Joannis, & Vigiliæ, *cum jejunio.*
xxviij	e	iij	29	PETRI ET PAULI, APOSTOLORUM, 1. *f. Dupl.* 1. *Clas. Solemne minus.*
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio s. Pauli, Apostoli. *Dupl.* 3. *Cl. comm.* s. Petri & Octavæ s. Joannis Baptistæ.

(*Feria* 5. *post Festum Ss. Trinitatis, celebratur Festum Corporis Christi. Dupl.* 1. *Clas. Sol. majus.*)

TABULA TEMPORARIA

Anni Domini.	Aureus Num.	Epacta	Indictio.	Littera Dominical.	Dom. post Epiph.	Septuagesima.	Dies Cinerum.
1748	1	xxx	11	g f	5	11 Feb.	28 Feb.
1749	2	xj	12	e	3	2 Feb.	19 Feb.
1750	3	xxij	13	d	2	25 Jan.	11 Feb.
1751	4	iij	14	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1752	5	xiv	15	b A	3	30 Jan.	16 Feb.
1753	6	xxv	1	g	6	18 Feb.	7 Mart.
1754	7	vj	2	f	4	10 Feb.	27 Feb.
1755	8	xvij	3	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1756	9	xxviij	4	d c	5	15 Feb.	3 Mart.
1757	10	ix	5	b	5	6 Feb.	23 Feb.
1758	11	xx	6	A	4	22 Jan.	8 Feb.
1759	12	j	7	g	2	11 Feb.	28 Feb.
1760	13	xij	8	f e	3	3 Feb.	20 Feb.
1761	14	xxiij	9	d	2	18 Jan.	4 Feb.
1762	15	iiij	10	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1763	16	xv	11	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1764	17	xxvj	12	A g	6	19 Feb.	7 Mart.
1765	18	vij	13	f	3	3 Feb.	20 Feb.
1766	19	xviij	14	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1767	1	xxx	15	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1768	2	xj	1	c b	3	31 Jan.	17 Feb.
1769	3	xxij	2	A	2	22 Jan.	8 Feb.
1770	4	iij	3	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1771	5	xiv	4	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1772	6	xxv	5	e d	5	16 Feb.	4 Mart.
1773	7	vj	6	c	4	7 Feb.	24 Feb.
1774	8	xvij	7	b	3	30 Jan.	16 Feb.
1775	9	xxviij	8	A	5	12 Feb.	1 Mart.
1776	10	ix	9	g f	4	4 Feb.	21 Feb.
1777	11	xx	10	e	2	26 Jan.	12 Feb.
1778	12	j	11	d	5	15 Feb.	4 Mart.
1779	13	xij	12	c	3	31 Jan.	17 Feb.
1780	14	xxiij	13	b A	2	23 Jan.	9 Feb.
1781	15	iiij	14	g	5	11 Feb.	28 Feb.
1782	16	xv	15	f	2	27 Jan.	13 Feb.
1783	17	xxvj	1	e	5	16 Feb.	5 Mart.

FESTORUM MOBILIUM.



Anni Domini.	*Pascha* Annuale.	*Ascensio Domini,* Sol. Maj.	*Pentecostes.* Annuale.	*Festum Cor. Chr.* Sol. Maj.	*Dom. post Pent.*	*Dom. I. Adventûs.*
1748	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1749	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1750	29 Mart.	7 Maii.	17 Maii.	28 Maii.	27	29 Nov.
1751	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1752	2 April.	11 Maii.	21 Maii.	1 Junii.	27	3 Dec.
1753	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1754	14 April.	23 Maii.	2 Junii.	13 Junii.	25	1 Dec.
1755	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1756	18 April.	27 Maii.	6 Junii.	17 Junii.	24	28 Nov.
1757	10 April.	19 Maii.	29 Maii.	9 Junii.	25	27 Nov.
1758	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1759	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1760	6 April.	15 Maii.	25 Maii.	5 Junii.	26	30 Nov.
1761	22 Mart.	30 April.	10 Maii.	21 Maii.	28	29 Nov.
1762	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1763	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1764	22 April.	31 Maii.	10 Junii.	21 Junii.	24	2 Dec.
1765	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1766	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1767	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1768	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1769	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1770	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1771	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1772	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1773	11 April.	20 Maii.	30 Maii.	10 Junii.	25	28 Nov.
1774	3 April.	12 Maii.	22 Maii.	2 Junii.	26	27 Nov.
1775	16 April.	25 Maii.	4 Junii.	15 Junii.	25	3 Dec.
1776	7 April.	16 Maii.	26 Maii.	6 Junii.	26	1 Dec.
1777	30 Mart.	8 Maii.	18 Maii.	29 Maii.	27	30 Nov.
1778	19 April.	28 Maii.	7 Junii.	18 Junii.	24	29 Nov.
1779	4 April.	13 Maii.	23 Maii.	3 Junii.	26	28 Nov.
1780	26 Mart.	4 Maii.	14 Maii.	25 Maii.	28	3 Dec.
1781	15 April.	24 Maii.	3 Junii.	14 Junii.	25	2 Dec.
1782	31 Mart.	9 Maii.	19 Maii.	30 Maii.	27	1 Dec.
1783	20 April.	29 Maii.	8 Junii.	19 Junii.	24	30 Nov.

In sequent. Calendario appositum est tempus quo quisque Sanctus obiit : an. significat anno : c. an. circ. an. circa annum : *s.* sæculo : *quibus nihil apponitur , tempus eorum mortis planè incertum.*

Festa quæ majoribus notantur Caracteribus , feriantur apud populum.

JANUARIUS.

Cyclus paschæ.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxx	A	Cal.	1	**CIRCUMCISIO DOMINI,** *Duplex 1. Classis. Solemne minus.*
xxix.	b	iv	2	Octava s. Stephani , *Dupl. 3. Clas. com.* s. Fulgentii , Ruspens. Ep. & Conf. Christi , *anno* 533.
xxviij.	c	iij	3	Octava s. Joannis Evangelistæ , *Semidupl. comm.* s. Genovefæ , Virginis , *an.* 512.
xxvij.	d	Prid.	4	Octava Ss. Innocentium , *Semidupl. commemor.* s. Titi , Cretensis Episcopi. 1. *s.*
xxvj.	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ , *sine jejunio. Simplex.*
25. xxv.	f	vj	6	**EPIPHANIA DOMINI,** *Duplex primæ Clas. Solemne-majus.*
xxiv	g	vij	7	
xxiij	A	vj	8	
xxij	b	v	9	
xxj	c	iv	10	De Octava. *Semiduplex.*
xx	d	iij	11	
xix	e	Prid.	12	
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ , & Baptismus Domini , *Duplex 2. Clas.*
xvij	g	xix	14	Hilarii , Pictav. Episc. & Eccl. Doc. *Dupl. 3. Clas. c. an.* 368. *comm.* s. Felicis , Presb. Nol. & Confessoris Christi. *an.* 265.
xvj	A	xviij	15	Pauli , primi Erem. Theb. *Semid. c. an.* 341. *com.* s. Mauri , Glannofol. Abatis , *c. fin. 6. s.*
xv	b	xvij	16	Marcelli , Papæ & Conf. Christi , *an.* 310. *Simp.*
xiv	c	xv	17	Antonii , Abbatis Ægyptii , *an.* 356 *Semiduplex.*
xiij	d	xv	18	Cathedra s. Petri Apostoli , qua primùm Antiochiæ , tum Romæ sedit. 1. *s. Duplex 4. Classis.* *Prima Septuagesima.*
xij	e	xiv	19	Simeonis Stylitæ, Anachoretæ prope Antiochiam, *c. an.* 460. *Simpl.*
xj	f	xiij	20	Fabiani * & Sebastiani , ** Romæ Martyrum , * *an.* 250. ** *c. an.* 288. *Duplex 2. Clas.*
x	g	xij	21	Agnetis , Romæ , V. & M. *c. an.* 304. *Dup. 4. Clas.*
ix	A	xj	22	Vincentii , Diaconi & Mart. Valentiæ in Hispania, *an.* 304. *Duplex 4. Classis.*
viij	b	x	23	Babylæ , Antiochensis Episcopi , & sociorum ejus Mart. *an.* 251. *Simplex.*
vij	c	ix	24	Timothei , Ephes. Ep. & Mart. *c. an.* 97. *Semid.*
vj	d	viij	25	Conversio s. Pauli , Ap. *c. an.* 34. *Dupl. 3. Classis com.* s. Præjecti , Ep. Claromont. & M. *an.* 673.
v	e	vij	26	Polycarpi , Ep. Smyrn. & Mart. *c. med. 2. s. Semidupl. comm.* s. Paulæ, Viduæ Romanæ, *an.* 404.
iv	f	vj	27	Joannis Chrysostomi Episc. Constantinop. & Eccl. Doct. *an.* 407. *Dupl. 4. Classis.*
iij	g	v	28	Cyrilli , *Ep. Alex. & Eccl.* Doct. *an.* 444. *Semid.*
ij	A	iv	29	*Francisci Salesii , Ep.* Genev , *an.* 1622. *Semid.*
j	b	iij	30	*Bathildis Reginæ Franc. Vid. c. an.* 680. *Semidupl.*
xxx	c	Prid.	31	*Petri Nolasci* , Ordinis B. M. de Mercede Redempt. Captiv. Institutor. *an.* 1256. *Simpl.*

AUGUSTUS.

Cyclus Epacta.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxv. xxiv	c	*Cal.*	1	Petri ad vincula, *an.* 44. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* Septem fratrum Machabæorum, Mart. *c. an.* 167. *ante Christum natum.*
xxiij	d	iv	2	Stephani, Papæ & Mart. *an.* 257. *Simpl.*
xxij	e	iij	3	REVELATIO, *seu* INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI, PROTOMART. *an.* 415. *Dupl.* 1. *Clas. Solemne majus.*
xxj	f	*Prid.*	4	Dominici, Presb. Ordinis Prædic. Instit. *an.* 1221. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* Octavæ s. Stephani.
xx	g	*Non.*	5	De Octava s. Stephani... *Semidupl.*
xix	A	viij	6	Transfiguratio Domini, *an.* 32. *Dupl.* 2. *Classis. comm.* Octavæ s. Stephani, & Xisti, Papæ & Mart. *an.* 258.
xviij	b	vij	7	De Octava S. Stephani... *Semidupl.*
xvij	c	vj	8	De Octava. *Semidupl.*
xvj	d	v	9	De Octava, *comm.* Vigiliæ (*cum jejunio*) & s. Romani, Romæ Mart. *an.* 258.
xv	e	iv	10	LAURENTII, ROMANI DIACONI ET MART. *an.* 258. *Dup.* 3. *Clas. comm.* Octav. s. Stephani.
xiv	f	iij	11	
xiij	g	*Prid.*	12	Claræ Assisii in Umbria, Virginis *an.* 1253. *Simpl.*
xij	A	*Idib.*	13	Hyppolyti, Romani Presbyteri & Mart. *an.* 252. *Simpl. comm.* s. Radegundis, Reginæ Francorum, Viduæ, *an.* 587.
xj	b	xix	14	Vigilia... *cum jejunio.*
x	c	xviij	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, 1. *sæc.* *Dupl.* 1. *Clas. Solemne majus.*
ix	d	xvij	16	Rochi, Laici apud Montem Pessulanum, *an.* 1327. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* Octavæ B. M. V.
viij	e	xvj	17	De Octava Assumpt. B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Mamantis, Cæsareæ in Cappad. M. *c. an.* 274.
vij	f	xv	18	De Octava Assumpt. *Semid.*
vj	g	xiv	19	De Octava Assumpt. *Semid.*
v	A	xiij	20	Bernardi, Clarevallensis Abbatis, & Eccl. Doct. *an.* 1153. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* Octavæ Assumpt. & s. Stephani, Hungariæ Regis, *an.* 1038.
iv	b	xij	21	De Octava Assumpt. *Semid.*
iij	c	xj	22	Octava Assumpt. B. M. V. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* ss Symphoriani, Augustoduni Mart. *c. an.* 179.
ij	d	x	23	Vigilia... *cum jejunio.*
j	e	ix	24	BARTHOLOMÆI, APOSTOLI, 1. *sæc.* *Dupl.* 3. *Clas. comm.* s. Audoeni, Ep. Rotomag. 683.
[illegible]	f	viij	25	LUDOVICI, REGIS FRANCIÆ, *an.* 1270. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* duorum Ss. Genesiorum & Mart. unius Romani, *c. an.* 285. alterius Arelatensis, *c. an.* 308.
xxix	g	vij	26	
xxviij	A	vj	27	Cæsarii, Episc. Arelatens. & Eccl. Doct. *an.* 542. *Dupl.* 4. *Clas.*
xxvij	b	v	28	Augustini, Hippon. Episc. & Eccl. Doct. *an.* 430. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* s. Juliani, Brivatensis Mart. Rom. 2. *s.*
xxvj	c	iv	29	Decollatio s. Joannis-Baptistæ, *an.* 32. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* s. Sabinæ, Viduæ, Mart. Rom. 2. *s.*
25. xxv.	d	iij	30	Fiacrii, Brigensis Solitarii, *an.* 670. *Simpl.*
xxiv	e	*Prid.*	31	Gauzelini, Episc. Tullensis, *sæc.* *an.* 962. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* s. Paulini, Trevirensis Episc. *an.* 358.



MARTIUS.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxix	d	Cal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	Casimiri è Polonia, Laici, an. 1484. *Simpl.*
xxvj	A	iij	5	
25. xxv.	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Perpetuæ, Felicitatis, & Sociorum Martyrum c. an. 204. *Simpl.*
				(de s. Thoma Aquinate fit die 18. Julii, quæ Canonizationis ejus dies est.)
xxiij	d	viij	8	*Primum Novilunium Paschale.*
xxij	e	vij	9	Franciscæ, Viduæ Romanæ, an. 1440. *Simplex.*
xxj	f	vj	10	Quadraginta Militum Sebast. an. 320. *Simplex*
				Ultima dies Cinerum.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	*(de sancto Gregorio Papa & Eccl. Doct. fit die 3. Septembris.)*
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	*Commemoratio* s. Patricii, Hibernorum Apostoli, *an.* 460.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	JOSEPH, SPONSI B. MARIÆ VIRGINIS, *Duplex prima Classis. Solemne minus.* *(De s. Joachim fit die 26. Julii.*
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	*(de s. Benedicto fit die 11. Julii, quæ Translationis ejus dies est.)*
ix	d	xj	22	*Primum Pascha.*
viij	e	x	23	*(De s. Gabriele fit die 29. Septembris, in Festo Ss. Archangelorum.*
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	ANNUNTIATIO B. M. V. & INCARNATIO DOMINI, *Duplex 1. Clas. Solemne majus.*
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
j	d	iv	29	
j	e	iij	30	
[illegible]	f	Prid.	31	

(Feriâ sextâ post Dominicam Passionis, fit Officium de Compassione Beatæ Mariæ Virginis, Duplex 3. Classis.

OCTOBER.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxij	A	Cal.	1	Remigii, Remensis Episc. *an.* 533. *Dupl.* 4. *Clas.* *Transl. ejus hac die, ante an.* 585. *&* *an.* 852.
xxj	b	vj	2	Leodegarii, Augustodun. Episc. & Mart. *an.* 678. *Simpl.*
xx	c	v	3	Dedicatio E clesiæ Cathedralis Tullensis, 10. *ſ.* *In Cathed. Dupl.* 1. *Clas. Solemne-majus : alibi Dupl.* 3. *Clas.*
xix	d	iv	4	Francisci Assisinatis in Umbria, Ordinis Min. Institut. *an.* 1226. *Dupl.* 4. *Clas. in Cathed. comm.* Octavæ Dedicationis.
xviij	e	iij	5	Dionysii Areopagitæ, primi Athenarum Episc. & Mart. *c. an.* 95. *Simpl. In Cathed. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semid. comm.* S. Dionysii.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis, Monachi, Ordinis Carthusian. Institut. *an.* 1101. *Dupl.* 4. *Clas. In Cathedr. comm.* de Octava Dedicat.
xvj	g	Non.	7	Sergii & Bacchi, in Euphratesia Mart. *c. an.* 303. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. commem.* Ss. Sergii & Bacchi.
xv	A	viij	8	Libariæ, Virginis Tullensis & Mart. *c. an.* 362. *Simpl. In Cathedr. fit Officium* de Octav. Dedicat. *Semidupl. comm.* s. Libariæ.
xiv	b	vij	9	Dionysii, primi Parisiorum Episc. & Sociorum Mart. 3. *ſ. Dupl.* 4. *Clas. In Cathedr. comm.* Octav. Dedicat.
xiij	c	vj	10	Tarachi, Probi, Andronici, in Cilicia Mart. *c. an.* 304. *Simpl. In Cat.* Officium Octavæ Dedic. *Dupl.* 4. *Cl. comm.* Ss. Tarachi, &c.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	Angelorum Custodum . . *Dupl.* 3. *Clas.*
x	f	iij	13	
ix	g	Prid.	14	Fausti, Januarii & Martialis, Cordubæ Mart. *Sim. comm.* s. Callisti, Papæ & Mart. *an.* 233.
viij	A	Idib.	15	Theresiæ Abulens. Virginis, Instauratricis Ord. Carmelit. *an.* 1582. *Semidupl.*
vij	b	xvij	16	Eliphii, Tullensis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
vj	c	xvj	17	
v	d	xv	18	LUCÆ, EVANGELISTÆ, 1. *ſ. Dupl.* 3. *Cl.*
iv	e	xiv	19	
iij	f	xiij	20	Eucharii, Tullensis Mart. *c. an.* 362. *Simpl.*
ij	g	xij	21	Translatio s. Gerardi, Tullensis Episc. 10. *ſ. Dupl.* 2. *Clas. comm.* s. Hilarionis Abbatis in Palæstina, *an.* 371.
	A	xj	22	Ursulæ & sociarum Virg. & Mart. *an.* 450. *Dupl.* 3. *Classis.*
xxx	b	x	23	Amonis, Tullensis Episc. . . *Dupl.* 2. *Clas.*
xxix	c	ix	24	Romani, Rot mag. Episc. *an.* 646. *Simpl. commemor.* s. Florentini, Laici Justi.
xxviij	d	viij	25	Crispini & Crispiniani, Suession. Mart. *an.* 288. *Simpl.*
xxvij	e	vij	26	Amandi, Trajectensis Episc. *an.* 675. *Simpl. comm.* Translationis s. Vedasti, Episc.
xxvj	f	vj	27	Vigilia, *cum jejunio.*
25. xxv	g	v	28	SIMONIS & JUDÆ, Apost. 1. *ſ. Dupl.* 3. *Clas.*
xxiv	A	iv	29	Maximi, Presbyteri & Monachi, 4. *ſ. Simpl.*
xxiij	b	iij	30	Leonis Magni, Papæ, & Eccl. Doct. *an.* 461. *Dupl.* 4. *Clas.*
xxij	c	Prid.	31	Vigilia, *cum jejunio : comm.* s. Quintini, Ambian. Mart. *an.* 287.

JULIUS.

Cyclus Epactar.	Lit. Dom		Dies mens.	
xxvj	g	Cal.	1	Octava Nativitatis s. Joannis Baptistæ. *Semidupl. comm.* Octav. Ss. Apostolorum, & s. Theobaldi, Pruvinensis Solitarii. *an.* 1066.
25. xxv	*A*	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virginis. *Duplex* 2. *Clas. comm.* Oct. Ss. Apost.
xxiv	b	v	3	De Octava Ss. Apostolorum. *Simpl.*
xxiij	c	v	4	Ordinatio * *&* Translatio ** s. Martini, Turon. Episc.* *an.* 372. ** 473. *Semidupl. commemoratio* Octavæ Ss. Apostolorum.
xxij	d	iij	5	De Oava Ss. Apostolorum. *Simpl.*
xxj	e	Prid.	6	Octava Ss. Apostol. Petri & Pauli. *Semiduplex.*
xx	f	Non.	7	Beati Petri Forerii, Tullensis Presbyteri, Congreg. Canonic. Regul. Reform. *an.* 1640. *Semid.*
xix	g	viij	8	Auspicii, Episc. Tullensis, *an.* 490. *Semidupl.*
xviij	*A*	vij	9	Ephræm, Diaconi Edesseni *&* Monachi, c. *an.* 381. *Simpl.*
xvij	b	vj	10	Septem Fratrum, & s. Felicitatis eorum matris, Mart. c. *an.* 150. *Simplex.*
xvj	c	v	11	Benedicti, Cassinensis Abbatis, *an.* 543. *Dupl.* 4. *Clas. Translatio ejus hac die*, c. *an.* 653. *comm.* s. Hidulphi, ex Trevirens. Episcop. Monachi Tullensis, c. *an.* 736.
xv	d	iv	12	
xiv	e	iij	13	
xiij	f	Prid.	14	Bonaventuræ, Albanens. Episc. & Ecclesiæ Doct. *an.* 1274. *Semiduplex*, *commemorat* s. Henrici, Imperatoris, *an.* 1024.
xij	g	Idib.	15	Aproniæ, Trecensis Virg. 5. *s. in Ecclesia Cathedr. Dupl.* 2. *Clas. alibi Duplex* 4. *Clas.*
xj	*A*	xvij	16	Dispersio Apostolorum, 1. *s. Semidupl.*
x	b	xvj	17	Arnulphi, ex Metensi Episc. Monachi Tullensis, c. *an.* 640. *Simplex.*
ix	c	xv	18	Thomæ Aquinatis, Ordinis Prædicat. *&* Eccl. Doct. 1274. *Dupl.* 4. *Cl. Canonizatio ejus hac die*, *an.* 1323.
viij	d	xiv	19	Vincentii à Paulo Presbyteri, & Congreg. Miss. Institut. *an.* 1660. *Semidupl.*
vij	e	xiij	20	Arsenii, Romani Diaconi scetis Solitarii, *an.* 445. *Simpl. comm.* s. Margaretæ, Virg. & Mart.
vj	f	xij	21	Victoris, Massil. & Soc. Mart. c. *an.* 290. *Simpl.*
v	g	xj	22	MARIÆ MAGDALENES, 1. *s. Dupl.* 3. *Classis.*
iv	*A*	x	23	Apollinaris, Ravennensis Episc. & Mart 1. *vel* 2. *sæcul. Simpl.*
iij	b	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
ij	c	viij	25	JACOBI (*Zebedæi*) APOSTOLI, an. 44. *Duplex* 3. *Clas. comm.* s. Christophori, Mart. in Lycia. 3. s. & Glodesindis, Virg. c. *an.* 778.
j	d	vij	26	Joachim & Annæ Parentum B. M. V. *Dupl.* 2. *Clas.*
xxx	e	vj	27	Marini, Militis Cæsareæ in Palestina Mart. c. *an.* 262. *Simpl. comm.* s. Pantaleonis, Nicomediæ Mart. c. *an.* 305.
xxix	f	v	28	Mariæ Bethaniticlis, Marthæ, sororis ejus, & Lazari fratris earum, 1. *s. Semidup. commemor.* Ss. Nazarii & Celsi, Mediolan. Mart. 1. *sæculi.*
xxviij	g	iv	29	*Lupi, Trecensis Episc. c. an.* 478. *Semiduplex.*
xxvij	*A*	iij	30	Germani, Autissiodor. Episc. *an.* 448. *Semidupl.*
25. xxvj	b	Prid.	31	Ignatii Loyolæ, Presbyteri, & Societatis Jesu Institut. *an.* 1556. *Dupl.* 4. *Clas.*

Cyclus Epactarum.	Lit. Dom.		Dies Mens.	DECEMBER.
xx	f	Cal.	1	Eligii, Noviomens. Episc. *an.* 659. *Semiduplex.*
xix	g	iv	2	Petri Chrysologi, Ravenn. Episc. *an.* 457. *Simpl. Ultima sedes Adventûs.*
xviij	A	iij	3	Francisci Xaverii, Societ. Jesu Presbyteri, *an.* 1552. *Dupl.* 4. *Clas.*
xvij	b	Prid.	4	*Commem.* s. Barbaræ Virg. & M. 3. *vel* 4. *s.*
xvj	c	Non.	5	*Comm.* s. Sabæ, Abbatis in Palæst. *an.* 531.
xv	d	viij	6	NICOLAI, MYRENSIS EPISC. IN LYCIA, 4. *s. Dupl.* 2. *Clas.*
xiv	e	vij	7	Ambrosii, Mediolan. Episc. & Eccl. Doct. *an.* 397. *Dupl.* 3. *Clas. Ordinatio ejus hac die*, *an.* 374.
xiij	f	vj	8	CONCEPTIO B. MARIÆ VIRGINIS, *Dupl.* 1. *Clas. Solemne-majus*
xij	g	v	9	De Octava Conceptionis B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Romarici, Monachi Tullensis, *an.* 653.
xj	A	iv	10	De Octava . . . *Semidupl.*
x	b	iij	11	De Octava . . . *comm.* s. Damasi, Papæ, *an.* 384.
ix	c	Prid.	12	De Octava . . . *Semidupl.*
viij	d	Idib.	13	De Octava . . . *comm.* s. Luciæ, Siracus. Virg. & Mart. *an.* 304.
vij	e	xix	14	De Octava . . . *Semidupl.*
vj	f	xviij	15	Octava Conception. B. M. V. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* s. Eusebii, Vercell. Episc. *an.* 370.
v	g	xvij	16	
iv	A	xvj	17	O Sapientia.
iij	b	xv	18	(*Feriâ* 4. 6. *& Sabbato post Festum s. Luciæ, fiunt jejunia Quatuor Temporum.*)
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	
xxx	e	xij	21	THOMÆ, APOSTOLI, 1. *s. Dupl.* 3. *Clas.*
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia, *cum jejunio.*
xxvj	b	viij	25	NATIVITAS DOMINI N. J. CHRISTI, *Dupl.* 1. *Clas. Annuale.*
25. xxv	c	vij	26	STEPHANI, DIACONI ET PROTOMART. Eccl. Cathedr. ac totius Diœces. Tullensis Patroni, *an.* 33. *Dupl.* 1. *Clas. Annuale comm.* Octavæ Natalis Domini.
xxiv	d	vj	27	JOANNIS, APOST. ET EVANGEL. *an.* 100. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* Octavarum Natalis Domini & s. Stephani.
xxiij	e	v	28	Innocentium Martyrum, *an.* 1. *Dupl.* 3. *Clas. commem.* Octavarum Natalis Domini, s. Stephani, & s. Joannis.
xxij	f	iv	29	Thomæ, Cantuariensis Episc. & Mart. *an.* 1170. *Semidupl. comm.* Octavarum Natalis Domini, s. Stephani, s. Joannis & Ss. Innocentium.
xxj	g	iij	30	Officium Dominicæ intra Octav. Natalis Domini, *comm.* Octavarum Ss. Stephani, Joannis, & Innocentium.
*19. xx	A	Prid.	31	Sylvestri, Papæ, *an.* 335. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* Octavarum.

* *Hæc Epacta* 19. *numquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo Numero* xix.

SEPTEMBER.

Cyclus Epactæ.	Litt. Dom.		Dies Mens.	
xxiij	f	Cal.	1	Gregorii, Papæ & Eccl. Doct. *an.* 604. *Dupl.* 3. *Clas. comm.* s. Ægidii, Abbatis in Occitania, *c. an.* 547.
xxij	g	iv	2	Marcelli & Valeriani, Mart. *c. an.* 179. *Simpl.*
xxj	A	iij	3	MANSUETI, APOSTOLI TULLENSIS, ET I. EPISC. *Dupl.* 1. *Clas. Solemne-majus.*
xx	b	Prid.	4	De Octava s. Mansueti... *Semidupl.*
xix	c	Non.	5	De Octava. *Semidupl.*
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRGINIS, *Dupl.* 1. *Clas. Solemne-majus.*
xv	g	v	9	De Octava Nativit. B. M. V. *Semidupl. comm.* Octav. s. Mansueti, & Ss. Petri, Dorothei, & Gorgonii, Nicomediæ in Bithyn. Mart. *an.* 303.
xiv	A	iv	10	Octava s. Mansueti, *Dupl.* 4. *Clas. comm.* Octavæ Nativit. B. M. V. & s. Nicolai Tolentinatis, Eremitæ s. August. *an.* 1309.
xiij	b	iij	11	De Octava Nativit. B. M. V. *Semidupl. comm.* s. Bodonis, Episc. Tullensis, *c. an.* 675.
xij	c	Prid.	12	De Octava Nativit. B. M. V. *Semidupl.*
xj	d	Idib.	13	De Octava. *Semidupl. comm.* s. Amati, Abbatis Tullensis, *c. an.* 627.
x	e	xviij	14	Exaltatio sanctæ Crucis sub Heraclio Imperat. *an.* 629. *Dupl.* 4. *Clas. comm.* Octavæ Nativit. & s. Cornelii, Papæ & Mart. *an.* 252.
ix	f	xvij	15	Apri, Episc. Tullensis. 5. *s. Dupl.* 3. *Clas. comm.* Octavæ Nativit. (*Post Exaltationem s. Crucis, Feria* 4. 6. *& Sabbato fiunt jejunia quatuor Temporum.*)
viij	g	xvj	16	Cypriani, Carthagin. Episc. & Mart. *an.* 258. *Semidupl. comm.* s. Euphemiæ, Calcedon. Virginis & Mart. *an.* 307.
vij	A	xv	17	Lamberti, Episc. Trajecten. & Mart. *an.* 708. *Simpl.*
vj	b	xiv	18	
v	c	xiij	19	Goërici, Episc. Metensis, *c. an.* 654. *Semid.*
iv	d	xij	20	
iij	e	xj	21	MATTHÆI, APOSTOLI ET EVANGELISTÆ 1. *s. Dupl.* 3. *Clas.*
ij	f	x	22	Mauricii, & Sociorum Mart. *an.* 286. *Semid.*
j	g	ix	23	Lini, Papæ & Mart. *c. an.* 78. *Simpl. comm.* s. Theclæ, Iconii, Virg. & Mart. *c. fin.* 1. *s.*
xxx	A	viij	24	Salabergæ, Laudunens. Viduæ, *c. an.* 656. *Simpl.*
xxix	b	vij	25	Firmini, Ambian. Episc. & Mart. *c. an.* 287. *Simp.*
xxviij	c	vj	26	
xxvij	d	v	27	Cosmæ & Damiani, fratrum Arabum Mart. *c. an.* 303. *Semidupl.*
25. xxvj	e	iv	28	
xxv. xxiv	f	iij	29	MICHAELIS & OMNIUM ARCHANGEL. & ANGEL. *Dupl.* 3. *Clas.* *Hoc Festum in Apulia sumpsit initium, c. an.* 493.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi, Stridonens. Presbyt. & Eccl. Doct. *an.* 420. *Dupl.* 3. *Clas.*

TABULA.

DOMIN. PRIVIL. II. CLASSIS, quæ non admittunt nisi Solemnia-Majora, & suprà.

Secunda Tertia Quarta	Adventûs.

Secunda Tertia Quarta	Quadragesimæ.

Dominica	Septuagesimæ. Sexagesimæ. Quinquagesimæ.

DOMINICÆ III. CLASSIS, in quibus non fit nisi de Duplicibus 2. Classis & suprà, & de Dupl. 3. Classis quæ sunt Festa Domini, aut feriantur à populo ex toto, vel ex parte.

Reliquæ Dominicæ per annum.

OCTAVÆ PRIVIL. I. ORDINIS, quæ nullum festum admittunt.

Paschæ.
Pentecostes.
Octava Natalis Domini ritum habet peculiarem qui notatur in Proprio.

OCTAV. I. ORDIN. NON PRIVIL. quæ admittunt tantùm Duplicia 2 Classis & suprà, & in quibus non fit Commemoratio de Simplici.

Octava Patroni primarii.
Octava Dedicationis Ecclesiæ, *in ipsa solemnitate Consecrationis.*
Dies Octava illarum Octavarum est Duplex 3. Classis.

OCTAVÆ SECUNDI ORDINIS, quæ admittunt Duplicia 4. Classis non translata; & Duplicia 3. Classis & suprà etiam translata, & in quibus fit Commemoratio de Simplici.

Octavæ omnium Solemnium Major
Ab hac regula excipe Octavam solemnitatis SS. Eucharistiæ; in qua propter Celebritatem non fit Officium, nisi de Duplici I. Classis, nec Commemoratio de Simplici.

Dies Octava illarum Octavarum est Duplex 4. Classis, *nisi habeat adjunctum Festum aliquod per quod ad superiorem gradum elevetur; ut v. g. Octava Epiphaniæ, &c.*

OCTAVÆ TERTII ORDINIS, in quibus fit Officium integrum de Semiduplici non translato, & de Duplici 4. Clas. & sup. etiam translato.

Octavæ Solemnium-Minorum.
Dies Octava est Semiduplex.

FERIÆ MAJORES PRIVILEG. quæ numquam omittuntur.

Vigilia Nativitatis Domini.
Feria quarta Cinerum.
Feriæ Majoris Hebdomadæ.
Vigilia Pentecostes.
Hæ Feriæ nulli cedunt Officio.


FERIÆ MAJORES, de quibus fit semper Commemoratio, quando de iis non fit Officium.

Feriæ	Adventûs. Quadragesimæ. Quatuor Temporum. Rogationum.

Feria sexta post Octavam Ascensionis.
Vigiliæ omnes.
Hæ Feriæ non cedunt, nisi Officio Semiduplici & suprà.
Excipiuntur Feriæ Quadragesimæ, in quibus non fit Officium de ullo Festo, nisi de S. Joseph, de Annuntiatione Beatæ Mariæ Virginis, & de ejus Compassione.

FERIÆ MINORES, de quibus non fit Commemoratio quando omittuntur.

Feriæ totius anni.
Hæ Feriæ admittunt quodcumque Festum etiam Simplex.



NOVEMBER.

Cyclus Epactæ.	Lit. Dom.		Dies mens.	
xxj	d	Cal.	1	OMNIUM SANCTORUM, *Dupl. primæ Classis. Solemne majus*, institut. c. *an.* 835.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM, *Duplex primæ Classis. Solemne minus*: institut. *an.* 998.
xix	f	iij	3	De Octava omnium SS. *Semidupl. commemoratio* s. Huberti, Episc. Leodiens. *an.* 727.
xviij	g	Prid.	4	Caroli Borromæi, Mediolan. Episc. *an.* 1584. *Duplex* 4. *Classis. commem.* Octavæ omnium SS. & s. Amantii, Ruthen. Episc. 5. *s.*
xvij	A	Non.	5	De Octava Omnium SS... *Semidupl.*
xvj	b	viij	6	De Octava... *comm.* S. Leonardi, Lemovicens. Solitarii, *c. an.* 559.
xv	c	vij	7	De Octava... *Semidupl.*
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, & Veneratio SS. Reliquiarum, *Dupl.* 3. *Clas.* institut. *an.* 1194.
xiij	e	v	9	Omnium SS. Episcoporum Tullensium, *Duplex* 1. *Clas. Solemne minus.*
xij	f	iv	10	Tryphonis & Respicii, in Bithynia Martyrum, *c. an.* 250. *Simpl.*
xj	g	iij	11	MARTINI, Turon. Episc. *an.* 397. *Dupl.* 2. *Clas.*
x	A	Prid.	12	Martini, Papæ & Mart. *an.* 655. *Simpl. commem.* s. Renati, Andegav. Episc. 5. *s.*
ix	b	Idib.	13	Briccii, Turon. Episc. *an.* 444. *Simpl.*
viij	c	xviij	14	Theodori, Militis Amaseæ in Ponto Mart. *an.* 306. *Simpl.*
vij	d	xvij	15	
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi, Neocæsar. Ep. *c. an.* 270. *Semid. com.* s. Aniani, Aurelian. Ep. *c. an.* 453.
iv	g	xiv	18	
iij	A	xiij	19	Elizabeth, in Thoring. Viduæ, *an.* 1231. *Simpl.*
ij	b	xij	20	
j	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ V. *Dupl.* 2. *Clas. comm.* s. Columbani, Luxov. Abbatis, *an.* 615.
xxx	d	x	22	Cæciliæ, Virg. & Mart. 2. *vel* 3. *s. Dupl.* 4. *Clas.*
xxix	e	ix	23	Clementis, Papæ & Mart. *an.* 100. *Semiduplex. commem.* s. Clementis, Metensis Episcopi.
xxviij	f	viij	24	Chrysogoni, Romæ Mart. *an.* 304 *Simpl.*
xxvij	g	vij	25	Dionysii, Alex. Ep. & Conf. Christi, *c. an.* 264. *Semid. comm.* s. Catharinæ, Virg. & Martyris.
25. xxvj	A	vj	26	Petri, Alexandr. Episc. & Mart. *an.* 311. *Simpl. comm.* s. Basoli in Campania Eremitæ. *an.* 260.
xxv. xxiv	b	v	27	Vitalis & Agricolæ, Bononiæ in Italia Mart. *an.* 304. *Simpl.* *Prima sedes Adventûs.*
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigilia..... *cum jejunio* : *comm.* S. Saturnini, Tolos. Episc. & Mart. 3. *s.*
xxj	e	Prid.	30	ANDREÆ, APOSTOLI, 1. *s. Dupl.* 2. *Classis.*

(*Per Adventum non fit de Vigiliis : de Simplicibus fit tamèn commemoratio : quando Officium fit de Duplici vel Semiduplici, semper fit commemoratio de Adventu.*)

die resurréxit à mórtuis: ascéndit ad cœlos; sedet ad déxterā Dei Patris omnipoténtis: indè ventúrus est judicáre vivos & mórtuos. Credo in Spíritum sanctum, sanctam Ecclésiam Cathólicam, Sanctórum communiónem, remissiónem peccatorū, carnis resurrectiónem, vitam ætérnam. Amen.

Deinde altâ voce dicitur:

DOmine, labia mea apéries; ℟. Et os meū annuntiabit laudem tuam. *Ps.* 50. v. 17.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde: ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. v. 2.

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen. Alleluia.

A Septuagesima ad Pascha loco Allelúia *dicitur*: Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

In Dominicis totius anni, Invitatorium, Antiphonæ, & Versus dicuntur ut infra; nisi aliter notetur in Proprio.

Invit. Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro; * Veníte, adorémus. 2. *Esdr. Cap.* 8. v. 9.

PSALMUS 94.

Deus, Dominus est noster, adoratione & obsequio colendus.

VEníte, exultémus Dómino; jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, & in psalmis jubilémus ei. (*Repetitur*) Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro; * Veníte, adorémus.

Quóniam Deus magnus Dóminus, & Rex magnus super omnes deos: quóniam non repellet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitúdines móntium ipse consṕicit. (*Repetitur*) Veníte, adorémus:

Quóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud, & áridam fundavérunt manus ejus: veníte, adorémus, & procidámus ante Deum, plorémus coram Domino qui fecit nos; quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem pópulus ejus, & oves páscuæ ejus. Dies sanctificatus est Dño Deo nostro; * Veníte, adorémus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndùm diem tentationis in desérto, ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, & vidérunt ópera mea. Veníte, adorémus.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, & dixi: Semper hi errant corde; ipsi verò non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introibunt in réquiem meam. Dies sanctificátus est Domino Deo nostro; * Veníte, adorémus.

Glória Patri, & Filio, & Spirítui sancto: sicut erat in princípio, & nunc, & sem-



TABULA

Continens Officiorum gradus & diversitatem.

Duplicia I. Classis.	Annuale. Solemne-Majus. Solemne-Minus.	Duplex 2. Classis. Duplex 3. Classis. Duplex 4. Classis.	Semiduplex. Simplex.

ANNUALIA.

Nativitas Domini.
Natalis S. Steph. *totius Diœces. Patron.*
Pascha.
Pentecostes.

* *In unaquaque Ecclesia celebratur sub ritu Annuali Festum principale Patroni primarii.*
Item si contingat consecrari Ecclesiam, ipsa dies consecrationis celebratur ut Annuale.

SOLEMNIA-MAJORA.

Conceptio B. Mariæ Virginis.
Epiphania Domini.
Præsentatio Domini, quæ & Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
Annuntiatio B. M. & Incarnatio Domini.
Ascensio Domini.
Solemnitas SS. Eucharistiæ.
Revelatio, seu Invent. Corp. S. Steph.
Assumptio Beatæ Mariæ Virginis.
Festum S. Mansueti, Tullensis Apost.
Nativitas Beatæ Mariæ Virginis.
Festum Omnium Sanctorum.
Anniversarius dies Dedicationis.

SOLEMNIA-MINORA.

Circumcisio Domini.
Festum S. Joseph.
Festum S. Gerardi.
Festum Sanctissimæ Trinitatis.
Octava solemnitatis SS. Eucharistiæ, quæ & Festum Sacerdotii Domini.
Nativitas S. Joannis-Baptistæ.
Festum SS. Petri & Pauli, Apostolorũ.
Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum.
Festum omnium SS. Episcoporum Tullensium.

DUPLICIA II. CLASSIS.

Festum S. Nicolai.
Octava Epiphaniæ, quæ & Baptismus Christi.
Festum SS. Fabiani & Sebastiani.
Translatio S. Mansueti.
Festum S. Deodati, *in Cathed.*
Visitatio Beatæ Mariæ Virginis.
Festum Sanctæ Apronïæ, *in Cathed.*
Festum SS. Joachim & Annæ.
Transfiguratio Domini.
Translatio S. Gerardi.
Festum S. Martini.
Præsentatio Beatæ Mariæ Virginis.
Festum S. Andreæ.

DUPLICIA III. CLASSIS.

Natalia SS. Apostolorum & Evangel.
Et alia Festa quæ in tali gradu notantur in Calendario.
Quibus adde diem Octavam omnium Annualium, & Dominicas totius anni.

DUPLICIA IV. CLASSIS.

Festa quibus talis gradus assignatur in Calendario.
Quibus adde diem Octavam Sol. Maj.

DOMINIC. PRIVIL. I. CLASSIS, *quæ nunquam omittuntur.*

Prima Adventûs.
Prima Quadragesimæ.
Passionis.
Palmarum.
Paschæ.
Post Albas depositas.
Pentecostes.
Prima post Pentecosten, *in qua fit Officium de Sanctissima Trinitate.*

Apprehéndite disciplínã,* nequándo irascátur Dóminus, & pereátis de via justa.

Cùm exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confidunt in eo.

Glória Patri, &c.

Ant. Cùm exárserit ira ejus, beáti omnes qui confidunt in eo. *v.* 13.

Ant. 2. Dicunt.

PSALMUS 3.

Salus in se sperantium Dominus.

DOmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsùm me.

Multi dicunt ánimæ meæ:* Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea, & exáltans caput meum.

Voce meâ ad Dóminum clamávi, * & exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, & soporátus sum; * & exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exúrge, Dómine; salvum me fac, Deus meus;

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa; * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus; * & super pópulum tuum benedíctio tua.

Glória Patri, &c.

Ant. Dicunt ánimæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus: Tu autem, Dómine, suscep-tor meus es. *v.* 3. 4.

℣. Memor fui nocte nóminis tui, Dómine,

℟. Et custodívi legem tuã. *Psal.* 118 55.

Post Versiculum cujuslibet Nocturni, dicitur secretò:

Pater noster, &c. *& altà voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentationem; ℟. Sed líbera nos à malo.

Deinde absolutiones, & Benedictiones, ut habentur post Psalterium. Tres Lectiones cum ℟. ℟. ℟. *ut habentur in Proprio de Tempore.*

IN II. NOCTURNO.

Ant. 3 Lætábimur.

PSALMUS. 19.

Ut Christi preces, & sacrificium suis applicentur, rogat Ecclesia.

EXaúdiat te Dóminus in die tribulatiónis; * prótegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxílium de sancto, * & de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui, * & holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndùm cor tuum, * & omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo, * & in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exaúdiet illum de cœlo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ ejus.

Hi in cúrribus, & hi in

PSALTERIUM
DISPOSITUM PER HEBDOMADAM,
Cum Ordinario Officii de Tempore.

DOMINICA

Dies est Domino sacra Resurrectione Christi, & Spiritûs sancti effusione.

OFFICII FINIS.

Deus cultu publico colendus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Ante Officium Nocturnum dicitur secretò:



PATER noster qui es in cœlis, sanctificétur nomẽ tuũ: advéniat regnum tuum: fiat volúntas tua, sicut in cœlo & in terra: panem nostrum quotidiánum da nobis hódie: & dimítte nobis débita nostra, sicut & nos dimittimus debitóribus nostris: & ne nos indúcas in tentatiónem; sed líbera nos à malo. Amen. *Matth.* 6. *v.* 9. & 14

AVE, María, grátiâ plena, Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui Jesus.

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, & in hora mortis nostræ. Amen. *Luc.* 1. 28. 42.

CRedo in Deum, Patrem omnipoténtem, Creatórem cœli & terræ: Et in Jesũ Christum Filium ejus únicũ, Dóminũ nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex María Virgine: passus sub Póntio Piláto, crucifixus, mórtuus & sepúltus, descéndit ad ínferos: tértiâ

Vox Dómini confringéntis cedros; * & confringet Dóminus cedros Líbani;

Et comminuet eas tamquam vítulum Líbani: * & diléctus quemádmodũ fílius unicórnium.

Vox Dñi intercidéntis flammam ignis: * vox Dñi concutiéntis desértum; & cõmovébit Dñus desértũ Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, & revelábit condénsa; * & in templo ejus omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit; * & sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit; * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant Dóminus virtútem pópulo suo dabit; Dóminus benedícet pópulo suo in pace. *v.* 11.

℣. Médiâ nocte surgébam,

℟. Ad confiténdum tibi, Dómine. *Ps* 118. 62.

Pater noster *secretò* .. *altâ voce*: Et ne nos, &c.

Absolutio, Benedict. ut habentur post Psalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut habentur in Proprio de Tempore.

IN III. NOCTURNO.

Ant. t. 5. Cantet.

PSALMUS 29.

Post suos in passione labores, & suam in resurrectione victoriam, gratias agit Christus.

EXaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me; * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * & sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me à descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti ejus; * & confitémini memóriæ sanctitátis ejus;

Quóniam ira in indignatióne ejus, * & vita in voluntáte ejus.

Ad vésperum demorábitur fletus, * & ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dñe, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam à me, * & factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo, * & ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, & misértus est mei; * Dóminus factus est adjútor meus.

Convertísti planctum meũ in gáudium mihi, * conscidísti saccum meum, & circumdedísti me lætítiâ,

Ut cantet tibi glória mea, & non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

per, & in sæcula sæculórum. Amen. Veníte, adorémus. *Deinde repetitur.* Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro; * Venite, adorémus.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Beátus vir.

PSALMUS I.

Beatitudo justorum: malorum calamitas.

Beátus vir qui non ábiit in consílio impiórum, & in via peccatórum non stetit, * & in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * & in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo;

Et fólium ejus non défluet;* & ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic;* sed tamquam pulvis quem projicit ventus à fácie terræ.

Ideò non resúrgent ímpii in judício, * neque peccatóres in concílio justórum;

Quóniam novit Dóminus viam justórum, * & iter impiórum períbit.

Glória Patri, & Fílio, * & Spirítui sancto:

Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, * & in sæcula sæculórum. Amen.

Sic Glória Patri *cum* sicut erat *dicitur in fine uniuscujusque Psalmi, nisi aliter notetur.*

Ant. Beátus vir *qui in lege* Domini meditábitur die ac nocte; erit tamquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárũ. *v.* 1. 2. 3.

Ant. t. 1. D. Cum exárserit..

PSALMUS 2.

Christi resurrectio, & imperium.

Quare fremuérunt gentes, * & pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, & príncipes convenérunt in unum: * advérsus Dóminum, & advérsus Christum ejus.

Dirumpámus víncula eórum, * & projiciámus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridébit eos, * & Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * & in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, & dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * & possessiónem tuam términes terræ.

Reges eos in virga férrea, * & tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite; * erudímini qui judicátis terram.

Servíte Dño in timóre, * & exultáte ei cum tremóre.

Et non audívit pópulus meus vocem meam, * & Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me, * Israel si in viis meis ambulásset,

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem, * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimici Dómini mentíti sunt ei; * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle saturávit eos.

Ant. Buccináte in Neoménia tubâ, in insígni die solēnitátis vestræ; quia præcéptum in Israel est. *v.* 4. 5

℣. In nóctibus extóllite manus vestras in sancta;

℟. Et benedícite Dóminum. *Ps.* 133. 2.

Pater noster *secretò, ut suprà.*

Absolutio & Benedict. ut habentur post Psalterium.

Lectiones, & ℟. ℟. ℟. ut in Proprio de Tempore.

Post ultimum Responsorium, dicitur, (nisi aliter notetur in Proprio)

Te Deum laudámus; * te Dóminū confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli; * tibi cœli, & univérsæ potestátes;

Tibi Chérubim & Séraphim * incessábili voce proclámant;

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cœli & terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia

Patrē * imménsæ majestátis:

Venerándum tuum verum, * & únicum Fílium,

Sanctum quoque * paraclétum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe:

Tu Patris * sempitérnus es Fílius:

Tu, ad liberándum suscepturus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum:

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cœlórum:

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo, quæsumus, fámulis tuis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérnâ fac * cum sanctis tuis in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuū, Dómine, * & bénedic hæreditáti tuæ.

Et rege eos, * & extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te;

Et laudámus nomen tuū in sǽculum, * & in sǽculum sǽculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confúndar in ætérnū.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Ad te orábo, Dómine, ℟. Manè exaúdies vocem meam. *Ps.* 5 4.

DEus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps* 69 *v.* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spirítui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sǽcula sæculórum. Amen. Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *ut supra notatum est.*

Ant. t. 8 *B.* Mirábilis.

PSALMUS 92.

Quàm mirabilis Christus in regno suo, & sua lege.

DOminus regnávit, decorem indútus est; * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Parata sedes tua ex tunc; * à sǽculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem suam;

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirabiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérū.

Glória Patri, &c.

Ant. Mirabilis in altis Dóminus; testimonia tua credibília facta sunt nimis. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F* Introíte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio

JUbiláte Deo, omnis terra, * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatione.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos: * pópulus ejus & oves pascuæ ejus.

Introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dominus, * in ætérnum misericórdia ejus, & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis. *v.* 4

Ant. t. 3 *E.* Mélior est.

PSALMUS 62.

Ad Deum luce primâ desiderat justus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea; * quàm multipliciter tibi caro mea!

In terra desérta, & ínvia, & inaquósa, sic in sancto appárui tibi; * ut vidérem virtútem tuã, & glóriam tuã.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas; * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea, * & in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea, * & lábiis exultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tuî super stratum meum, in matutínis meditábor in te; * quia fuísti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæsit ánima mea post te; * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam; * introíbunt in inferióra terræ, tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætábitur in Deo, laudabúntur omnes qui jurant in eo; * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Mélior est misericórdia tua super vitas; lábia mea laudábunt te. *v.* 4.

Antiph. 5 Omnia.

Canticum trium puerorum.

Dan. 3.

BEnedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cœli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol & luna, Dómino; * benedícite, stellæ cœli, Dómino.

Benedícite, omnis imber & ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis & æstus, Dómino: * benedícite, frigus & æstus, Dómino.

Benedícite, rores & pruína, Domino: * benedícite, gelu & frigus, Dómino.

Benedícite, glácies & nives, Dómino, * benedícite, noctes & dies, Dómino.

Benedícite, lux & ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura & nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminũ; * laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes & colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, maria & flúmina, Dómino.

Benedícite, cete & ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cœli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ & pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedícat Iſrael Dóminum; * laudet & ſuperexáltet eum in ſæcula.

Benedícite, ſacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, ſervi Dómini, Dómino.

Benedícite, ſpíritus & ánimæ juſtórum, Dómino: * benedícite, ſancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Míſael, Dómino; * laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula.

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum ſancto Spíritu: * laudémus & ſuperexaltémus eum in ſæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: * & laudábilis, & glorióſus, & ſuperexaltátus in ſæcula.

Hîc non dicitur Glória Patri.

Ant. Omnia ópera Dómini, laudáte & ſuperexaltáte eum in ſæcula. *Dan.* 3. *v.* 57.

Ant. *t.* 6. Laudáte.

PSALMUS. 150.

Deus omni musicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in ſanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum ſecúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in ſono tubæ; * laudáte eum in pſaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis beneſonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis ſpíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum ſecúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus *v.* 2.

Capitulum Apoc. 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & ſapiéntia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo noſtro, in ſæcula ſæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℟. Ut meditárer elóquia tua. *Pſ.* 118. *v.* 148.

Antiph. ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. *Luc.* 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Iſrael; * quia viſitávit, & fecit redemptiónem plebis ſuæ;

Et eréxit cornu ſalútis nobis, * in domo David púeri ſui,

Sicut locútus eſt per os ſanctórum, * qui à ſæculo ſunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis noſtris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam miſericórdiam cum pátribus noſtris, * & memorári teſtaménti ſui ſancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem noſtrũ, * datúrum ſe nobis;

Ut ſine timóre de manu

inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi,

In sanctitáte & justítia coram ipso, * ómnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis; * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus;

Ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus, * in remissiónem peccatórum eórum,

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto;

Illumináre his qui in ténebris & in umbra mortis sedent, * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri, &c,

Ant. & Oratio, ut in Proprio.

Deinde dicitur: ℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Fit commemoratio de Simplici, si occurrat.

In fine cujusque Officii, si aliud non sequatur, additur submissâ voce: ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM.

Pater noster. Ave.

℣. Deus, in adjutórium. *ut supra ad Laudes.*

HYMNUS.

Umbras fugávit æthere
Sol ortus; & solémnia
Sacræ diéi præcipit
Festis obíre cántibus.

Nil lingua peccet, nil manus,
Nil mens ináne cógitet:
In ore simplex véritas,
In corde regnet cháritas.

Incœpta dum fluet dies,
O Christe! ne, qui círcuit,
Illúdat hostis sénsibus,
Custos tuére pérvigil.

Supérba ne nimis caro
Menti licenter ímperet,
Pugnáre da, da víncere,
Testis, Deus, certáminis.

Deo Patri sit glória
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne sæculũ.
Amen.

Ant. 1. 7. *A.* Deus meus.

PSALMUS 117.

Gratias agit Ecclesia quòd salútem per Christum sit consecúta.

Confitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc Israel quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicat nunc domus Aárõ, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant nunc qui timent Dóminum, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

De tribulatióne invocávi Dóminum, * & exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adjútor; * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adjútor; * & ego despíciã inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quàm confídere in hómine.

Et laudámus nomen tuũ in sæculum, * & in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi; * non confúndar in ætérnũ.

AD LAUDES MATUTINAS.

℣. *Sacerdotalis.* Ad te orábo, Dómine, ℟. Manè exaúdies vocem meam. *Ps.* 5 4.

DEus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps* 69 *v.* 2.

Glória Patri, & Fílio, & Spíritui sancto: Sicut erat in princípio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ. *ut supra notatum est.*

Ant. t 8 *B.* Mirábilis.

PSALMUS 92.

Quàm mirabilis Christus in regno suo, & sua lege

DOminus regnávit, decorem indútus est; * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc; * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine, * elevavérunt flúmina vocem suam;

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vocibus aquárum multárum.

Mirabiles elatiónes maris; * mirabilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitudinem dierũ. Glória Patri, &c.

Ant. Mirabilis in altis Dóminus; testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F* Introite.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio

JUbiláte Deo, omnis terra, * servite Domino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatione.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos: * pópulus ejus & oves páscuæ ejus.

Introíte portas ejus in confessióne, atria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudate nomen ejus, quóniam suávis est Dominus, * in ætérnum misericórdia ejus, & usque in generationem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Introite portas ejus in confessióne, atria ejus in hymnis. *v.* 4

Ant. t. 3 *E.* Mélior est.

PSALMUS 62.

Ad Deum luce primà desiderat justus.

DEus, Deus meus, * ad te de luce vigilo.

dídici judícia justítiæ tuæ.

Justificatiónes tuas custódiam; * non me derelínquas usquequaque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te; * ne repéllas me à mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua, * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine; * doce me justificatiónes tuas.

In lábiis meis * pronuntiávi ómnia judícia ori tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor, * & considerábo vias tuas.

In justificatiónibus tuis meditábor, * non oblivíscar sermónes tuos.

Glória Patri, &c.

I. *Divisio Psalmi* 118.

Retribue servo tuo, vivífica me; * & custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos; * & considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra; * non abscóndas à me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre justificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos; * maledícti qui declínant à mandátis tuis.

Aufer à me oppróbrium & contémptum; * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sédérunt príncipes, & advérsum me loquebántur; * servus autem tuus exercebátur in justificatiónibus tuis;

Nam & testimónia tua meditátio mea est, * & consíliũ meum justificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea; * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, & exaudísti me; * doce me justificatiónes tuas.

Viam justificatiónum tuárum ínstrue me; * & exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio; * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove à me; * & de lege tua miserére meî.

Viam veritátis elégi, * judícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine; * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cùm dilatásti cor meum.

Glória Patri, &c.

Quando fit Officium de Dominicâ, dicitur Symbolum sequens.

Quicúmque vult salvus esse, * ante ómnia opus est, ut téneat cathólicam fidem,

Quam nisi quisque íntegram, inviolatámque serváverit, * absque dubio in ætérnum períbit.

Benedícat Israel Dóminum; * laudet & superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus & ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti & húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Mísael, Dómino; * laudáte & superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem, & Fílium, cum sancto Spíritu: * laudémus & superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cœli: * & laudábilis, & gloriósus, & superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur Glória Patri.

Ant. Omnia ópera Dómini, laudáte & superexaltáte eum in sæcula. *Dan.* 3. *v.* 57.

Ant. t. 6. Laudáte.

PSALMUS. 150.

Deus omni musicæ genere laudandus.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ; * laudáte eum in psaltério & citharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilationis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus *v.* 2.

Capitulum Apoc. 7. 12.

BEnedíctio, & cláritas, & sapientia, & gratiárum áctio, honor, & virtus, & fortitúdo Deo nostro, in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo,

℟. Ut meditárer elóquia tua. *Ps.* 118. *v.* 148.

Antiph. ut in Proprio.

Canticum Zachariæ. *Luc.* 1.

BEnedíctus Dóminus Deus Israel; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ;

Et eréxit cornu salútis nobis, * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nostris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti:

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem nostrū, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre de manu

tris ante sæcula génitus ; * & homo est ex substántia Matris in sæculo natus.

Perféctus Deus, perfectus homo ; * ex ánima rationáli, & humánâ carne subsístens.

Æquális Patri secúndùm divinitátem ; * minor Patre secúndum humanitatem.

Qui licet Deus sit & homo ; * non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversióne divinitátis in carnem ; * sed assumptione humanitátis in Deum.

Unus omníno, non confusióne substántiæ ; * sed unitáte personæ ;

Nam sicut ánima rationális & caro unus est homo ; * ita Deus & homo unus est Christus :

Qui passus est pro salúte nostra, descéndit ad ínferos, * tértiâ die resurréxit à mórtuis :

Ascéndit ad cœlos, sedet ad déxteram Dei Patris omnipoténtis, * inde ventúrus est judicáre vivos & mortuos :

Ad cujus advéntum omnes hómines resúrgere habent cum corpóribus suis, * & redditúri sunt de factis própriis ratiónem :

Et qui bona egérunt, ibūt in vitam ætérnam ; * qui verò mala, in ignem ætérnum.

Hæc est fides cathólica, * quam nisi quisque fideliter firmitérque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, &c.

Ant. Deus meus es tu, & confitebor tibi ; Deus meus es tu, & exaltábo te. *Ps.* 117. *v.* 28.

Capitulum 1. *Tim.* 1. 17.

REgi sæculórum immortáli, invisibili, soli Deo honor & glória in sæcula sæculorum. Amen. ℟. Deo grátias.

℟. *Breve.* Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis. (*repetitur*) Christe, &c. ℣. Qui sedes ad dexteram Patris ; (*repetitur*) Miserére nobis. *Matt.* 16. 16. *Ioh.* 8. 10. *Hebr.* 1 3.

Aliquando Versus mutatur, & tunc notatur in Proprio.

Glória Patri, &c. (*resumitur*) Christe, &c.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos ; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Psal.* 43. 26.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DOmine Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos pervenire fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte ; ut in hac die ad nullum declinemus peccátum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigántur cogitatiónes & opera ; Per Dominū nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus,

ti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobiſcum,

℟. Et cum ſpíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretióſa in conſpéctu Dómini,

℟. Mors ſanctórum ejus. *Pſ. 115. 15. Et absolutè sine Oremus:*

SAncta María, & omnes ſancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & ſalvári, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvándum me feſtína. *Pſal. 69. 2.*

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

Glória Patri, &c.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, eléïſon.

Pater noſter, *secreto: altà voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Reſpice in ſervós tuos, Dómine, & in ópera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et ſit ſplendor Dómini Dei noſtri ſuper nos, & ópera mánuum noſtrárum dírige ſuper nos, & opus mánuum noſtrárum dírige. *Pſ. 89. 16. 17.* Glória Patri, &c.

ORÉMUS.

DIrígere & ſanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora noſtra, ſenſus, ſermónes, & actus noſtros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hic, & in ætérnum, te auxiliánte, ſalvi & líberi eſſe mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen.

Postea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges ſuas in mentem noſtram, & in corde noſtro ſuperſcríbat eas. *Hebr. 8. 10.* ℟. Amen.

Fit lectio Capituli, ut habetur in Proprio de Tempore, pro singulis diebus: in cujus fine dicitur: Tu autem, Dñe, miſerére noſtri. ℟. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit: ℣. Adjutórium noſtrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlũ & terrã. *Pſ. 123. 8.*

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & uſque in ſæculum. *Pſal. 112. 2.*

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram ſe, per Jeſum Chriſtum, cui eſt glória in ſæcula ſæculórum. ℟. Amen. *Hebr. 13. 20. 21.*

Secretò: Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

HYMNUS.

O Cháritas, quâ férvidus
Homo Dei fit párticeps!
Et méntium sis una lux,
Et unus ignis córdium.

Nos nulla labes ínquinet;
Nos nulla cæcet vanitas;
Diémque sacram diligens,
Te dante, fervor ímpleat.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

Ant. p. 1. *F.* Pórtio.

2. *Divisio Psalmi* 118.

LEgem pone mihi, Dómine, viam justificatiónum tuárum; * & exquíram eam semper.

Da mihi intelléctũ, & scrutábor legem tuã, * & custódiã illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, * quia ipsam vólui.

Inclína cor meũ in testimónia tua, * & non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem; * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum quod suspicátus sum; * quia judícia tua jucúnda.

Ecce cõcupívi mandáta tua; * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine, * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum; * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque; * quia in judíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper, * in sæculum & in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine; * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, * & non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua quæ diléxi; * & exercébar in justificatiónibus tuis. Glória Patri, &c.

3. *Divisio Psalmi* 118.

MEmor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea; * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníquè agébant usquequáque, * à lege autem tua non declinávi.

Memor fui judiciórum tuórum à sæculo, Dómine; * & consolátus sum.

Deféctio ténuit me * pro peccatóribus derelinquentibus legem tuam.

Cantabiles mihi erant jus-

tificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine, * & custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi; * quia justificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi, Custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuã in toto corde meo; * miserére mei secúndùm elóquium tuũ.

Cogitávi vias meas, * & convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, & non sum turbátus, * ut custódiam mandata tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me; * & legem tuã non sum oblítus.

Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super judícia justificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómniũ timéntium te, * & custodiéntium mandáta tua.

Misericórdiâ tuâ, Dómine, plena est terra; * justificatiónes tuas doce me.

Glória Patri, &c.

4. *Divisio Psalmi* 118.

BOnitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndùm verbum tuum.

Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; * quia mandátis tuis crédidi.

Priusquàm humiliárer ego delíqui; * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu; * & in bonitáte tua doce me justificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum; * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum; * ego verò legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me, * ut discam justificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui * super míllia auri & argénti.

Manus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me; * da mihi intelléctum, & discam mandáta tua.

Qui timent te, vidébunt me, & lætabúntur; * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, * & in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, & vivam; * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia injústè iniquitátem fecérunt in me; * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te, * & qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, * ut non confúndar. Glória, &c.

Ant. Pórtio mea, Dómine, dixi, Custodíre legẽtuã. *v.* 57.

Capitulum Hebr. 4. 9. 10.

FRatres, Relínquitur sabbatísmus pópulo Dei: qui enim ingréssus est in ré-

quiem ejus, étiam ipſe requiévit ab opéribus ſuis, ſicut à ſuis Deus. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Inclína cor meum, Deus, * In teſtimónia tua: *Repetitur.* Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem; in via tua vivífica me: (*Rep.*) In teſtimónia tua. Glória Patri, &c. (*Reſum.*) Inclína. *Pſ.* 118. 36. 37.

℣. Deduc me in ſémitam mandatórum tuórum;

℟. Quia ipſam volui. *Pſ.* 118. 35.

Oratio ut in Proprio.

AD SEXTAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

JAm ſolis aúreum jubar
Pleno corúſcat lúmine:
Tu vera, Chriſte, cláritas,
Noſtris refúlge ſenſibus.

O Dux ſalútis & via!
O vita! quos doces, rege:
Et quos regis, da cónſequi
Vitæ perénnis gaúdia.

Deo Patri ſit glória,
Ejúſque ſoli Filio,
Sancto ſimul cum Spíritu,
Nunc, & per omne ſæculum.
Amen.

Ant. t. 3. *E.* Adjuva me.

5. *Diviſio Pſalmi* 118.

DEfécit in ſalutáre tuum ánima mea, * & in verbum tuum ſuperſperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes; Quando conſoláberis me?

Quia factus ſum ſicut uter in pruina; * juſtificatiónes tuas non ſum oblitus.

Quot ſunt dies ſervi tui? * Quando fácies de perſequéntibus me judícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; * ſed non ut lex tua

Omnia mandáta tua véritas: * iníquè perſecúti ſunt me, ádjuva me.

Paulo minùs conſummavérunt me in terra; * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndùm miſericórdiam tuam vivífica me, * & cuſtódiam teſtimónia oris tui.

In æternum, Domine, * verbum tuum pérmanet in cœlo.

In generatiónem & generatiónem veritas tua: * fundáſti terram, & pérmanet.

Ordinatióne tuâ perſevérat dies; * quoniam omnia ſérviunt tibi.

Niſi quòd lex tua meditátio mea eſt, * tunc fortè periíſſem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblivíſcar juſtificatiónes tuas; * quia in ipſis vivificaſti me.

Tuus ſum ego, ſalvum me fac, * quóniam juſtificatiónes tuas exquisívi.

Me expectavérunt peccatóres ut pérderent me; * teſtimónia tua intelléxi.

Omnis conſummationis vidi finem; * latum mandátum tuum nimis. Gloria &c.

6. *Diviſio Pſalmi* 118.

QUómodo dilexi legem tuam, Dómine, * totâ die meditatio mea eſt.

Super inimicos meos pru-

déntem me fecísti mandáto tuo; * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi; * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi; * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * ut custódiam verba tua.

A judíciis tuis non declinávi, * quia tu legem posuísti mihi.

Quàm dúlcia faúcibus meis elóquia tua! * super mel ori meo.

A mãdátis tuis intelléxi; * proptérea odívi omnẽ viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * & lumen sémitis meis.

Jurávi & státui * custodíre judícia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine; * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine; * & judícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper, * & legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatores láqueum mihi, * & de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáre acquisívi testimónia tua in ætérnum; * quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem. Glória, &c.

7. *Divisio Psalmi* 118.

INíquos ódio hábui, * & legem tuam diléxi.

Adjútor & suscéptor meus es tu; * & in verbum tuum supersperávi.

Declinate à me, malígni; * & scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndùm elóquium tuum, & vivam; * & non confúndas me ab expectatióne mea.

Adjuva me, & salvus ero; * & meditábor in justificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes à judíciis tuis; * quia injústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ; * ideò diléxi testimónia tua.

Confige timóre tuo carnes meas; * à judíciis enim tuis tímui.

Feci judícium & justítiã; * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum; * non calumniéntur me superbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum; * & in elóquium justítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndùm misericórdiam tuam; * & justificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego; * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus f[illegible]ndi, Dómine; * dissip[illegible]runt legem tuam.

Ideò diléxi mandáta tua, * super aurum & topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar; * omnē viam iníquam ódio hábui. Glória, &c.

Ant. Adjuva me, & salvus ero; & meditábor in justificatiónibus tuis semper. *v.* 117.

Capitulum. Ephes. 5. 18 19.

FRatres, Impléмini Spíritu sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis, & hymnis, & cánticis spirituálibus, cantántes & psalléntes in córdibus vestris Dómino. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Confitébor tibi, Dómine, * In toto corde meo. (*Repet.*) Confitébor. ℣. In concílio justórū & congregatióne. (*Rep*) In toto. Glória. *Resúmitur* Confitébor. *Psalm.* 110. 1.

℣. Confitébor tibi in Ecclésia magna; ℟. In pópulo gravi laudábo te. *Ps.* 34. 18.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

HYMNUS.

REcédit inclínans dies;
Sic vita præceps lábitur:
Sanctus supérnam júgiter
Suspíret ardor pátriam.

Dic, Deus, quâ præcipis
Te diligámus plénius;
Nec ora cessent débitas
Grates canéndo solvere.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

Ant. t. 4. *E.* Aspice.

8. *Divisio Psalmi* 118.

MIrabília testimónia tua; * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat, * & intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, & attráxi spíritum; * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, & miserére meî, * secúndùm judícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndùm elóquium tuum, * & non dominetur meî omnis injustítia.

Rédime me à calúmniis hóminum; * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum, * & doce me justificatiónes tuas.

Exítus aquárum deduxérunt óculi mei; * quia non custodiérunt legem tuam.

Justus es, Dómine, * & rectum judícium tuum.

Mandásti justítiam testimónia tua, * & veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus; * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter; * & servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego, & contémptus; * justificatiónes tuas non sum oblítus.

Justítia tua, justítia in æ-

térnum; * & lex tua véritas.

Tribulátio & angústia invenérunt me; * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum; * intelléctum da mihi, & vivam. Glória, &c.

9. *Divisio Psalmi* 118.

CLamávi in toto corde meo, exaúdi me, Dómine; * justificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac, * ut custódiā mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, & clamávi; * quia in verba tua supersperávi.

Prævenerunt óculi mei ad te dilúculo, * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndùm misericórdiam tuam, Dómine, * & secúndùm judícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti; * à lege autem tuâ longè facti sunt.

Propè es tu, Dómine, * & omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis; * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, & éripe me; * quia legem tuam non sum oblitus.

Júdica judícium meum, & rédime me; * propter elóquium tuum vivífica me.

Longè à peccatóribus salus; * quia justificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine, * secúndùm judícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, & tríbulant me; * à testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, & tabescébam; * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine; * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia judícia justítiæ tuæ. Glória, &c.

10. *Divisio Psalmi* 118.

PRíncipes persecúti sunt me gratis; * & à verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua, * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, & abominátus sum; * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super judícia justítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam, * & non est illis scandalum.

Expectábam salutáre tuū, Dómine; * & mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua, * & diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, & testimónia tua; * quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine: * juxta elóquium tuū da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in

conspéctu tuo : * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cùm docúeris me justificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum; * quia omnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua, ut salvet me ; * quoniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine ; * & lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, & laudábit te ; * & judícia tua adjuvábunt me.

Errávi sicut ovis quæ périit ; * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus. Glória, &c.

Ant. Aspice in me, & miserére meî, & non dominétur mei omnis injustítia. *v.* 132. 133.

Capitulum. Hebr. 13. 15.

PEr Jesum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est, fructum labiórum confiténtiū nómini ejus.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Cantábiles mihi erant * Justificatiónes tuæ. (*Repetitur*) Cantábiles, ℣. In loco peregrinatiónis meæ, (*Repet.*) Justificatiónes tuæ. Gloria (*Resum.*) Cantábiles *Ps.* 118. 54.

℣. Sépties in die laudem dixi tibi, ℟. Super judícia justítiæ tuæ. *Ps.* 118. 164.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium.

Ant. t. 1. *D.* Dixit Dñs.

PSALMUS 109.

Christi generatio, sacerdotium, & potestas.

DIxit Dóminus Dómino meo : * Sede à dextris meis,

Donec ponam inimícos tuos * scabellū pedū tuórum.

Virgam virtútis tuæ emittet Dóminus ex Sion : * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum : * Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in nationibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórū.

De torrénte in via bibet ; * proptérea exaltábit caput.

Glória Patri, &c.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo : Sede à dextris meis. *v.* 1.

Ant. t. 4. *D.* Fidélia.

PSALMUS 110.

Laus Deo qui Ecclesiæ tot beneficia contulit.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, * in concílio justórum & congregatióne.

Magna opera Dñi, * exquisíta in omnes volūtátes ejus.

Conféssio & magnificéntia opus ejus, * & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum misericors & miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hæreditátem géntiũ. * Opera mánuum ejus véritas & judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte & æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo, * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum & terríbile nomen ejus: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Ant. Fidélia ómnia mandáta ejus, confirmáta in sæculum sæculi. *v.* 8.

Ant. t. 5. Qui timet.

PSALMUS III.

Justo prosperantur omnia, impio tabescente.

BEátus vir qui timet Dóminum, * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicétur.

Glória & divítiæ in domo ejus; * & justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in ténebris lumen rectis; * miséricors, & miserátor, & justus.

Jucundus homo qui miserétur & cómmodat, dispónet sermones suos in judicio; * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus; * ab auditione mala non timébit.

Parátum cor ejus speráre in Dño, confirmátum est cor ejus; * non commovebitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi; * cornu ejus exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, & irascétur, déntibus suis fremet & tabéscet; * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis ejus volet nimis. *v.* 1.

Ant. t. 7. *C.* Sit nomen Dómini.

PSALMUS II2.

Deus super omnia excelsus, & exaltans humiles.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum * laudábile nomẽ Dñi.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, *

& humília réspicit in cœlo & in terra ?

Súscitans à terra ínopem, * & de stércore érigens paúperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula. ℣. 2.

Ant. t. 1. irreg. Nos qui vívimus.

PSALMUS 113.

Dei potentia : Idolorum vanitas.

IN éxitu Israel de Ægypto, * domûs Jacob de pópulo barbaro,

Facta est Judæa sanctificátio ejus, * Israel potéstas ejus.

Mare vidit, & fugit; * Jordánis convérsus est retrórsum.

Montes exultavérunt ut aríetes, * & colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quòd fugísti ? * & tu, Jordánis, quia convérsus es retrórsum ?

Montes, exultástis sicut aríetes, * & colles, sicut agni óvium ?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei Jacob,

Qui convértit petram in stagna aquárum, * & rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nómini tuo da glóriam super misericórdia tua & veritáte tua;

Nequándo dicant gentes : * Ubi est Deus eórum ?

Deus autem noster in cœlo; * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium, argéntum & aurum, * ópera mánuum hóminum :

Os habent, & non loquéntur; * óculos habent, & non vidébunt;

Aures habent, & non aúdient; * nares habent, & non odorábunt;

Manus habent, & non palpábunt; pedes habent, & non ambulábunt; * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea, * & omnes qui confídunt in eis.

Domus Israel sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Domus Aáron sperávit in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino; * adjútor eórum & protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostrî, * & benedíxit nobis.

Benedíxit dómui Israel, * benedíxit dómui Aáron.

Benedíxit ómnibus qui timent Dóminum, * pusíllis cum majóribus.

Adjíciat Dóminus super vos, * super vos, & super fílios vestros.

Benedícti vos à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Cœlum cœli Dómino; *

terram autem dedit filiis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine; * neque omnes qui descéndunt in inférnum:

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

Ant. Nos qui vívimus, benedícimus Dómino. *v.* 18.

Capitulum. Ephes. 1. 3.

BEnedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli, in cœléstibus, in Christo. ℟. Deo grátias.

HYMNUS.

LAudum litémus hóstias,
Plebs sancta, te dies vocat,
Quam tot Deus miráculis
Sibi dicátam præcipit.

Primâ diérum, quâ Pater
Verbo fit orbis ártifex,
Vult: terra, cœlum náscitur,
Et lux vocáta prósilit.

Vitæ renáscens hâc die,
Te de sepúlchro súscitas,
O Christe! tanto nos decet
Lætos triúmpho plaudere.

Hâc luce, terris, prævio
Ades fragóre, Spíritus,
Flammâ cadente, grátiæ
Mundo refúndens múnera.

Diem diérum príncipem
Tibi, Deus, quam víndicas
Fac tota sit præconio
Tui sacráta nóminis.

Hymnos veréndo númini
Cantáre, sit solus labor:
Nec sancta turbet ótia
Vani tumúltus sæculi.

Qui nos creávit, laus Patri,
Laus, qui redémit, Fílio,
Qui charitáte nos foves,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea, ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo. *Ps.* 140. 2.

Antiph. in Proprio.

Canticum B. M. V. Luc. 1.

MAgníficat * ánima mea Dóminum;

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo;

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes;

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus:

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo; * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis; * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerũ suũ, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham, & sémini ejus in sæcula. Glória.

Oratio conveniens.

Fiunt commemorationes, si quæ faciendæ sunt.

Completorium, ut infra post Vesp. Sabb.

FERIA SECUNDA.

Dixit Deus: Fiat firmamentum. Gen. I.

OFFICII FINIS.

Creator Deus in sua omnipotentia adorandus: hinc timor Domini.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea.

Deus, in adjutórium, &c. *ut in Dominicâ, & sic in cæteris Feriis.*

Invitator. Unus est Altíssimus, Creátor omnípotens;* Veníte, adorémus. *Eccli. I. 8. Psalm. 94.* Veníte.

In Feriis & aliis Officiis trium Lectionum, novem Psalmi positi ad singulas Ferias, dicuntur per modum unius Nocturni. In Officiis autem novem Lectionum, iidem Psalmi dicuntur sub novem Antiphonis de Proprio vel de Communi, & Lectionibus post unumquodque Nocturnum dicendis.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. I. D. Quàm admirabile.

PSALMUS 8.

In operibus suis mirabilis Dominus.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos; * ut déstruas inimícum & ultorē.

Quóniā vidébo cœlos tuos, ópera digitórū tuórū; * lunā & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quoniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronásti eum, * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi.

Volucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Domine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

PSALMUS 18.

Creaturæ omnes omnipotentiam Creatoris prædicant.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * & nox nocti índicat sciéntiā.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum; * & ipse, tamquā sponsus procédens de thálamo suo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à summo cœlo egréssio ejus;

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testi-

mónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: * præceptum Domini lúcidum, illúminans oculos.

Timor Domini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Domini vera, justificata in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multum; * & dulciora super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant eloquia oris mei, * & meditátio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 32.

Creatorem suum timeat omnis terra: ipse benignè saluti justorum invigilat.

EXultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara; * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatione;

Quia rectum est verbum Domini; * & omnia ópera ejus in fide.

Díligit misericórdiam & judíciũ: * misericordiâ Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmáti sunt; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Congregans sicut in utre aquas maris; * ponens in thesaúris abyssos.

Tímeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem;

Quóniam ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandavit, & creáta sunt.

Dominus díssipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consilium autem Domini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generationem.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus; * pópulus quē elégit in hæreditátē sibi.

De cœlo respéxit Dóminus; * vidit omnes fílios hominum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes qui hábitant terram;

Qui finxit singillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salutem; * in abundántia autem virtú-

tis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Domini super metuéntes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus;

Ut éruat à morte ánimas eórum, * & alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dominum; * quóniam adjútor & protector noster est;

Quia in eo lætábitur cor nostrũ, * & in nómine sancto ejus sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Quàm admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra! *Ps.* 8. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 1. 5. Annunti bunt.

PSALMUS 49.

Dominium Dei in omnia: non ex cæsis victimis, sed ex animi puritate judicandi homines.

DEus deórum Dóminus locútus est; * & vocávit terram à solis ortu usque ad occásum.

Ex Sion spécies decóris ejus. * Deus manifestè véniet: Deus noster, & non silébit.

Ignis in conspéctu ejus exardéscet; * & in circúitu ejus tempéstas válida.

Advocábit cœlum desúrsum, & terram, * discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos ejus, * qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia.

Et ãnuntiabũt cœli justítiã ejus; * quoniã Deus judex est.

Audi, pópulus meus, & loquar; Israel, & testificábor tibi; * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te; * holocaústa autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos, * neque de grégibus tuis hircos;

Quóniam meæ sunt omnes feræ sylvárum, * juménta in móntibus & boves.

Cognóvi ómnia volatília cœli; * & pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi; * meus est enim orbis terræ & plenitúdo ejus.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sanguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis; * & redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, & honorificábis me.

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras justítias meas, & assúmis testaméntum meum per os tuũ?

Tu verò odísti disciplínam, * & projecísti sermónes meos retrorsùm.

Si vidébas furem, currébas cum eo; * & cum adúlteris portionem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítiâ, * & lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsùs fratrem tuum loquebáris, & adversùs

mónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præceptum Domini lúcidum, illúminans oculos.

Timor Domini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificata in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiosum multum; * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero, * & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant eloquia oris mei, * & meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Domine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 32.

Creatorem suum timeat omnis terra: ipse benignè saluti justorum invigilat.

EXultáte, justi, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara; * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatione;

Quia rectum est verbum Domini; * & omnia ópera ejus in fide.

Diligit misericórdiam & judíciū: * misericordiâ Domini plena est terra.

Verbo Domini cœli firmáti sunt; * & spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Congregans sicut in utre aquas maris; * ponens in thesaúris abyssos.

Tímeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem;

Quóniam ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandavit, & creáta sunt.

Dominus díssipat consília géntium; * réprobat autem cogitatiónes populórum, & réprobat consília príncipum.

Consílium autem Domini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis ejus in generatiónem & generationem.

Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus; * pópulus quē elégit in hæreditátē sibi.

De cœlo respéxit Dominus; * vidit omnes fílios hominum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes qui hábitant terram;

Qui finxit singillátim corda eórum; * qui intélligit ómnia ópera eorum.

Non salvátur rex per multam virtútem; * & gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem; * in abundántia autem virtú-

Deus judex est. *Ps.* 49. 6.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1.6. Memor ero.

PSALMUS 76.

Consolatio spiritalis ex operibus Dei sumpta.

VOce meâ ad Dóminum clamávi; * voce meâ ad Deum, & inténdit mihi.

In die tribulationis meæ Deum exquisivi, mánibus meis nocte contra eum; * & non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea; * memor fui Dei, & delectátus sum, & exercitátus sum, & defecit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei; * turbátus sum, & non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos, * & annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * & exercitábar, & scopébam spíritū meum.

Numquid in ætérnum projíciet Deus? * aut non appónet ut complacitior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * à generatióne in generatiónē?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continebit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi : Nunc cœpi; * hæc mutátio dexteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini; * quia memor ero ab initio mirabílium tuórum;

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis, * & in adinventiónibus tuis exercebor.

Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtutem tuam; * redemísti in bráchio tuo pópulum tuū, fílios Jacob, & Joséph.

Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, & timuérunt; * & turbátæ sunt abyssi.

Multitúdo sónitûs aquárum; * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt; * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ; * commóta est, & contremuit terra.

In mari via tua, & sémitæ tuæ in aquis multis; * & vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum; * in manu Móysi & Aaron.

PSALMUS 81.

Diis terræ excelsior, & eorum judex Dominus

DEus stetit in Synagóga deórum; * in médio autem deos dijúdicat.

Usquequò judicátis iniquitátem, * & fácies peccatórum súmitis?

Judicáte egéno & pupíllo; * húmilem & páuperem justificate.

Erípite páuperē, * & egénū de manu peccatoris liberáte.

Nesciérunt,

Nesciérunt, neque intellexérunt, in tenebris ambulant: * movebúntur omnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * & filii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini, * & sicut unus de príncipibus cadetis.

Surge, Deus, júdica terram; * quóniam tu hæreditabis in ómnibus géntibus.

PSALMUS 96.

Sculptilium vanitas: soli Deo laus, quia solus Dominus.

Dominus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet, * & inflammabit in circúitu inimícos ejus.

Illuxerunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a facie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundantur omnes qui adórant sculptília, * & qui gloriantur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & lætáta est Sion;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram; * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custodit Dóminus animas sanctórum suórum; de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est justo, * & rectis corde lætitia.

Lætámini, justi, in Dómino, * & confitémini memóriæ sanctificationis ejus.

Ant. Memor ero ab inítio mirabílium tuórum: & meditábor in ómnibus opéribus tuis. *Ps.* 76. 12. 13.

℣. Quis Deus magnus sicut Deus noster?

℞. Tu es Deus qui facis mirabília. *Ps.* 76. 14. 15.

Pater noster, *secretò*:

℣. Et ne nos indúcas, &c.

Absol. Benedict. ut post Psalterium. Lectiones & ℞. ℞. ℞. ut in Proprio: & sic in cæteris Feriis.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdo.* In matutínis, Dómine, meditábor in te;

℞. Quia fuísti adjútor meus. *Ps.* 62. 7. 8.

℣. Deus, in adjutórium, &c. *Et sic in omnibus Feriis.*

Ant. 1. 4. *B.* Quàm magnificáta sunt.

PSALMUS 91.

Collaudandus Deus, quia in operibus magnificus, & in judiciis justus judex.

Bonum est confitéri Dómino, * & psállere nómini tuo, Altíssime;

Ad annuntiándũ manè misericórdiam tuam, * & ve-

ritátem tuam per noctem,

In decachórdo psaltério, * cum cántico in cíthara;

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua, * & in opéribus mánuum tuárum exultábo.

Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ:

Vir insípiens non cognóscet, * & stultus non intélliget hæc.

Cùm exórti fúerint peccatóres sicut fœnum, * & apparúerint omnes qui operàntur iniquitátem, ut intéreant in sæculum sæculi.:

Tu autem Altíssimus * in ætérnum, Dómine:

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt, * & dispergéntur omnes qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum, * & senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos; * & in insurgéntibus in me malignántibus aúdiet auris mea.

Justus ut palma florébit, * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * & benè patiéntes erunt,

Ut annúntient; quóniam rectus Dóminus Deus noster, * & non est iníquitas in eo.

Ant. Quàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ. *v.* 6.

Ant. t. 3. *E.* Dómini.

PSALMUS 23.

Dei in omnia dominium, & regnum.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo;

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dñus virtútũ ipse est rex glóriæ.

Ant. Dómini est terra, & plenitúdo ejus; orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo. *v.* 1.

Ant. *t.* 7. *C.* Dóminus.

PSALMUS 46.

Deus omnis terræ Dominus: ipsi psallendum.

OMnes gentes, plaúdite mánibus; * jubiláte Deo in voce exultatiónis;

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis; * Rex magnus super omnem terram.

Subjécit pópulos nobis, * & gentes sub pédibus nostris.

Elegit nobis hæreditátem suam, * spéciem Jacob quam diléxit.

Ascéndit Deus in júbilo, * & Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite; * psállite Regi nostro, psállite.

Quóniam Rex omnis terræ Deus, * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham; * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Dóminus excélsus, terríbilis; Rex magnus super omnem terram. *v.* 3.

Ant. *t.* 5. Non est sanctus.

CANTICUM ANNÆ. I. *Reg.* 2.

EXultávit cor meum in Dómino; * & exaltátum est cornu meum in Deo meo.

Dilatátum est os meum super inimícos meos; * quia lætáta sum in salutári tuo.

Non est sanctus, ut est Dóminus; neque enim est álius extra te; * & non est fortis sicut Deus noster.

Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes.

Recédant vetera de ore vestro; quia Deus scientiárum Dominus est; * & ipsi præparantur cogitatiónes.

Arcus fortium superátus est, * & infirmi accíncti sunt róbore.

Repléti priùs, pro pánibus se locavérunt; * & famélici saturáti sunt,

Donec stérilis péperit plúrimos; * & quæ multos habébat filios, infirmáta est.

Dóminus mortíficat, & vivíficat, * dedúcit ad ínferos, & redúcit.

Dóminus paúperem facit & ditat; * humíliat & súblevat.

Súscitat de púlvere egénum, * & de stercore élevat paúperem,

Ut sédeat cum princípibus, * & solium glóriæ téneat.

Dómini enim sunt cárdines terræ, * & pósuit super eos orbem.

Pedes sanctórum suórum servábit, & ímpii in ténebris conticéscent; * quia non in fortitúdine suâ roborábitur vir.

Dóminum formidábunt adversárii ejus; * & super ipsos in cœlis tonábit.

Dóminus judicábit fines terræ, * & dabit impérium

regi suo, & sublimábit cornu Christi sui. Gloria.

In Festis dicitur Canticum sequens. 1. *Paralip.* 29. 10.

Ant. Non est sanctus, ut est Dóminus : non est fortis sicut Deus noster. 1. *Reg.* 2. 2.

BEnedíctus es, Dómine, Deus Israel patris nostri * ab ætérno in ætérnum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, & poténtia, & glória, atque victória; * & tibi laus:

Cuncta enim quæ in cœlo sunt, & in terra, * tua sunt:

Tuum, Dómine, regnum; * & tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, & tua est glória : * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus & poténtia : * in manu tua magnitúdo, & impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * & laudámus nomen tuum ínclytum. Glória.

Ant. t. 1. *D.* Senes cum junióribus.

PSALMUS 148.

Ad laudandum Creatorem suum, invitantur omnes creaturæ.

LAudáte Dóminum, de cœlis; * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli ejus; * laudáte eum, omnes virtútes ejus;

Laudáte eum, sol & luna; * laudáte eum, omnes stellæ & lumen;

Laudáte eum, cœli cœlórum; * & aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Dómini;

Quia ipse dixit, & facta sunt; * ipse mandávit & creata sunt.

Státuit ea in ætérnum, & in sæculum sæculi · * præcéptum pósuit & non præteríbit.

Laudáte Dóminum, de terra, * dracónes, & omnes abyssi;

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum, * quæ fáciunt verbum ejus;

Montes, & omnes colles, * ligna fructífera, & omnes cedri;

Béstiæ, & univérsa pécora, * serpéntes, & vólucres pennátæ;

Reges terræ, & omnes pópuli, * príncipes, & omnes júdices terræ;

Júvenes, & vírgines, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini; * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum & terram; * & exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus, * filiis Israel, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Senes cum junióribus laudent nomen Dómini; quia exaltátum est nomen ejus solíus. *v.* 12. 13.

Capitulum. Judith. 16. 16. 17.

DOmine, magnus es tu, & præclárus in virtúte

tua, & quem superáre nemo potest; tibi sérviat omnis creatúra; quia dixísti, & facta *sunt*: misísti spíritum tuum, & creata sunt. ℟. Deo grátias.

℣. Timor Dómini sanctus, ℟. Pérmanens in sæculum sæculi. *Ps.* 18. 10.

Ad Bened. Ant. t. 3. *A.* De manu.

Canticum Zachariæ. Luc. 1.

Benedíctus Dóminus, &c.

Ant. De manu inimicórum nostrórum liberati, serviámus illi. *v.* 74.

In Feriis Adventûs & Quadragesimæ, & in Vigiliis, Preces dicuntur flexis genibus, ut infra.

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster *secreto*: ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem;

℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére meî; ℟. Sana ánimam meam; quia peccávi tibi. *Psal.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úsquequo; ℟. Et deprecábilis esto super servos tuos. *Ps.* 89. 13.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam, ℟. Et sancti tui exúltent. *Ps.* 131. 9.

℣. Dómine, salvum fac Regem; ℟. Et exaúdi nos in die quâ invocavérimus te. *Ps.* 19. 10.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & benedic hæreditáti tuæ; ℟. Et rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. *Ps.* 27. 9.

℣. Meménto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio. *Ps.* 73. 2.

℣. Fiat pax in virtúte tua; ℟. Et abundántia in túrribus tuis. *Ps.* 121. 7.

℣. Orémus pro frátribus nostris abséntibus: ℟. Mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te. *Ps.* 16. 7.

℣. Pro infírmis, afflíctis, & captívis. ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis. ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Matth.* 4. 16. *Mich.* 7. 9.

Deinde dicitur Psalmus De profúndis: *& in fine* Glória Patri: *in Vesperis illius loco, dicitur*: Miserére, *post Psalmum dicitur*:

℣. Dómine, Deus virtútum, convérte nos; ℟. Et osténde fáciem tuam, & salvi érimus. *Ps.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuũ. *Ps.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

Dicto, Benedicámus, *fiunt*

AD PRIMAM.

Pater. Ave.

℣. Deus, in adjutórium, &c.

Et sic in cæteris Horis & Feriis.

HYMNUS.

MUndo renáscens sol, novo
Terris recúrrit lúmine:
O Christe, lux & véritas!
Nostris oríre sémitis.

Tu, spes salútis, áctuum
Sis finis, & primórdium:
Te prosequámur aúspice,
Quæ, te favénte, cœpimus.

Ne lege membris insitâ
Victus gravétur spíritus,
Tuo salúbri pércitas
Carnes timóre cómprime.

Curas geret dum plúrimas
Foris minístrans dextera;
Cor intus ad te pérvigil
Suspíret ætérnas domos.

Orbem voléndo qui creas,
Tibi, Pater, cum Fílio
Sancto simul cum Spíritu,
Sit summa laus in sæcula.

Ant. t. I. *F.* Narrábo.

PSALMUS 9.

Mirabilis in operibus Deus: impiorum eversor; & defensor pauperum.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor & exultábo in te; * psallam nómini tuo, Altíssime,

In converténdo inimícum meum retrórsum: * infirmabúntur, & períbunt à fácie tua;

Quóniam fecísti judícium meum, & causam meam: * sedísti super thronum, qui júdicas justítiam.

Increpásti gentes, & périit ímpius: * nomen eórum delésti in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem; * & civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu; * & Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in judício thronum suum; * & ipse judicábit orbem terræ in æquitáte, judicábit pópulos in justítia.

Et factus est Dóminus refúgium paúperi; * adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te, qui novérunt nomen tuum; * quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

Psállite Dómino qui hábitat in Sion; * annuntiáte inter gentes stúdia ejus;

Quoniam requírens sánguinem eórum recordatus est: * non est oblítus clamórem paúperum.

Glória Patri, &c.

DIVISIO PSALMI 9.

MIserére mei, Dómine; * vide humilitátem meam de inimícis meis,

Qui exáltas me de portis mortis; * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exultábo in salutári tuo: * infixæ sunt gentes in intéritu quem fecérunt.

In láqueo isto quem ab-

scondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus judícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccator.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit paúperis? * patiéntia paúperum non períbit in finem.

Exúrge, Dómine, non confortétur homo: * judicéntur gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos; * ut sciant gentes quóniã hómines sunt.

Glória Patri, &c.

ALTERA DIVISIO PSALMI 9.

UT quid, Dómine, recessísti longè, * déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant;

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ, * & iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminũ peccátor, * secúndùm multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu ejus; * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur judícia tua à fácie ejus: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor à generatióne in generatiónem sinè malo.

Cujus maledictióne os plenum est, & amaritúdine, & dolo: * sub lingua ejus labor & dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocentem.

Oculi ejus in paúperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat paúperem; * rapere paúperem dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum; * inclinábit se, & cadet, cùm dominátus fúerit paúperum.

Dixit enim in corde suo; Oblítus est Deus; * avértit fáciem suam, ne vídeat in finem.

Exúrge, Dómine Deus exaltétur manus tua: * ne obliviscáris paúperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requiret.

Vides, quóniam tu labórem & dolórem consíderas, * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper; * órphano tu eris adjútor.

Cóntere bráchium peccatóris & maligni; * quærétur peccátum illíus, & non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum, & in sæculum sæculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium paúperũ exaudívit Dóminus; * præpara-

tiónem cordis eórum audívit auris tua;

Judicáre pupíllo & húmili, * ut non appónat ultrà magnificáre se homo super terram.

Ant. Narrábo ómnia mirabília tua; psallam nómini tuo, Altíssime. *v.* 3. 2.

In Festis dicitur Capitulum I. *Tim.* I. 17.

Regi sæculórum immortáli, invisíbili, soli Deo honor & glória in sæcula sæculórum. Amen. ℟. Deo grátias.

In feriali Officio Capitulum. Isa 45. 11. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus sanctus Israel; Ego feci terram; & hóminem super eam creávi ego: manus meæ tetendérunt cœlos, & omni milítiæ eórum mandávi: ego suscitávi eum ad justítiam, & omnes vias ejus dírigam. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Christe Fili Dei vivi, * Miserére nobis (*Repetitur*) Christe, ℣. Qui sedes ad déxteram Patris; (*Repetitur*) Miserére. Glória. (*Resumitur*) Christe. *Matt.* 16. 16. *Tob.* 8. 10. *Heb.* I. 3.

Quando mutatur Versus, id notatur in Proprio.

℣. Exúrge, Dómine, ádjuva nos; ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Psalm.* 43. 26.

P R E C E S.

In Feriali Officio, in Simplici, in Semiduplici dicuntur Preces ad Primam: Quando autem Preces dictæ sunt ad Laudes, sequentes dicuntur flexis genibus:

KYrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater, *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. Credo in Deum. *Secreto:*

℣. Carnis resurrectiónem:

℟. Vitam ætérnã. Amen.

℣. Et ego ad te, Dómine, clamávi; ℟. Et manè orátio mea prævéniet te. *Ps.* 87. 14.

℣. Repleatur os meum laude, ℟. Ut cantem glóriam tuam, totâ die magnitúdinem tuam. *Ps.* 70. 8.

℣. Avérte fáciem tuã à peccátis meis, ℟. Et omnes iniquitátes meas dele. *Ps.* 50. 11.

℣. Cor mundum crea in me, Deus; ℟. Et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis. *Ps.* 50. 12.

℣. Ne projícias me à fácie tua; ℟. Et spíritum sanctum tuum ne aúferas à me. *Ps.* 50. 13.

℣. Redde mihi lætítiam salutáris tui; ℟. Et spíritu principáli confírma me. *Psalm.* 50. 14.

Adjutórium, &c. *ut infra.*

Quando Preces dicuntur flexis genibus adduntur sequentes ℣. ℣.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo; ℟. A viro iníquo éripe me. *Ps.* 139. 2.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus; ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me. *Ps.* 58. 2.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi, ℟: Ut reddam vota mea de die in diem. *Ps.* 60. 9.

℣. Dírige me, Dómine, in veritáte tua, & doce me; ℟. Quia tu es Deus salvator meus. *Ps.* 24. 5.

℣. Deus, in adjutórium meum inténde; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festína. *Ps.* 69. 2.

℣. Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, ℟. Et misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt. *Ps.* 24. 6.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino, ℟. Et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. *Ps.* 102. 1.

℣. Bénedic, ánima mea, Dómino; ℟. Et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. *Ps.* 102. 2.

℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, ℟ Qui sanat omnes infirmitátes tuas. *Ps.* 102. 3.

℣. Qui rédimit de intéritu vitam tuam, ℟. Qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus. *Ps.* 102. 4.

℣. Qui replet in bonis desidérium tuum; ℟. Renovábitur ut áquilæ juvéntus tua. *Ps.* 102. 5.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dñi, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123. 8.

Hebdomadarius facit confessionem, mediocri voce dicens:

Confíteor Deo omnipoténti beátæ Maríæ semper Vírgini, beáto Michaéli Archángelo, beáto Joánni Baptístæ, sanctis Apóstolis Petro & Paulo, ómnibus Sanctis, (& vobis fratres;) quia peccavi nimis cogitatióne, verbo, & ópere, Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem, beátum Michaelem Archángelum, beátum Joannē Baptistam, sanctos Apostolos Petrum & Paulum, omnes Sanctos (& vos fratres,) orare pro me ad Dóminum Deum nostrum.

Chorus dicit:

Misereátur tuî omnípotens Deus; & dimissis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam. *Hebdomadarius respondet.* Amen.

Deinde Chorus facit confessionem dicens: Confíteor Deo, &c. *& ubi dictum est,* Vobis fratres, *dicit* Tibi pater, & ubi dictum est vos fratres dicit: te pater.

Facta confessione à Choro. Hebdomadarius dicit:

Misereátur vestrî omnípotens Deus; & dimíssis peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

Indulgéntiam, absolutiónem & remissiónem peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípo tens & miséricors Dóminus. ℟. Amen.

Elevans vocem Hebdomadarius dicit:

℣. Exáudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes óm-

nium finium terræ. *Ps.* 64. 6.

℣. Miserére nostri, Dómine, ℟. Miserére nostri. *Ps.* 122. 3.

℣. Fiat misericórdia tua, Dñe, super nos; ℟. Quemádmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Psalm.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

OREMUS.

DOmine, Deus omnípotens, qui ad princípium hujus diéi nos perveníre fecísti, tuâ nos hódie salva virtúte; ut in hac die ad nullum declinémus peccátũ, sed semper ad tuam justítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes & ópera; Per Dóminum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Deinde in Choro legitur Martyrologium. Quo lecto Hebdomadarius dicit:

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini, ℟. Mors sanctórum ejus. *Ps.* 115. 15. *Et absolutè sinè Oremus.*

SAncta María, & omnes sancti intercédant pro nobis ad Dóminum; ut nos mereámur ab eo adjuvári, & salvári, qui vivit & regnat in sæcula sæculórũ. ℟. Amen.

℣. Deus, in adjutórium meũ intende; ℟. Dómine, ad adjuvandum me festina. *Psal.* 69. 2.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Dómine, &c.

℣. Deus, in adjutórium, &c. ℟. Domine, &c.

Gloria Patri, &c.

Kyrie, eleíson. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster, *secretò, altâ voce:* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Réspice in servos tuos, Dómine, & in opera tua, & dírige fílios eórum.

℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, & ópera mánuum nostrárum dírige super nos, & opus mánuum nostrárum dírige. *Ps.* 89. 16. 17. Glória Patri, &c.

OREMUS.

DIrígere & sanctificáre, régere & gubernáre dignáre, Dómine Deus, Rex cœli & terræ, hódie corda & córpora nostra, sensus, sermónes, & actus nostros in lege tua, & in opéribus mandatórum tuórum; ut hîc, & in ætérnum, te auxiliánte, salvi & líberi esse mereámur, Salvátor mundi; Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Benedictio. Det Dóminus leges suas in mentem nostram, & in corde nostro superscríbat eas. *Heb.* 8. 10. ℟. Amen.

Fit lectio Capitonis, ut habetur in Proprio de Tempo : , pro singulis diebus: in cujus fine dicitur : Tu autem, Dñe, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Deinde Hebdomadarius dicit : ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ℟. Qui fecit cœlum & terram. *Psalm.* 123. 8.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & usque in sæculum. *Psalm.* 112. 2.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo gratias.

Benedictio. Deus pacis aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem, fáciens in vobis quod pláceat coram se, per Jesum Christum, cui est glória in sæcula sæculórum. ℟. Amen. *Heb.* 13. 20. 21.

Secretò : Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

AUctor sacrórum múnerum,
Precámur, alme Spíritus,
Si quando curæ distrahunt,
Nusquã malis nos ímplicent.

Densis in umbris náscimur;
Cæcos ab ortu súscipe :
Tuámque funde gratiam
Nostro medelam vúlneri.

Sit laus Patri, laus Fílio;
Par sit tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes sacris
Lucent, & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. *t.* 3. *D.* Quis Deus.

PSALMUS 17.

Quanta prodigia operatus est Deus, cum Christo & Ecclesiæ de inimicis suis victoriam dedit.

DIligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dñus firmaméntũ meũ, & refúgium meum, & liberátor meus.

Deus meus adjútor meus, * & sperabo in eum.

Protéctor meus, & cornu salutis meæ, * & suscéptor meus.

Laudans invocábo Dóminum; * & ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & torréntes iniquitátis cõturbavéruntme.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatione mea invocávi Dóminum, * & ad Deum meum clamávi;

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam; * & clamor meus in conspectu ejus introívit in aures ejus.

Commóta est & contrémuit terra: fundaménta móntium conturbata sunt, & cõmota sunt, * quoniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira ejus, & ignis à facie ejus exársit: * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cœlos, & descéndit : * & calígo sub pédibus ejus.

Et ascéndit super Chérubim, & volávit * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu ejus tabernáculum ejus: * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conspéctu ejus nubes transiérunt; * grando & carbónes ignis.

Et intónuit de cœlo Dóminus, & Altíssimus dedit vocem suam: * grando & carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, & dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, & conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * & reveláta sunt fundaménta orbis terrárum,

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritûs iræ tuæ.

Glória Patri, &c.

Divisio Psalmi 17.

MIsit de summo (Dóminus,) & accépit me; * & assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, & ab iis qui odérunt me; * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ; * & factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * & secúndùm puritátem mánuum meárũ retríbuet mihi.

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpiè gessi à Deo meo;

Quóniam ómnia judícia ejus in conspéctu meo, * & justítias ejus non repuli à me.

Et ero immaculátus cum eo, * & observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndùm justítiam meam, * & secúndùm puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum ejus.

Cum sancto sanctus eris, * & cum viro innocénte ínnocens eris:

Et cum elécto eléctus eris, * & cum pervérso pervertéris;

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies, * & óculos superbórum humiliábis;

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine, * Deus meus illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar à tentatióne, * & in Deo meo transgrédiar murum.

Glória Patri, &c.

Altera divisio Psalmi 17

DEus meus, impollúta via ejus; elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se;

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus qui præcínxit me virtúte, * & pósuit immaculátam viam meam;

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * & super excélsa státuens me;

Qui docet manus meas ad prælium: * & posuísti ut

arcum æreum bráchia mea;

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ; * & déxtera tua suscépit me.

Et disciplína tua corréxit me in finem; * & disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me, * & non sunt infirmáta vestígia mea.

Pérsequar inimícos meos, & comprehéndam illos; * & non convértar donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare; * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum; * & supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * & odiéntes me dispérdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret: * ad Dóminum; nec exaudívit eos.

Et comminúam eos, ut púlverem ante faciem venti, * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli; * constítues me in caput géntium.

Pópulus quem non cognóvi, servívit mihi; * in audítu auris obedívit mihi.

Filii aliéni mentíti sunt mihi, * fílii aliéni inveteráti sunt, & claudicavérunt à sémitis suis.

Vivit Dóminus, & benedíctus Deus meus; * & exaltétur Deus salútis meæ.

Deus qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me; * à viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine; * & nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes regis ejus, * & fáciens misericórdiam christo suo David, & sémini ejus usque in sæculum.

Ant. Quis Deus præter Dóminum? aut quis Deus præter Deum nostrum? *v.* 32.

Capitulum Apoc. 14. 7.

Timéte Dóminum, & date illi honórem; & adoráte eum, qui fecit cœlum, & terram, mare & fontes aquárum. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; confiteántur tibi * Pópuli omnes. (*Repet.*) Confiteántur. ℣. Et métuant eum omnes fines terræ: (*Repet.*) Pópuli. Glória. (*Resum.*) Confiteántur. *Ps.* 66. 6. 8.

℣. Sanctum & terríbile nomen ejus:

℟. Inítium sapiéntiæ timor Dómini. *Ps.* 110. 9. 10.

Quando ad Laudes dictæ sunt Preces; tunc ad Tertiam, & alias Horas breves, flexis genibus dicitur:

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater, *secretò*: Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos, ℟. Et osténde faciem tuam; & salvi érimus. *Ps.* 79. 20.

℣. Exúrge, Dñe, ádjuva nos, ℟. Et rédime nos propter nomen tuum. *Ps.* 43. 26.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio conveniens.

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo gratias.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

Qui solis accéndis faces,
Tu, splendor ætérni Patris,
Fili, tibi nos cónsecra
Amóris igne víctimas.

Regnet remótis lítibus,
Per te redux concórdia:
Sacróque fratres cháritas
Connéctat omnes fœdere.

Ætérna laus & glória
Uni sit, & Trino Deo:
Pacísque det nos mútuæ
Gaudere vinctos nexibus.
Amen.

PSALMUS 101.

Ant. *t.* 4. *B.* Tu Dómine.

Vita brevis & misera: solus, qui ab initio terram fundavit, Deus immutabilis.

Domine, exaúdi oratiónem meã; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacumque die tríbulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exaúdi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, & áruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis; * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi; * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant;

Quia cínerem tamquam panem manducabam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia elevãs allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes, * & memoriále tuum in generatiónem & generationem.

Glória Patri, &c.

Divisio Psalm. 101.

Tu exúrgens miseréberis Sion; * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus;

Quoniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebúntur:

Et timebunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges

reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creábitur laudábit Dominū;

Quia prospéxit de excélso sancto suo; * Dóminus de cœlo in terram aspéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem,

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Glória, &c.

Altera Divisio Psalmi 101.

INítio tu, Dómine, terram fundasti; * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi peribunt; tu autem pérmanes: * & omnes sicut vestiméntum veteráscent;

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in sæculum dirigétur.

Ant. Tu, Dómine, in ætérnum pérmanes, & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem. *v.* 13.

Capitulum Act. 17. 24. 25.

DEus qui fecit mundum, & ómnia quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cùm sit Dóminus; non mánibus humánis cólitur indigens áliquo, cùm ipse det ómnibus vitam, & inspiratiónem, & ómnia. ℟. Deo grátias.

℟. *br.* Cœli cœlórum, & aquæ omnes quæ super cœlos sunt, * Laudent nomen Dómini: (*Repet.*) Cœli. ℣. Ipse dixit, & facta sunt; mandavit, & creáta sunt: (*Repet.*) Laudent. Glória. (*Resum.*) Cœli. *Ps.* 148. 4. 5.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam. *Ps.* 101. 16.

Preces ut ad Tertiam.

Oratio conveniens.

AD NONAM.

HYMNUS.

VErgens ad occásum dies,
Vitæ fugáces éxhibet
Horas: Deus, sic ómnia
Moves, movéri néscius.

Dum lux & umbra mútuò
Tibi, Creátor, mílitant;
Fac alma nobis fúlgeat,
Umbris repúlsis, cháritas.

Tu sola lapsus síderum
Immóta cernis, Trínitas;
Honóris ætérnam tibi
Decet rependi glóriam.
Amen.

Ant. 5. Cognóscant,

PSALMUS 82.

Ab inimicis suis Ecclesiam vindicat Deus; quia Omnipotens.

DEus, quis símilis erit tibi? * ne táceas, neque compescáris, Deus;

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt; * & qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium, * & cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, & disperdámus eos de gente; * & non memorétur nomen Israël ultrà.

Quóniam cogitavérunt unanímiter, * simul advérsùm te testaméntum dispoſuérunt, tabernácula Idumæórum & Ismahelítæ;

Moab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec; * alienígenæ cum habitántibus Tyrum;

Etenim Assur venit cum illis, * facti sunt in adjutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, & Sísaræ, * sicut Jabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor; * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, & Zeb, * & Zébee, & Sálmana;

Omnes príncipes eórum; * qui dixérunt: Hæreditate possideámus sanctuáriū Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam, * & sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit sylvam, * & sicut flamma combúrens montes;

Ita persequéris illos in tempestáte tua, * & in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomíniâ? * & quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant & conturbéntur in sæculum sæculi; * & confundántur, & péreant;

Et cognóscant quia nomen tibi, Dóminus; * tu solus Altíssimus in omni terra.

PSALMUS 102.

Laudandus Omnipotens ex opéribus & beneficiis suis innumeris.

BEnedic, ánima mea, Dómino, * & ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus.

Bénedic, ánima mea, Dómino, * & noli oblivísci omnes retributiónes ejus;

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; * qui sanat omnes infirmitátes tuas;

Qui rédimit de intéritu vitam tuam; * qui corónat te in misericórdia & miseratiónibus;

Qui replet in bonis desidérium tuum; * renovábitur ut áquilæ juvéntus tua.

Fáciens misericórdias Dóminus, * & judícium ómnibus injúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israel voluntates suas.

Glória Patri, &c.

Divisio Psalm. 102.

MIserátor & miséricors Dóminus; * longanimis, & multùm miséricors.

Non in perpétuum irascétur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis, * neque secúndum iniquitates nostras retríbuit nobis;

Quóniam secúndùm altitúdinem cœli à terra, * corroboravit misericórdiam suã super timéntes se:

Quantum distat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se; * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus; * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit;

Quoniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, & usquè in ætérnum, * super timéntes eũ;

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus,

Et memores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * & regnum ipsius ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illius, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtutes ejus, * minístri ejus, qui fácitis voluntátẽ ejus.

Benedícite Dómino, omnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Cognóscant quia nomen tibi, Dóminus; tu solus Altíssimus in omni terra. *Ps.* 82. 19.

Capitulum. Apoc. 19. 5.

VOx de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus: & qui timétis eum, pusilli, & magni.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Magnus Dóminus, * Et laudabilis nimis; (*Rep.*) Magnus. ℣. Terríbilis est super omnes deos; (*Rep.*) Et laudábilis. Gloria. (*Resum.*) Magnus. *Ps.* 95. 4.

℣. Non est símilis tui in diis, Dómine;

℟. Et non est secúndùm ópera tua. *Ps.* 85. 8.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. t. 4. *B.* Sicut óculi.

PSALMUS 122.

Præter Altissimum, nullum est in tribulationibus refugium.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominorum suórum,

Sicut óculi ancíllæ in ma-

nibus dóminæ suæ ;* ita óculi nostri ad Dóminum Deũ nostrum, donec misereátur nostrî.

Miserére nostrì, Dómine, miserére nostrî ;* quia multùm repléti sumus despectióne;

Quia multùm repléta est ánima nostra; * oppróbrium abundántibus, & despéctio supérbis.

Ant. Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ; ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum. *v.* 2.

Ant. t. 7. *B.* Nisi Dóminus.

PSALMUS 126.

Vani hominum labores, quibus non opitulatur Deus.

NIsi Dóminus ædificáverit domum,* in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum, * ecce hæréditas Dómini, filii; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis; * ita filii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur cùm loquétur inimícis suis in porta.

Ant. Nisi Dominus ædificáverit domum, in vanum laboraverunt qui ædíficant eam. *v.* 1.

Ant. t. 3. *C.* Qui timétis

PSALMUS 134.

Dei omnipotentia: Idolorum vanitas.

LAudáte nomen Dómini; * laudate, servi, Dóminũ,

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus; * psállite nómini ejus, quóniam suáve;

Quóniam Jacob elégit sibi Dóminus, * Israel in possessiónem sibi;

Quia ego cognóvi quòd magnus est Dóminus, * & Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit * in cœlo, & in terra, in mari, & in ómnibus abyssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ, * fúlgura in plúviam fecit;

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis; * qui percússit primogénita Ægypti ab hómine usque ad pecus;

Et misit signa & prodígia in médio tuî, Ægypte, * in Pharaónem, & in omnes servos ejus;

Qui percússit gentes multas, * & occídit reges fortes,

Sehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, * & omnia regna Chánaan:

Et dedit terram eórum hæreditátem, * hæreditatẽ Israel pópulo suo.

Domine, nomen tuum in

Divisio Psalm. 102.

MIserátor & miséricors Dóminus; * longanimis, & multùm misericors.

Non in perpetuum irascetur, * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis, * neque secúndùm iniquitates nostras retríbuit nobis;

Quóniam secúndum altitúdinem cœli à terra, * corroborávit misericórdiam suã super timéntes se:

Quantum distat ortus ab occidénte, * longè fecit à nobis iniquitátes nostras.

Quómodo miserétur pater filiórum, misértus est Dóminus timéntibus se; * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus; * homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorébit;

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, & non subsistet; * & non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, & usquè in ætérnum, * super timéntes eũ;

Et justítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum ejus,

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cœlo parávit sedem suam; * & regnum ipsius ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, * poténtes virtúte, faciéntes verbum illius, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Benedícite Dómino, omnes virtutes ejus, * ministri ejus, qui fácitis voluntatẽ ejus.

Benedícite Dómino, omnia ópera ejus: * in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

An. Cognóscant quia nomen tibi, Dóminus; tu solus Altíssimus in omni terra. *Ps.* 82. 19.

Capitulum. Apoc. 19. 5.

VOx de throno exívit, dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus: & qui timétis eum, pusilli, & magni.

℟. Deo grátias.

℟. *br.* Magnus Dóminus, * Et laudábilis nimis; (*Rep.*) Magnus. ℣. Terríbilis est super omnes deos; (*Rep.*) Et laudábilis. Gloria. (*Resum.*) Magnus. *Ps.* 95. 4.

℣. Non est símilis tui in diis, Dómine;

℟. Et non est secúndum ópera tua. *Ps.* 85. 8.

Oratio conveniens.

AD VESPERAS.

Ant. t. 4. *B.* Sicut óculi.

PSALMUS 122.

Præter Altissimum, nullum est in tribulationibus refugium.

AD te levávi óculos meos, * qui hábitas in cœlis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominorum suórum,

Sicut óculi ancíllæ in ma-

Quia persecútus est inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi; * & anxiátus est super me spíritus meus; in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis manuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exaúdi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimicis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me facere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terrã rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam; * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; in factis mánuum tuárum meditábar. ℣. 5.

Capitulum. Rom. 1. 20.

INvisibília Dei à creatúra mundi, per ea quæ facta sunt, intellécta, conspiciúntur; sempitérna quoque ejus virtus, & divínitas.

HYMNUS.

O Numen! ô mundi Pater!
Te velle, te loqui sat est:
En obsequúntur ómnia,
Tuis paráta nútibus.

Opus perénni glóriâ
Splendére vis & órdine:
Stat terra, currunt flúmina,
Subsístit unda pénsilis.

Quot spléndidis colóribus
Sublíme cœlum píngitur,
Tot ora miris prædicant
Te Conditórem vócibus.

Rex, hâc in aulâ, pendulis
Thronum repónis núbibus:
Supérque ventórum leves
Pennas triúmphans ámbulas.

Mittis nives, & grándinem,
Rorísque gemmas párturis:
Flumen vibras, & ígnibus
Armas treméndis fúlgura.

Tibi rebélles, Cónditor,
Metu salúbri pércute;
Et súbditos non désine
Mollíre rore grátiæ.

Mundum voléndo qui creas,
Tibi, Pater, cum Filio,
Sancto simul cum Spíritu
Sit summa laus in sæculâ.
Amen.

℣. Magnus es tu, Dómine, & fáciens mirabília:
℟. Lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum. *Ps.* 85. 10. 11.

Ad Magnificat. Ant. t. 1. A. inimicórum meórum.
Misericórdia ejus à progénie in progénies timéntibus eum. *Luc. 1. 50.*

Oratio conveniens.

Completorium ut post Vesperas Sabbati.

FERIA TERTIA.

Ait Deus: Germinet terra. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus in providentia sua laudandus: hinc in Deum fiducia.

Invitat. Perpétuam Dei providéntiam, * Veníte, adorémus. *Sap. 17. 2.*

Psalmus 94. Venite. *Pag. 2.*

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 1. D. Adjutórium.

PSALMUS 7.

Per Dei providentiam salus justis, malis interitus.

DOmine Deus meus, in te sperávi; * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, & líbera me:

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud; * si est iníquitas in mánibus meis;

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam méritò ab inimícis meis inánis:

Persequátur inimícus ánimam meam, & comprehéndat, & concúlcet in terra vitam meam, * & glóriam meã in púlverem dedúcat.

Exúrge, Dómine, in ira tua, * & exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandásti; * & sinagóga populórum circúmdabit te:

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus júdicat pópulos;

Júdica me, Dómine, secúndum justítiam meã, * & secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, & díriges justum, * scrutans corda & renes Deus.

Justum adjutórium meum à Dómino, * qui salvos-facit rectos corde:

Deus judex justus, fortis, & pátiens; * numquid irásci-tur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, & parávit illũ.

Et in eo parávit vasa mortis; * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit injustítiam; * concépit dolórem, & péperit iniquitátem.

Lacum apéruit, & effódit eum; * & íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor ejus in caput ejus; * & in vérticẽ ipsíus iníquitas ejus descéndet.

Confitébor Dómino secúndùm justítiam ejus; * & psallã nómini Dómini altíssimi.

PSALMUS 10.

Animæ in Deo confidentis securitas.

IN Dño confído: * quómodo dícitis ánimæ meæ:

Tránſmigra in montem ſicut paſſer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, paravérunt ſagíttas ſuas in pháretra: * ut ſagíttent in obſcúro rectos corde.

Quóniam quæ perfeciſti, deſtruxérunt: * juſtus autem quid fecit?

Dóminus in templo ſancto ſuo, * Dóminus in cœlo ſedes ejus:

Oculi ejus in paúperem reſpíciunt; * pálpebræ ejus intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat juſtum & ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam ſuam.

Pluet ſuper peccatóres láqueos: * ignis, & ſulphur, & ſpíritus procellárum, pars cálicis eórum.

Quóniam juſtus Dóminus, & juſtítias diléxit; * æquitátem vidit vultus ejus.

PSALMUS 12.

Anima fidelis in tribulatione ad Deum deprecatio.

USquequò, Dómine, oblivíſceris me in finem? * úſquequò avértis fáciem tuam à me?

Quámdiu ponam conſília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Uſquequò exaltábitur inimícus meus ſuper me? * réſpice, & exaúdi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte; * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt ſi motus fúero: * ego autem in miſericórdia tua ſperávi.

Exultábit cor meum in ſalutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tribuit mihi, & pſallam nómini Dómini altíſſimi.

Ant. Adjutórium meum à Dómino, qui ſalvos facit rectos corde. *Pſ.* 7. *v.* 11.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. 1. 2. Providébam.

PSALMUS 15.

In Dei providentia ſpem collocat juſtus: reſurrectionis ſpes.

COnsérva me, Dómine, * quóniam ſperávi in te.

Dixi Dómino: Deus meus es tu, * quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis qui ſunt in terra ejus, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ ſunt infirmitátes eórum; * póſtea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de ſanguínibus; * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hæreditátis meæ, & cálicis mei: * tu es qui reſtítues hæreditátem meã mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris; * étenim hæréditas mea præclára eſt mihi.

Benedícam Dóminum qui tríbuit mihi intelléctum: * inſuper & uſque ad noctem

increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conſpéctu meo ſemper; * quóniam à dextris eſt mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum eſt cor meum, & exultávit lingua mea; * ínſuper & caro mea requiéſcet in ſpe;

Quoniam non derelínques ánimam meam in inférno; * nec dabis ſanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecíſti vias vitæ, adimplébis me lætítiâ cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua uſque in finem.

P S A L M U S 22.

Pro beneficiis per Dei providentiam acceptis gratiarum actio.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páſcuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me ſuper ſémitas juſtítiæ, * propter nomen ſuum.

Nam, & ſi ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipſa me conſoláta ſunt.

Paráſti in conſpéctu meo menſam, * advérſus eos qui tribulant me.

Impinguáſti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus eſt!

Et miſericórdia tua ſubſequétur me * omnibus diebus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dñi,* in longitudinem diérũ.

P S A L M U S 27.

Deus justi tutela, ideò cum impiis non peribit.

AD te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne ſíleas à me; * nequándo táceas à me, & aſſimilábor deſcendéntibus in lacum.

Exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, dum oro ad te; * dum extóllo manus meas ad templum ſanctum tuum.

Ne ſimul trahas me cum peccatóribus; * & cum operántibus iniquitátem ne perdas me;

Qui loquúntur pacem cum próximo ſuo; * mala autem in córdibus eórum.

Da illis ſecúndùm ópera eórum, * & ſecúndum nequítiam adinventiónum ipſórum.

Secúndùm ópera mánuum eórum tribue illis; * redde retributiónem eórum ipſis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, & in ópera mánuum ejus, * déſtrues illos, & non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus; * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adjútor meus, & protéctor meus; * in ipſo ſperávit cor meum, & adjútus ſum.

Et reflóruit caro mea, *

& ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ; * & protector salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, & bénedic hæreditáti tuæ; * & rege eos, & extólle illos usque in ætérnum.

Ant. Providébam Dóminum in conspéctu meo semper; quóniam à dextris est mihi, ne commóvear. *Psalm.* 15 8.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1. 4. D. Confitébor.

PSALMUS 51.

Frustrà in divitiis suis confidunt impii: salus est in Dominum sperantibus.

QUid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Totâ die injustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem, * iniquitátem magis quàm loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, * evéllet te, & emigrábit te de tabernáculo tuo, & radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt justi, & timébunt; & super eum ridébunt; & dicent: * Ecce homo qui non pósuit Deum adjutórem suum;

* Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum; * & prævaluit in vanitáte sua.

Ego autem sicut oliva fructífera in domo Dei; * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, & in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum, quia fecísti; * & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

PSALMUS 55.

Justus spe erectus in Deo solatium quærit.

MIserére meî, Deus, quóniam conculcávit me homo: * totâ die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei totâ die; * quóniam multi bellantes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego verò in te sperábo.

In Deo laudabo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Totâ die verba mea execrabántur; * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt & abscóndent: * ipsi calcáneum meũ observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi; * posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo, sicut & in promissióne tua.

Tunc converténtur inimíci mei retrórsum; * in quacumque die invocávero te, ecce

cognóvi quóniã Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, * laudationes tibi;

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu; * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

PSALMUS 61.

Frustrà oppugnatur, qui, Deo subjectus, in ejus tutela manet.

NOnne Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum;

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus, * suscéptor meus; non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem? * interfícitis univérsi vos, tamquam paríeti inclináto, & macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meũ cogitavérunt repéllere, cucurri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto, ánima mea; * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus; * adjútor meus non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea; * Deus auxílii mei; & spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: * Deus adjútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendaces fílii hominum in statéris, * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi; quia potéstas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia; * quia tu reddes unicuique juxta ópera sua.

Ant. Confitébor tibi in sæculum, Dómine; & expectábo nomen tuum, quóniam bonum est. *Ps.* 51. 11.

℣. In die clamávi, ℟. Et nocte coram te. *Ps.* 87. 2.

Pater noster. *Secretò.* ℣. Et ne nos indúcas. &c.

Lectiones & ℟. ℟. ℟. in Proprio.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* A custódia matutína usque ad noctem,

℟. Speret Israel in Dómino. *Ps.* 129. 6.

Ant. 1. 4. *D.* Ecce Deus ádjuvat me.

PSALMUS 53.

Oratio justi adversùs hostes auxilium Dei sperantis.

DEus, in nómine tuo salvum me fac, * & in virtúte tua júdica me.

Deus, exaúdi oratiónem meam; * áuribus pércipe

verba oris mei;

Quóniam alieni insurrexérunt advérsum me, & fortes quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádjuvat me; * & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis,* & in veritáte tua dispérde illos.

Voluntáriè sacrificábo tibi; & confitébor nómini tuo, Dómine, * quóniam bonũ est;

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me; * & super inimícos meos despéxit óculus meus.

Ant. Ecce Deus ádjuvat me; & Dóminus suscéptor est ánimæ meæ. *v.* 6.

Ant. *t.* 7. *B.* Valles.

PSALMUS 64.

Dei providéntia, quantùm in hómines benéfica

TE decet hymnus, Deus, in Sion; * & tibi reddétur votum in Jerúsalem.

Exaúdi oratiónem meam;* ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórũ prævaluérunt super nos;* & impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti, & assumpsísti; * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domûs tuæ; * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exaúdi nos, Deus salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, & in mari longe;

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtiâ: * qui contúrbas profúndũ maris, sonum flúctuum ejus.

Turbabúntur gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: * éxitus matutíni, & vésperè delectábis.

Visitásti terram, & inebriásti eam; * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis; * parásti cibum illórum, quóniam ita est præparátio ejus.

Rivos ejus inébria, multíplica genímina ejus: * in stillicídiis ejus lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ; * & campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti; * & exultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, & valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Valles abundábunt fruménto: clamábunt, étenim hymnum dicent. *v.* 14.

Ant. *t.* 5. Audíte.

PSALMUS 65.

Ex mirabílibus opéribus & benefíciis laudandus Dóminus.

JUbiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus; * date glóriam laudi ejus.

Dícite Deo; Quàm terribília sunt ópera tua, Dómi-

ne! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, & psallat tibi, * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte & vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super filios hóminum,

Qui convértit mare in áridam, in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso,

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum; óculi ejus super gentes respíciunt: * qui exáspérant, non exalténtur in semetipsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum; * & audítam fácite vocem laudis ejus,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam, * & non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus; * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, posuísti tribulatiónes in dorso nostro; * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem & aquam, * & eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocaústis; * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea;

Et locútum est os meum * in tribulatióne mea.

Holocaústa medulláta óffé-ram tibi cum incénso aríetum, * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timetis Deú, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * & exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exaúdiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * & atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, & misericórdiam suam à me.

Ant. Audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. ℣. 16.

Ant. 5. Fortitúdo.

CANTICUM MOYSI. *Exod.* 15. 1.

Cantémus Dómino; glorióse enim magnificátus est; * equum & ascensórem dejécit in mare.

Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Iste Deus meus, & glorificábo eum: * Deus patris mei, & exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor; * Omnípotens, nomen ejus.

Currus Pharaónis & exércitum ejus projécit in mare; * elécti príncipes ejus submérsi sunt in mari rubro.

Abyssi operuérunt eos; * descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine; *

déxtera tua, Dómine, percússit inimícum.

Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos, * misísti iram tuam quæ devorávit eos sicut stípulam.

Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ; * stetit unda fluens, congregátæ sunt abyssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar, & comprehendam; * dívidam spólia, implébitur ánima mea.

Evaginábo gládium meũ, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, & opéruit eos mare; * submersi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tuî, in fórtibus, Dómine? * quis símilis tuî, magníficus in sanctitáte, terríbilis, atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, * & devorávit eos terra.

Dux fuísti in misericórdia tua * pópulo quem redemísti;

Et portásti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, & iráti sunt; * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom; robústos Moab obtínuit tremor; * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído & pavor; * in magnitúdine bráchii tui fiant immóbiles quasi lapis;

Donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, & plantábis in monte hæreditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine,

Sanctuárium tuum, Dómine, * quod firmavérunt manus tuæ.

Dóminus regnábit * in ætérnum & ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus, & equítibus ejus in mare, * & redúxit super eos Dóminus aquas maris:

Fílii autem Israel ambulavérunt per siccum * in médio ejus.

Ant. Fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. *Exod.* 15. 2.

In Festis loco superioris Cantici, dicitur

CANTICUM *Eccli.* 39.

Collaudáte cánticum, * & benedícite Dóminum in opéribus suis.

Date nómini ejus magnificéntiam, * & confitémini illi in voce labiórum vestrórum, & in cantícis labiórum, & cítharis;

Et sic dicétis in confessióne: * Opera Dómini univérsa bona valde.

In verbo ejus stetit aqua sicut congéries: * & in ser-

mône oris illíus sicut exceptória aquárum;

Quoniam in præcépto illíus placor fit, * & non est minorátio in salúte ipsíus.

Opera omnis carnis coram illo, * & non est quidquam abscónditum ab óculis ejus.

A sæculo usque in sæculum réspicit, * & nihil est mirábile in conspéctu ejus.

Glória, &c.

Ant. t. 6. Dat Dóminus.

PSALMUS 146.

Deus ex suâ in populum providentiâ celebratur.

LAudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus; * Deo nostro sit jucúnda, decóraque laudátio.

Ædíficans Jerúsalem Dóminus, * dispersiónes Israélis congregábit:

Qui sanat contrítos corde, * & álligat contritiónes eórum:

Qui númerat multitúdinem stellárum, * & ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus; * & sapiéntiæ ejus non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus; * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne; * psállite Deo nostro in cíthara;

Qui óperit cœlum núbibus, * & parat terræ plúviam;

Qui prodúcit in móntibus fœnum, * & herbam servitúti hóminum;

Qui dat juméntis escam ipsórum, * & pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit, * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum, * & in eis qui sperant super misericórdia ejus.

Ant. Dat Dóminus juméntis escam ipsórum, & pullis corvórum invocántibus eum. *v.* 9.

Capitulum. Eccle. 5. 5.

NE dicas coram ángelo: Non est providentia: ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℣. Oculi Dómini super metuéntes eum;

℟. Ut alat eos in fame. *Ps.* 32. 18. 19.

Ad Bened. Ant. t. 1. *A.* Eréxit cornu salútis nobis, in domo David púeri sui. *Luc.* 1. 69.

Preces si dicendæ sint, habentur Feriâ secundâ ad Laudes.

Oratio conveniens.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

NOvo redux dum lúmine
Sol pellit umbras: ô Deus!
Tu mentis erróres fuga;
Et corda sursum dírige.

Jussû tuo, labóribus
Dum nostra servit déxtera,
Inánibus da líberum
Curis, tibi cor míliter.

Fac, hóspites & ádvenæ
In valle dura flétuum,

Nostris supérnæ córdibus
Spem nutriámus pátriæ.
Domum, Deus, das pásseri,
Nidúmque turtur ínvenit:
Sinu tuo quiéscere
Det spes salútis ánchora.
Tibi, Pater, cum Filio,
Sanctóque sit cum Spiritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas déxterâ.
Amen.

Ant. t. 1. E. Utique.

PSALMUS 57.

Calumniatorum supplicia, bonorumque præmia justam Dei providentiam arguunt.

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, filii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero, * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndùm similitúdinem serpéntis; * sicut áspidis surdæ, & obturántis aures suas,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium, * & venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum; * molas leónum confrínget Dominus.

Ad nihilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum donec infirméntur:

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priúsquàm intelligerent spinæ vestræ rhamnum, * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cùm víderit vindíctam; * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: Si útique est fructus justo; * útique est Deus júdicans eos in terra.

Glória &c.

PSALMUS 73.

In populi & templi calamitate, ex suis operibus magnis, in auxilium appellatur Deus.

UT quid, Deus, repulísti in finem; * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hæreditátis tuæ; * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérúnt te, * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa, & non cognovérunt, * sicut in éxitu super summum.

Quasi in sylva lignórum secúribus excidérunt jánuas ejus in idípsum; * in secúri & áscia dejecérunt eam.

Incenderunt igni sanctuárium tuum; * in terra pollüérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio

gnátio eórū simul : * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei à terra.

Signa nostra non vídimus; jam non est prophéta ; * & nos non cognóscet ámpliùs.

Glória, &c.

Divisio Psalmi 73.

Usquequò, Deus, improperábit inimícus? * irrítat adversárius nomen tuū in finem?

Ut quid avértis manum tuam & dexteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem rex noster ante sæcula, * operátus est salútem in medio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare; * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confrégisti cápita dracónis, * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, & torréntes ; * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, & tua est nox ; * tu fabricátus es auróram & solem.

Tu fecísti omnes términos terræ ; * æstatem & ver tu plasmásti ea.

Memor esto hujus, inimícus improperávit Domino ; * & populus insipiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * & ánimas pauperum tuorum ne oblivíscaris in finem.

Réspice in testaméntum tuum ; * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitatum.

Ne avertatur húmilis factus confúsus : * pauper & inops laudabunt nomen tuū.

Exúrge, Deus, júdica causam tuam ; * memor esto improperiórum tuórum, eórū quæ ab insipiénte sunt totà die.

Ne oblivíscáris voces inimicorum tuórum : * supérbia eórum qui te oderunt ascéndit semper.

Glória, &c.

Ant. Utique est fructus justo; útique est Deus júdicans eos in terra. *Ps. 57. 12.*

In Feriali Officio Capitulum. Sap. 6. 8.

Non subtrahet persónā cujusquam Deus : quóniam pusillum & magnum ipse fecit, & æquáliter cura est illi de ómnibus.

Cætera ut in Feria secunda.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

Affla, supérne, spíritum,
Quo mens agénda dírigat:
Fac nos fugácis túrbidas
Nescíre curas sæculi.

Quâ cervus ardens lympidos
Fontes siti desíderat,
Da, fons superni gaúdii,
Te possidéndum persequar.

Tibi, Pater, cum Filio
Sanctóque sit cum Spíritu
Ætérna laus, qui providà
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. t. 3. E. Spera.

PSALMUS 36.

Bonorum & malorum quàm dispares sunt & spes, & exitus.

NOli æmulári in malignántibus, * neque zeláveris faciéntes iniquitátē;

Quóniam tamquam fœnum velóciter arécent; * & quemádmodum ólera herbárum citò décident.

Spera in Dómino, & fac bonitátem; * & inhábita terram, & pascéris in divítiis ejus.

Delectáre in Dómino; * & dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuā, & spera in eo; * & ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen justítiam tuam; & judícium tuum tamquam merídiem: * súbditus esto Dómino, & ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua; * in hómine faciénte injustítias.

Désine ab ira, & derelínque furórem; * noli æmulári ut malignéris:

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur, * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hæreditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, & non erit peccátor; * & quæres locum ejus, & non invénies.

Mansuéti autem hæreditábunt terram, * & delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor justum, * & stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum, * quóniam próspicit quòd véniet dies ejus.

Gládium evaginavérunt peccatóres, * intendérunt arcum suum,

Ut dejíciant paúperem & ínopem, * ut trucídent rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum, * & arcus eórum confringátur.

Glória, &c.

Divisio Psalmi 36.

MElius est módicum justo * super divítias peccatórum multas;

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur; * confírmat autem justos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum, * & hæréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, & in diébus famis saturabúntur; * quia peccatóres períbunt.

Inimíci verò Dómini mox ut honorificáti fúerint & exaltáti, * deficiéntes quemádmodum fumus defícient.

Mutuábitur peccátor, & non solvet: * justus autem miserétur, & tríbuet;

Quia benedicéntes ei hæreditábunt terram; * maledicéntes autem ei dispeříbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur; * & viā ejus volet.

Cùm cecíderit, non collid

détur; * quia Dóminus suppónit manum suam.

Júnior fui, étenim sénui; * & non vidi justum derelíctum, nec semen ejus quærens panem.

Totâ die miserétur & cómmodat: * & semen illíus in benedictióne erit.

Declína à malo, & fac bonum; * & inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat judícium, & non derelínquet sanctos suos; * in ætérnum conservabúntur.

Injústi puniéntur; * & semen impiórum períbit:

Justi autem hæreditabunt terram, * & inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Glória, &c.

Altera Divisio Psalmi 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, * & lingua ejus loquétur judícium.

Lex Dei ejus in corde ipsíus; * & non supplantabúntur gressus ejus.

Consíderat peccátor justũ, * & quærit mortificáre eũ:

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus ejus; * nec damnábit eum cum judicábitur illi.

Expécta Dóminum, & custódi viam ejus; & exaltábit te, ut hæreditáte cápias terram: * cùm períerint peccatóres, vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * & elevátum sicut Cedros Líbani.

Et transívi, & ecce non erat: * & quæsívi eum, & non est inventus locus ejus.

Custódi innocéntiam, & vide æquitátem; * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Injústi autem dispeníbunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt:

Salus autem justórum à Dómino, * & protector eórum in tempore tribulatiónis.

Et adjuvábit eos Dominus, & liberabit eos, & éruet eos à peccatóribus, & salvábit eos, * quia speravérunt in eo.

Gloria Patri, &c.

Ant. Spera in Dómino, & fac bonitátem; & pascéris in divítiis ejus. *v.* 3.

Capitulum. Philip. 4. 6.

NIhil sollíciti sitis: sed in omni oratióne, & obsecratióne, cum gratiárũ actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum.

℟. *br.* Dóminus regit me, * Et nihil mihi deerit. Dóminus regit. ℣. In loco páscuæ ibi me collocávit. * Et nihil. Glória Patri. Dóminus regit. *Ps.* 22. 1. 2.

℣. Miserátor & miséricors Dóminus: ℟. Escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. 4. 5.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

SUmmo girat sol æthere
Te, Christe, laudent témpora
Quæ, dante te, sic úsibus
Paráta nostris sérviunt.

O quando mens levabitur
Gravante carnis sárcinâ,

Et indúetur lúmine,
Quo sunt beáti cœlites!
Tibi, Pater, cum Filio
Sanctóque sit cum Spíritu
Ætérna laus; qui próvidâ
Mundum gubérnas dexterâ.
Amen.

Ant. t. 5. Omnia.

PSALMUS 34.

Ab hostibus liberari per Dei providentiam rogat justus.

JUdica, Dómine, nocéntes me; * expúgna impugnántes me.

Apprehénde arma & scutum; * & exúrge in adjutórium mihi.

Effúnde frámeam, & conclúde advérsùs eos qui persequúntur me; * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

Confúdántur & revereántur * quæréntes ánimam meã.

Avertántur retrórsùm, & confundántur * cogitántes mihi mala.

Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti; * & Angelus Dómini coárctans eos.

Fiat via illórum ténebræ & lúbricum? * & Angelus Dómini pérsequens eos;

Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui; * supervácuè exprobravérunt animam meã.

Véniat illi láqueus quem ignórat; & cáptio quam abscóndit, apprehéndat eum; * & in láqueum cadat in ipsum.

Anima autem mea exultábit in Dómino, * & delectábitur super salutári suo.

Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?

Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus, * egénum & paúperem à diripiéntibus eum.

Glória, &c.

Divisio Psalmi 34.

SUrgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.

Retribuébant mihi mala pro bonis, * sterilitátem ánimæ meæ.

Ego autem cùm mihi moléstí essent, * induébar cilício.

Humiliábam in jejúnio ánimam meam; * & orátio mea in sinu meo convertétur.

Quasi próximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacébam; * quasi lugens, & contristátus sic humiliábar.

Et advérsùm me lætáti sunt, & convenérunt: * congregáta sunt super me flagélla, & ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti; tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne; * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meã à malignitáte eórum, à leónibus únicam meam.

Confitébor tibi in ecclésia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergaúdeant mihi qui adversántur mihi iníquè; * qui odérunt me gratis, & ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pa-

ficè loquebántur; * & in iracúndia terræ, loquéntes dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: * dixérunt; Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas; * Dómine, ne discédas à me.

Altera Divisio Psalmi 34.

EXúrge, & inténde judício meo; * Deus meus & Dóminus meus, in causam meam.

Júdica me secúndùm justítiam tuam, Dómine Deus meus; * & non supergaúdeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéscant, & revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne, & reveréntiâ, * qui magna loquúntur super me.

Exúltent & læténtur qui volunt justítiam meam: * & dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi ejus.

Et lingua mea meditábitur justítiam tuam, * totâ die laudem tuam.

Glória Patri, &c.

Ant. Omnia ossa mea dicent: Dómine, quis símilis tibi? *v.* 10.

Capitulum. 2. *Cor.* 9. 10.

QUi adminístrat semen seminánti; & panem ad manducándum præstábit, & multiplicábit semen vestrum, & augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

℟. *br.* Oculi ómnium * In te sperant, Dómine; Oculi.

℣. Et tu das escam illórum in témpore opportúno. * In te. Glória Patri. Oculi. *Ps.* 144. 15.

℣. Magnus Dóminus noster, & magna virtus ejus;

℟. Et sapiéntiæ ejus non est númerus. *Ps.* 146. 5.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm sol ad occásum redit,
Fac, Christe, lumen córdiū,
Spes firma sacris móntibus
Inténta figat lúmina.

Inter procéllas naúfrago
Qui navigámus æquore,
Carína nos hæc ánxios
Ripæ salútis ápplicet.

Tibi, Pater, cum Fílio
Sanctóque sit cum Spíritu
Ætérna laus, qui próvidâ
Mundum gubérnas dénterâ.
Amen.

Ant. 1. 6. Aperiénte te.

PSALMUS 103.

Deus ab opificio, & providentiâ benedicitur.

BEnedic, ánima mea, Dómino; * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem & decórem induísti, * amíctus lúmine sicut vestiménto;

Extendens cœlum sicut pellem; * qui tegis aquis superióra ejus:

Qui ponis nubem ascénsū

tuum; * qui ámbulas super pennas ventórum;

Qui facis Angelos tuos spíritus; * & minístros tuos ignem uréntem;

Qui fundásti terram super stabilitatem suam; * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abyssus, sicut vestiméntum, amíctus ejus; * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient; * à voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, & descéndunt campi * in locum quem fundásti eis.

Terminum posuísti quem non transgrediéntur; * neque converténtur operíre terrã.

Qui emíttis fontes in convállibus, * inter medium móntiũ pertransíbunt aquæ:

Potábunt omnes béstiæ agri, * expectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cœli habitábunt; * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis, * de fructu óperum tuórum satiábitur terra.

Prodúcens fœnum juméntis, * & herbam servitúti hóminum;

Ut edúcas panem de terra, * & vinum lætíficet cor hóminis;

Ut exhílaret fáciem in óleo, * & panis cor hóminis confirmet.

Saturabúntur ligna campi, * & Cedri Líbani quas plantávit;

Illic pásseres nidificábunt, * heródii domus dux est eórum.

Montes excélsi cervis, * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, & facta est nox; * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ sylvæ;

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * & quærant à Deo escam sibi.

Ortus est sol, & congregáti sunt, * & in cubílibus suis collocabuntur.

Exíbit homo ad opus suum, * & ad operatiónem suam usque ad vésperam.

Glória, &c.

Divisio Psalmi 103.

QUàm magnificáta sunt ópera tua, Dómine! ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra possessióne tuâ.

Hoc mare magnum, & spatiósum mánibus; * illic reptília quorum non est númerus, animália pusílla cum magnis.

Illic naves pertransíbunt, * draco iste quem formásti ad illudéndum ei.

Omnia à te expéctant, * ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent; * aperiénte te mánum tuam, ómnia implebúntur bonitáte:

Averténte autem te fácië, turbabúntur; * aúferes spíritum eórum, & defícient, & in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, & creabúntur; * & renovábis fáciem terræ. Glória, &c.

Altera Divisio Psalmi 103.

SIt glória Dómini in sæculum; * lætábitur Dóminus in óperibus suis,

Qui réspicit terram, & facit eam trémere; * qui tangit montes, & fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea, * psallam Deo meo quámdiu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum; * ego verò delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres à terra, & iníqui ita ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dño.

Glória, &c.

Ant. Aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte. *v.* 28.

Capitulum Hebr. 4. 13.

NOn est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta sunt óculis ejus.

℟. *br.* Quò ibo, Dómine, * A spíritu tuo? Quò ibo. ℣. Et quò à fácie tuâ fúgiam?* A spíritu. Glória. Quò ibo. *Ps.* 138. 7.

℣. Ténebræ non obscurabúntur à te; ℟. Et nox sicut dies illuminábitur. *Ps.* 138. 12.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. *D.* Ecce.

PSALMUS 120.

Dominus custos Ecclesiæ suæ providet.

LEvávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómino, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet, * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo; * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, & éxitum tuum,* ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

Ant. Ecce non dormitábit, neque dórmiet, qui custódit Israel. *v.* 4.

Ant. t. 2. Benedíctus.

PSALMUS 123.

Ecclesiæ, per Dei providentiam à periculis ereptæ, gratiarum actio.

NIsi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israel, * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cùm exúrgerent hómines in nos, * fortè vivos deglutíssent nos.

Cùm irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra, * fórsitan pertransísset ánima nosta aquam intolerábilem.

Benedictus Dominus, * qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est * de laqueo venantium;

Laqueus contritus est, * & nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nómine Domini, * qui fecit cœlum & terram.

Ant. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. ℣. 6.

Ant. 5. Dominus.

PSALMUS 124.

Fidelium Deus ipse custodia: iniquus peribit.

QUi confidunt in Dómino, sicut mons Sion; * non commovebitur in æternũ, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circúitu ejus, * & Dominus in circuitu populi sui ex hoc, nunc, & usque in sæculum:

Quia non relinquet Dóminus virgam peccatórum super sortem justórum, * ut non extendant justi ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Domine, bonis, * & rectis corde.

Declinantes autem in obligatiónes adducet Dominus cum operántibus iniquitatem: * pax super Israel.

Ant. Dóminus in circuitu pópuli sui ex hoc, nunc, & usque in sæculum. ℣. 2.

Ant. *t. 7. D.* Suscepisti.

PSALMUS 138.

In [illegible] Dei [illegible] à puero providentia.

DOmine, probasti me, & cognovisti me; * tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longè; * semitam meam, & funiculum meum investigasti;

Et omnes vias meas prævidisti; * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima & antiqua: * tu formásti me, & posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scientia tua ex me; * confortata est, & non potero ad eam.

Quo ibo à spiritu tuo? * & quò à facie tua fugiam?

Si ascendero in cœlum, tu illic es; * si descendero in infernum, ades;

Si sumpsero pennas meas diluculo, * & habitavero in extremis maris;

Etenim illuc manus tua deducet me; * & tenebit me dextera tua.

Et dixi: Forsitan ténebræ conculcabunt me, * & nox illuminatio mea in deliciis meis;

Quia ténebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur; * sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos; * suscepisti me de

útero matris meæ.

Confitébor tibi, quia terribiliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, & ánima mea cognóſcit nimis.

Non eſt occultátum os meum à te, quod fecíſti in occúlto; * & ſubſtántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui; & in libro tuo omnes ſcribéntur; * dies formabúntur, & nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti ſunt amíci tui, Deus, * nimis confortátus eſt principátus eórum;

Dinumerabo eos, & ſuper arénam multiplicabúntur; * exurréxi, & adhuc ſum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres; * viri sánguinum, declinate à me;

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, * & ſuper inimícos tuos tabeſcébam?

Perfécto ódio óderam illos, * & inimíci facti ſunt mihi.

Proba me, Deus, & ſcito cor meum; * intérroga me, & cognóſce ſémitas meas.

Et vide ſi via iniquitátis in me eſt; * & deduc me in via ætérna.

Ant. Suſcepíſti me, Dómine, de útero matris meæ.

v. 13.

Ant. t. 6. Aperis tu.

PSALMUS 144.

Quàm benignè Deus providet omnibus.

EXaltábo te, Deus meus Rex, * & benedícam nómini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi, * & laudábo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi.

Magnus Dóminus, & laudábilis nimis, * & magnitúdinis ejus non eſt finis.

Generátio & generátio laudábit ópera tua, * & poténtiam tuam pronuntiábunt:

Magnificéntiā glóriæ ſanctitátis tuæ loquéntur, * & mirabília tua narrábunt:

Et virtútem terribílium tuórum dicent, * & magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ ſuavitátis tuæ eructábunt, * & juſtítiâ tuâ exultábunt.

Miſerátor & miſericors Dóminus; * pátiens, & multùm miséricors.

Suávis Dóminus univérſis, * & miſeratiónes ejus ſuper ómnia ópera ejus.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua; * & ſancti tui benedícant tibi:

Glóriam regni tui dicent, * & poténtiam tuam loquéntur,

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, * & glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum, regnum ómnium ſæculórū; * & do-

minátio tua in omni generatióne & generatiónem.

Fidelis Dóminus in omnibus verbis suis, * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Allevat Dóminus omnes qui córruunt, * & érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dñe, * & tu das escã illórũ in témpore opportúno:

Aperis tu manum tuam, * & imples omne ánimal benedictióne.

Justus Dóminus in ómnibus viis suis; * & sanctus in ómnibus opéribus suis.

Propè est Dñs ómnibus invocántibus eũ, * ómnibus invocãtibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet, & deprecatiónem eórum exaúdiet, * & salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se; * & omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum; * & benedícat omnis caro nómini sancto ejus in sæculum & in sæculum sæculi.

Ant. Aperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *v.* 16.

Capitulum, Heb. 4. 16.

ADeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ: ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

HYMNUS.

MIrámur, ô Deus! tuæ
Recens opus poténtiæ,
Aquis refúsis ímperas,
Siccata tellus énatat.

En rura vestis frúgibus,
Pomis graváutur árbores:
Herbæ virent, si décidant,
Suo resúrgunt sémine.

Cur aut amíctûs, aut cibi
Nos cura mordet ánxia?
Qui vestit agri lília
Vestem cibúmque próvidet.

℟. Sũmo Patri quidquid placet
Sit cura primum quærere:
Si quæris ultrò cætera
Vovéntis ad nutum fluent.

Ne flúctuet formídinis
Mens acta sævo túrbine:
Portum quiétis póscere
Det spes procéllis fórtior.

Oblíta terras, æthera,
Audáce pennâ, tránsvolet;
Secúmque curis líberas
Ad alta mentes érigat.

Tibi, Pater, cum Fílio,
Sancto simul cum Spíritu
Deo perénni próvido
Honor, decus, laus, glória.
Amen.

℣. Jacta super Dóminum curam tuam, ℟. Et ipse te enútriet. *Ps.* 54. 23.

Ad Magnific. Ant. t. 3. *D.*
Esuriéntes implévit bonis & dívites dimísit inánes. *Luc.* 1. 53.

FERIA QUARTA.

Dixit Deus: Fiant luminaria. &c. Gen. 1.

OFFICII FINIS.

Deus, lux vera mentium, in sua veritate adorandus: hinc firma in Deum fides.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum qui est

lux vera, & veritas; * Veníte, adorémus. *Joan.* 1. 9.

Ps. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. 4. *E.* Elóquia.

PSALMUS 11.

Justorum paucitas: eloquiorum Domini laus.

SAlvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus; * quóniam diminútæ sunt veritátes à fíliis hóminū.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suū; * lábia dolósa, in corde & corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa, * & linguam magníloquam.

Qui dixérunt; Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt: * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum & gémitum páuperum, * nunc exúrgam, dicit Dñs.

Ponam in salutári; * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta; * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos: * & custódies nos à generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

PSALMUS 13.

Impiorum malitia: ex adventu Christi salus exoptatur.

DIxit insípiens in corde suo, * Non est Deus.

Corrúpti sunt, & abomínábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cœlo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlchrum patens est guttur eórum; linguis suis dolósè agébant; * venénum áspidum sub lábiis eórum,

Quorum os maledictióne, & amaritúdine plenum est, * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio & infelícitas in viis eórum, & viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt: * illìc trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne justa est: * consílium ínopis confudístis, quóniam Dóminus spes ejus est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israel? * cùm avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exultábit Jacob, & lætábitur Israel.

PSALMUS 24.

Vias Domini edoceri, & ejus auxilio protegi postulat justus.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiã tuã meménto meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum; * & testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum; * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miserére mei; * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univérsa delícta mea,

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicati sunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscam, quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi; * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Elóquia Dómini, elóquia casta. *Ps.* II. *v.* 7.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. *t.* 3. *B.* Emítte.

PSALMUS 42.

Veritatis divinæ invocatio; spes in Domino collocanda.

JUdica me, Deus, & discérne causam meam de gente non sancta; * ab hó-

mine iníquo & dolóso erue me;

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea; * quare me repulísti? & quare tristis incédo dum afflìgit me inimícus?

Emítte lucem tuam, & veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, & adduxérunt in montem sanctum tuum, & in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei; * ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus Deus meus: * quare tristis es, ánima mea, & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi, * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

PSALMUS 56.

De inimicis victoriam rogat justus: misericordiæ & veritatis Dei commendatio.

MIserére meì, Deus, miserére meî; * quóniam in te confídit ánima mea;

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iniquitas.

Clamabo ad Deum altíssimum * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cœlo, & liberávit me; * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, & veritátem suam, * & erípuit ánimam meam de médio catulorum leónum; dormivi conturbátus.

Filii hominum, dentes eórum arma & sagittæ, * & lingua eorum gladius acútus.

Exaltáre super cœlos, Deus; * & in omnem terram glória tua.

Laqueum paravérunt pédibus meis; * & incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante faciem meã fóveam, * & incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum; * cantábo & psalmum dicam.

Exúrge, glória mea, exúrge, psaltérium & cíthara; * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psalmum dicam tibi in géntibus;

Quóniam magnificáta est usque ad cœlos misericórdia tua, * & usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

PSALMUS 63.

Vana impiorum consilia: evangelii prædicatio.

EXaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor: * à timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me à convéntu malignántium, * à multitúdine operántium iniquitatẽ;

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas; * intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbitò ſagittábunt eum, & non timébunt: * firmavérunt ſibi ſermónem nequã.

Narravérunt ut abſcónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti ſunt iniquitátes; * defecérunt ſcrutántes ſcrutínio.

Accédet homo ad cor altum; * & exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ ſunt plagæ eórum; * & infirmátæ ſunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti ſunt omnes qui vidébant eos; * & tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei; * & facta ejus intellexérunt.

Lætábitur juſtus in Dómino, & ſperábit in eo: * & laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Emítte lucem tuam, Dómine, & veritátem tuam. *Pſ.* 42. 3.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. 1. 5. Deduc me.

PSALMUS 84.

Finis captivitatis: terris oriuntur miſericordia & veritas.

BEnedixíſti, Dómine, terram tuam, * avertíſti captivitátem Jacob.

Remisíſti iniquitátem plebis tuæ, * operuíſti ómnia peccáta eórum.

Mitigáſti omnem iram tuam, * avertíſti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus ſalutáris noſter, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum iraſcéris nobis? * aut extendes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérſus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Oſténde nobis, Dómine, miſericórdiam tuam; * & ſalutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquetur pacem in plebem ſuam,

Et ſuper ſanctos ſuos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum ſalutáre ipsíus; * ut inhábitet glória in terra noſtra.

Miſericórdia & véritas obviavérunt ſibi; * juſtítia & pax oſculátæ ſunt.

Véritas de terra orta eſt, * & juſtítia de cœlo proſpéxit.

Etenim Dominus dabit benignitátem; * & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtítia ante eum ambulábit, * & ponet in via greſſus ſuos.

PSALMUS 85.

Per filium gentes illuminari rogat Christus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quoniam inops & pauper ſum ego.

Cuſtódi ánimam meam, quóniam ſanctus ſum; * ſalvum fac ſervum tuum, Deus

meus, sperántem in te.

Miserere meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica animam servi tui, quóniam ad te, Domine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis; * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudísti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine; * & non est secúndùm ópera tua.

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient, & adorábunt coram te, Dómine; * & glorificábunt nomen tuum;

Quoniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuũ.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in æternum;

Quia misericordia tua magna est super me, * & eruísti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga potentium quæsierunt animam meam; * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & misericors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére mei; * da imperium tuum púero tuo, & salvum fac fílium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, & consolatus es me.

PSALMUS 89.

Fugax hominum vita: gratiæ Dei splendor invocatur.

DOmine, refúgium factus es nobis, * à generatióne in generatiónem.

Priúsquàm montes fierent, aut formarétur terra & orbis, * à sæculo & usque in sæculum tu es Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem; * & dixísti: Convertímini, fílii hóminũ.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hesterna quæ prætériit, & custódia in nocte;

Quæ pro níhilo habéntur, * eórum anni erunt.

Manè sicut herba tránseat, manè flóreat, & tránseat; * vespere decidat, indúret & aréscat;

Quia defécimus in ira tua, * & in furóre tuo turbati sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo, * sæculum nostrum in illuminatióne vultûs tui;

Quóniam omnes dies nostri defecérunt, * & in ira tua defécimus.

Anni nostri, sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni:

Si autem in potentátibus, octogínta anni; * & ámplius eórum labor & dolor:

Quóniam supervénit mansuetúdo, * & corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ, * & præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac, * & erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequò? * & deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ; * & exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, & in ópera tua; * & dírige filios eórum.

Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos; * & ópera mánuum nostrárum dírige super nos; & opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua *Ps.* 85. 11.

℣. Bonum est psállere nómini tuo, Altíssime; ℞. Ad annuntiándum veritátem tuā per noctem. *Ps.* 91. 2. 3.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* Magnificáta est úsque ad cœlos misericórdia tua; ℞. Et usque ad nubes véritas tua. *Ps.* 56. 11.

Ant. t. 1. *B.* Accédite ad eum.

PSALMUS 33.

Deus justorum lumen & tutela: impiorum eversor.

Benedícam Dóminum in omni témpore; * semper laus ejus in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * aúdiant mansuéti, & læténtur.

Magnificáte Dominum mecum; * & exaltémus nomen ejus in idípsum.

Exquisívi Dóminum, & exaudívit me; * & ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, & illuminámini; * & fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, & Dóminus exaudívit eum, * & de omnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum.

Immíttet ángelus Dómini in circúitu timéntiū eum; * & erípiet eos.

Gustáte, & vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus; * quóniam non est inopia timéntibus eum.

Dívites eguérunt & esuriérunt; * inquiréntes autem Dominum non minuéntur omni bono.

Venite,

Veníte, filii, audíte me: * timórē Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam, * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam à malo, * & lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte à malo, & fac bonum: * inquíre pacem, & perséquere eam.

Oculi Dñi super justos; * & aures ejus in preces eórū.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala, * ut perdat de terra memóriā eórū.

Clamavérunt justi, & Dóminus exaudívit eos, * & ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, * & húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes justórum; * & de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * & qui odérunt justum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum; * & non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Accédite ad eum, & illumináminì: & fácies vestræ non confūdéntur *v.* 6.

Ant. 6. *A.* Cognoscámus.

PSALMUS 66.

Ut ab omnibus gentibus cognoscatur & laudetur Deus, exoptat anima.

DEus misereátur nostri, & benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur & exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Cognoscámus, Dómine, in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum. *v.* 3.

Ant. 5. *A.* In colúmna

PSALMUS 98.

Christi potestas: ejus vestigia adoranda: patribus locutus est.

DOminus regnávit, irascántur pópuli; * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus, * & excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno, quóniam terríbile & sanctum est; * & honor regis judícium díligit.

Tu parásti directiónes; *

judícium & justítiam in Jacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum; * & adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est.

Móyses & Aáron in sacerdótibus ejus, * & Sámuel inter eos qui ínvocant nomen ejus.

Invocábant Dóminum, & ipse exaudiébat eos; * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia ejus, * & præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos; * Deus, tu propítius fuísti eis, & ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte in monte sancto ejus; * quóniam sanctus Dñs Deus noster.

Ant. In colúmna nubis loquebátur ad eos, custodiébant testimónia ejus, & præcéptum quod dedit illis. *v.* 7.

Ant. *t.* 2. d. Pater.

CANTICUM EZECHIÆ. *Isa.* 38.

EGo dixi: In dimídio diérum meórum vadam ad portas ínferi: * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra viventium; * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte vita mea; dum adhuc ordírer succídit me: * de manè usque ad vésperam finies me.

Sperábam usque ad manè: * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea.

De manè usque ad vésperam finies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba.

Attenuati sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum.

Dómine, vim pátior, respónde pro me: * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, corrípies me, & vivificábis me: * ecce in pace amaritúdo mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret; * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confitébitur tibi, neque mors laudábit te; * non expectábunt, qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confitébitur tibi, sicut & ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * & psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Pater fíliis notam

ficiet veritátem tuam, Dómine. *Isa.* 38. 19.

In Festis dicitur :

CANTICUM ECCLI. 36.

Miserére nostri, Deus ómnium, & réspice nos ; * & osténde nobis lucem miseratiónum tuárum :

Et immítte timórem tuum super gentes quæ non exquisiérunt te, * ut cognóscant quia non est Deus, nisi tu, & enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis ;

Ut cognóscant te, * sicut & nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dñe.

Innova signa, & immúta mirabília : * glorífica manum, & bráchium dextrum.

Excita furórem, & effúnde iram : * tolle adversárium, & afflíge inimícum.

Festína tempus, & meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur ; * & qui péssimant plebem tuam, invéniant perditionem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium : Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Jacob, * ut cognóscant quia non est Deus, nisi tu, & enárrent magnália tua ;

Et hæreditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum, * & Israel, quem coæquásti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * & glóriâ tuâ pópulum tuum.

Ant. t. 3. A. Notum fecit.

PSALMUS 97.

Laudatur Christus, quod gentibus notum fecerit salutare suum.

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & bráchium sanctum ejus.

Notum fecit Dñs salutáre suum ; * in conspéctu géntium revelávit justítiam suã.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * & veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra ;* cãtáte, & exultáte, & psallite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi : * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu Regis Dómini, * moveátur mare, & plenitúdo ejus ; orbis terrárũ & qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini ; * quóniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in in æquitáte.

Ant. Notum fecit Dóminus salutáre suum; in conspéctu géntium revelávit justítiam suam. v. 2.

Capitulum. Rom. 13. 12. 13.

NOx præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, & induámur arma lucis. Sicut in die honestè ambulémus.

℣. Fáciem tuam illúmina super servum tuum,

℟. Et doce me justificatiónes tuas. *Ps.* 118. 135.

Ad Benedic. *Ant. t.* 1. F Illumináre his qui in ténebris sedent, ad dirigéndos pedes nostros. *Luc.* 1. 79.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

AD templa nos rursum vocat
Suo redux sol lúmine;
Novásque pro læto monet
Reférre grates múnere.

Laudéris ætérnùm, Deus,
Qui veritátis lúmine
Mentis ténebras ámoves,
Salútis & monstras viam.

Præsta, fides non óccubet,
Si cúltui desit tuo,
Quid nostra vox, ni tínniens
Vanas per auras cymbalum?

Vires leónum per fidem
Vicére sancti: hoc manus
Protécta scuto, nóxios
Retúndat hostis ímpetus.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 7. *C.* Quanta.

PSALMUS 77.

Ad audiendam legem Dei invitatio: beneficia Judæis præstita.

ATténdite, pópule meus, legem meam; * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum; * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus, & cognóvimus ea, * & patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta à fíliis eórum * in generatióne áltera;

Narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, * & mirabília ejus quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Jacob, * & legem pósuit in Israel.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis, * ut cognóscat generátio áltera:

Fílii qui nascéntur, & exúrgent, * & narrábunt fíliis suis;

Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscántur óperum Dei, * & mandáta ejus exquírant;

Ne fiant sicut patres eórum, * generátio prava & exásperans:

Generátio quæ non diréxit cor suum, * & non est créditus cum Deo spíritus ejus.

Divisio Psalmi 77.

FIlii Ephrem intendéntes & mitténtes arcum, *

rſi ſunt in die belli.
cuſtodiérunt teſtamén-
)ei, * & in lege ejus
unt ambuláre.
oblíti ſunt benefactó-
jus, * & mirabílium e-
æ oſténdit eis.
am pátribus eórum ſe-
rabília in terra Ægyp-
in campo Táneos.
errúpit mare, & per-
eos; * & ſtátuit aquas
in utre.
dedúxit eos in nube
* & totâ nocte in il-
atióne ignis.
rrúpit petram in eré-
* & adaquávit eos velut
ſſo multa.
edúxit aquam de pe-
& dedúxit tamquam
a aquas.
ppoſuérunt adhuc pec-
i: * in iram excitavé-
Excélſum in inaquó-

tentavérunt Deum in
us ſuis, * ut péterent
nimábus ſuis.
malè locúti ſunt de
* dixérunt: Numquid
t Deus paráre menſam
érto?
iam, percúſſit petram,
érunt aquæ, * & tor-
inundavérunt,
mquid & panem pó-
are? * aut paráre men-
ópulo ſuo?
ò audívit Dóminus, &
t: * & ignis accén-
in Jacob, & ira aſ-
in Iſrael;
ia non credidérunt in

Deo, * nec ſperavérunt in ſa-
lutári ejus.

Et mandávit núbibus dé-
ſuper, * & jánuas cœli a-
péruit;

Et pluit illis manna ad
manducándum, * & panem
cœli dedit eis.

Panem Angelórum man-
ducávit homo: * cibária miſit
eis in abundántia.

Altera diviſio Pſalmi 77.

TRánſtulit (Dóminus)
Auſtrum de cœlo; * &
indúxit in virtúte ſua Afri-
cum.

Et pluit ſuper eos ſicut púl-
verem carnes, * & ſicut a-
rénam maris volatília pen-
náta.

Et cecidérunt in médio
caſtrórum eórum, * circa ta-
bernácula eórum.

Et manducavérunt, & ſa-
turáti ſunt nimis, & deſidé-
rium eórum áttulit eis; *
non ſunt fraudáti à deſidério
ſuo.

Adhuc eſcæ eórum erant
in ore ipsórum, * & ira Dei
aſcéndit ſuper eos.

Et occídit pingues eó-
rum, * & eléctos Iſrael im-
pedívit.

In ómnibus his peccavé-
runt adhuc, * & non credi-
dérunt in mirabílibus ejus.

Et defecérunt in vanitáte
dies eórum, * & anni eó-
rum cum feſtinatióne.

Cùm occíderet eos, quæ-
rébant eum; * & reverte-
bántur, & dilúculò veniébant
ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adjútor est eorum, * & Deus excélsus redemptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo: * & linguâ suâ mentíti sunt ei.

Cor autem eórum non erat rectum cum eo, * nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus.

Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccatis eórum, * & non dispérdet eos.

Glória, &c.

Ant. Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis. *v.* 5.

In Feriali Officio Capitulum. Prov. 6. 23.

MAndâtum lucérna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplínæ.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

VOtis favéto, Spíritus,
Promissa terris véritas;
Te luce, mundi prœmia
Nostris nihil sint méntibus.

Da, nos fides velócibus
Ad summa pennis évehat;
Solúmque, victrix sénsuum,
Curet Deum te quærere.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 7. *C.* Pavit eos.

EX PSALMO 77. Et

ABundávit (Dóminus) ut avérteret iram suã, * & non accéndit omnem iram suam.

Et recordátus est quia caro sunt, * spíritus vadens, & non rédiens.

Quoties exacerbavérunt eum in desérto? * in iram concitavérunt eum in inaquoso?

Et convérsi sunt, & tentavérunt Deum, * & sanctum Israel exacerbavérunt.

Non sunt recordati manûs ejus, * die quâ redémit eos de manu tribulantis;

Sicut pósuit in Ægypto signa sua, * & prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * & imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, & comédit eos; * & ranam, & dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * & labóres eorum locústæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * & moros eorũ in pruína.

Et trádidit grándini juménta eórum, * & possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ; * indignatiónem, & iram, & tribulatiónem, immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, & non pepércit à morte animábus eorum, * & juménta eórum in morte conclúsit;

Et percússit omne primogénitum in terra Ægypti, * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 77. Et

ABstulit (Dóminus) sicut oves pópulū suū, * & perdúxit eos tamquam gregem in deserto.

Et dedúxit eos in spe, & non timuérunt; * & inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem quem acquisívit déxtera ejus.

Et ejécit à fácie eórum gentes; * & sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israel.

Et tentavérunt, & exacerbavérunt Deum excélsum; * & testimónia ejus non custodiérunt.

Et avertérunt se, & non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eorum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis, * & in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Audívit Deus, & sprevit, * & ad níhilum redégit valdè Israel.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitavit in homínibus.

Et trádidit in captivitatem virtútem eórū, * & pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum, * & hæreditátem suam sprevit.

Júvenes eórum comédit ignis, * & vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt, * & víduæ eórum non plorabántur.

Altera divisio Psalmi 77. Et

EXcitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus à vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Joseph, * & tribum Ephraim non elégit;

Sed elégit tribum Juda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum * in terra quam fundavit in sæcula:

Et elégit David servum suum, * & sústulit eum de grégibus óvium.

De post fœtántes accépit eum, * páscere Jacob servū suum, & Israel hæreditátem suam.

Et pavit eos in innocéntia cordis sui, * & in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. Glória, &c.

Ant. Pavit eos Dóminus in innocéntia cordis sui, & in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. *v.* 72.

Capitulum. 1. *Joan.* 1. 5.

HÆc est annuntiátio, quā audívimus ab eo, & annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux est, & ténebræ in eo non sunt ullæ.

℟. *br.* Lucérna pédibus meis * Verbum tuum : Lucérna.

℣. Et lumen sémitis meis.* Verbum. Glória Lucérna. *Ps.* 118. 105.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine,

℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93. 12.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

FUlgens poli sol cúlmine
Ignes, Deus, quot éxerit,
Tot vócibus te prædicat,
Tot penicíllis éxhibet.

At ígnibus qui píngeris,
Ignes amóris éxcita :
Illámque votis da fidem,
Cui comes sit cháritas.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. 1. 5. *A* Dominus.

PSALMUS 67.

Carmen triumphale de Christi victoriis, & de Ecclesiæ per Evangelii prædicationem diffusione.

EXúrgat Deus, & dissipentur inimíci ejus; * & fúgiant qui odérunt eum, à fácie ejus :

Sicut déficit fumus, defíciant : * sicut fluit cera à facie ignis, sic péreant peccatóres à fácie Dei.

Et justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei,* & delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini ejus; * iter fácite ei qui ascéndit super occásum, Dóminus nomen illi.

Exultáte in conspéctu ejus, * turbabúntur à fácie ejus, patris orphanórum, & júdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo; * Deus qui inhabitáre facit unius moris in domo;

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui habitant in sepúlchris.

Deus, cùm egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cùm pertransíres in desérto,

Terra mota est, étenim cœli distillavérunt a facie Dei Sínaï, * à facie Dei Israel.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hæreditatí tuæ; * & infirmáta est : tu verò perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea ; * parasti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Divisio Psalmi 67.

DOminus dabit verbum evangelizántibus * virtúte multâ.

Rex virtútum dilécti, dilécti; * & speciéi domûs dividere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros,* pennæ columbæ deargentátæ, & posterióra dorsi ejus in pallóre auri.

Dum discérnit cœléstis reges super eam, * nive dealbabúntur in Selmon.

Mons Dei, mons pinguis, * mons coagulatus, mons pinguis :

Ut quid suspicámini mon-

tes coagulátos? * mons in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo; étenim Dóminus hábitabit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántiū: * Dóminus in eis in Sina, in sancto.

Ascendísti in altum, cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus:

Etenim non credéntes * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie; * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi; * & Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum; * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris;

Ut intingátur pes tuus in sánguine, * lingua canum tuórum ex inimícis ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei, regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes conjúncti psallèntibus, * in médio juvenculárum tympanistriárum.

Altera divisio Psalmi 67.

IN Ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israel.

Ibi Bénjamin adolescéntulus * in mentis excéssu.

Príncipes Juda duces eórum; * príncipes Zabúlon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtuti tuæ; * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Jerúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, congregátio taurórū in vaccis populórum, * ut exclúdant eos qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes quæ bella volunt: * vénient legáti ex Ægypto; Æthiópia prævéniet manus ejus Deo.

Regna terræ, cantate Deo, * psállite Domino;

Psállite Deo, qui ascéndit super cœlum cœli ad Oriéntem, * ecce dabit voci suæ vocem virtútis.

Date glóriam Deo; * super Israel magnificéntia ejus, & virtus ejus in núbibus.

Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtútem, & fortitúdinem plebi suæ: * benedíctus Deus.

Ant. Dóminus dabit verbum evangelizántibus virtúte multâ. *v.* 12.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 6.

DEus, qui dixit de ténebris lucē splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei.

℟. *br.* Æquitas testimónia tua * In ætérnum. Æquitas.
℣. Intelléctum da mihi, & vivam. In ætérnum.
Glória. Æquitas. *Ps.* 118. 144.
℣. Justitia tua, justitia in

æternum. ℟. Et lex tua véritas. *Ps.* 118. 142.

AD NONAM.

HYMNUS.

LAbénte lucis sídere,
Ne noscat occásum fides
Vigil; tuî nec ímmemor,
Umquam, Deus, sit Núminis.

Inter procéllas sæculi
Stet pulsa rupes æquore,
Præstaque sanctam dégener
Ne vita detúrpet fidem.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Infúsa per quem córdibus
Relúcet imis véritas. Amen.

Ant. t. 6. a. Deus.

PSALMUS 70.

Se à Deo edoctam dicit Ecclesia: contra inimicos suos auxilium rogat.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in justítia tua líbera me, & éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * & salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in locum munítum; * ut salvũ me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * & refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * & de manu contra legem agéntis, & iníqui;

Quoniam tu es patiéntia mea, Dómine; * Dómine, spes mea à juventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero; de ventre matris meæ tu es protéctor meus; * in te cantátio mea semper.

Tamquam prodígium factus sum multis, * & tu adjutor fortis.

Divisio Psalmi 70.

REpleátur os meum laude, * ut cantem glóriã tuam, totâ die magnitúdinem tuam.

Ne projícias me in témpore senectútis; * & cùm defécerit virtus mea, ne derelínquas me;

Quia dixérunt inimíci mei mihi; * & qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum; persequímini, & comprehéndite eum; * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris à me; * Deus meus, in auxílium meũ réspice.

Confundántur, & defíciant detrahéntes ánimæ meæ; * operiántur confusióne & pudóre, qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo, * & adjíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit justítiam tuam, * totâ die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus.

Altera divisio Psalmi 70.

DEus, docuísti me á juventúte mea; * & us-

que nunc pronuntiábo mirabília tua,

Et usque in senéctam & sénium, * Deus, ne derelínquas me;

Donec annúntiem bráchiũ tuum * generatióni omni quæ ventúra est,

Poténtiam tuam, & justítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas & malas? * & convérsus, vivificásti me, & de abyssis terræ íterum reduxísti me.

Multiplicásti magnificéntiam tuam; * & convérsus consolátus es me.

Nam & ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam, Deus; * psallam tibi in cíthara, Sanctus Israel.

Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; * & ánima mea quam redemísti.

Sed & lingua mea totâ die meditábitur justítiam tuã, * cùm confúsi & revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Deus, docuísti me à juventúte meâ; & usque nunc pronuntiábo mirabília tua. v. 17.

Capitulum. Coloss. 1. 12. 13.

GRátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine; qui erípuit nos de potestáte tenebrárum.

℟. *br.* Exórtum est in ténebris * Lumen rectis. Exórtum. ℣. Miséricors, & miserátor, (Dóminus) * Lumen. Glória. Exórtum. *Ps.* 111. 4.

℣. Signátum est super nos lumen vultûs tui, Domine:

℟. Dedísti lætítiam in corde meo. *Ps.* 4. 7.

AD VESPERAS.

Ant. 8. 1. *D.* Crédidi.

PSALMUS 115.

Ob firmam fidem, sibi auxilium Dei sperantes justus.

CRédidi, propter quod locútus sum; * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dño * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiã, * & nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dño reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus.

O Dómine, quia ego servus tuus; * ego servus tuus & fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea; * tibi sacrificábo hostiam laudis, & nomen Dñi invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, * in átriis domûs Dómini, in médio tuî, Jerusalẽ.

Ant. Crédidi, propter quod locútus sum. v. 10.

Ant. 1. 2. d. Confirmáta est.

PSALMUS 116.

Quòd gentibus innotuerit veritas; Dei laudatio.

LAudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli;

Quóniam confirmáta est su-

per nos misericórdia ejus; * & véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Confirmáta est super nos misericórdia ejus; & véritas Dómini manet in ætérnum. *v.* 2.

Ant. t. 3. *A.* Magnificávit.

PSALMUS 125.

Apostolorum labores multi; sed messis abundans.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion, * facti sumus sicut consoláti.

Tunc replétum gaúdio os nostrum, * & lingua nostra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes; * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mitténtes sémina sua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: facti sumus lætántes. *v.* 3.

Ant. t. 3. *A.* Confitémini.

PSALMUS 135.

Ex operibus mirandis laudatur Dominus.

COnfitémini Dño quóniam bonus; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus.

Confitémini Deo deórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus.

Confitémini Dómino dominórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui facit mirabília magna solus; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui fecit cœlos in intelléctu; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui firmávit terram super aquas; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui fecit luminária magna; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Solem in potestátem diéi; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Lunam & stellas in potestátem noctis; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui edúxit Israel de médio eórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

In manu poténti, & bráchio excélso; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui divísit mare rubrum in divisiónes; * quóniam in ætérnũ misericórdia ejus;

Et edúxit Israel per médium ejus; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et excússit Pharaónem, & virtútem ejus in mari rubro; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui tradúxit pópulum suũ

per desértum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui percússit reges magnos; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et occídit reges fortes; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Sehon regem Amorrhæórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et Og regem Basan; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Et dedit terram eórum hæreditátem; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Hæreditátem Israel servo suo; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri; * quóniã in ætérnum misericórdia ejus;

Et redémit nos ab inimícis nostris; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Qui dat escam omni carni; * quóniã in ætérnum misericórdia ejus;

Confitémini Deo cœli; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Confitémini Dómino dóminórum; * quóniam in ætérnum misericórdia ejus;

Ant. Confitémini Dómino qui fecit solem in potestátem diéi; lunam & stellas in potestátem noctis. *v.* 1. 7. 8. 9.

Ant. t. 5. *A* Non fecit.

PSALMUS 147.

Ecclesia ad laudes Dei invitatur, quòd ei eloquia sua commiserit.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedixit filiis tuis in te:

Qui pósuit fines tuos pacẽ; * & ádipe fruměti sátiat te:

Qui emíttit elóquium suum terræ; * velóciter currit sermo ejus:

Qui dat nivem sicut lanã; * nébulam sicut cínerẽ spargit:

Mittit crystállum suam sicut buccéllas; * ante fáciem frigoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ:

Qui annúntiat verbum suũ Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni; * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Non fecit táliter omni natióni; & judícia sua non manifestávit eis. *v.* 20.

Capitulum. Eph. 6. 14. 16.

STate ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, & indúti lorícã justítiæ, in ómnibus suméntes scutũ fídei.

HYMNUS.

O Quanta surgit glória
Tibi, Creator síderũ!
His te Deum micántibus
Offers legéndum lítteris.

Vis: luna, solque pródeunt;
Stellæ repónunt, ádsumus;
Dedúcis hinc volúbiles
Nascéntis ævi círculos.

At sempitérna véritas,

Quam per fidem nos edoces,
Fides, Deus, lux mentium
Vestrisque tamen semitis.
Caliginosos terræ
Nos inter æstus dirige,
Quæ te fidei præviam
Lucerna nudas pectori.
Credo, Deus, sed debilem
Auge fidem, qua vivito:
Hæc lumen addat mentibus,
Cordique robur inferat.
Scutum fides nos induat,
Quo consecrati milites,
Divina Christi prælia
Non deseramus transfugæ.
Sit summa Patri gloria:
Sit summa Nato, qui fidem
Cruore quæsivit suo:
Par sit tibi laus, Spiritus.
Amen.

℣. Disciplinam, & scientiam doce me, ℟. Quia mandatis tuis credidi. *Psalm.* 118. 66.

Ad Magnificat. *Ant.* 2. 6. Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. *Luc.* 1. 47.

FERIA QUINTA.

Dixit Deus: Producant aquæ, &c. Gen. 1. *Eximia die animæ cibum Christus Eucharistiam instituit.*

OFFICII FINIS.

Deus in sua erga homines charitate adorandus: hinc amor Dei & proximi.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Deum, qui charitas est, * Venite, adoremus. 1. *Joan.* 4. 16.

Ps. 94. Venite. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. 1. 4. e. Ure.

PSALMUS 25.

Justum in viæ puræ conscientiæ testimonium: decorem domus [illegible].

JUdica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; * & in Domino sperans, non infirmabor.

Proba me, Domine, & tenta me: * ure renes meos, & cor meum:

Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, * & complacui in veritate tua.

Non sedi cum concilio vanitatis; * & cum iniqua gerentibus non introibo.

Odivi ecclesiam malignantium; * & cum impiis non sedebo.

Lavabo inter innocentes manus meas; * & circumdabo altare tuum, Domine;

Ut audiam vocem laudis, * & enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, * & locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam; * & cum viris sanguinum vitam meam,

In quorum manibus iniquitates sunt; * dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: * redime me, & miserere mei.

Pes meus stetit in directo: * in ecclesiis benedicam te, Domine.

PSALMUS 39.

Antiquarum hostiarum loco se substituit Christus: ipse obedientiæ typus.

EXpéctans expectávi Dóminũ, * & intendit mihi.

Et exaudívit preces meas; * & edúxit me de lacu misériæ & de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos: * & diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi & timébunt, * & sperábunt in Dño.

Beátus vir, cujus est nomen Dómini spes ejus, * & non respéxit in vanitátes & insánias falsas.

Multa fecisti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua; * & cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi & locútus sum: * multiplicáti sunt super númerum.

Sacrifíciũ & oblatiónẽ noluísti;* aures autẽ perfecísti mihi.

Holocaústum & pro peccáto non postulasti; * tunc dixi; Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me, ut fácerem voluntátem tuã: * Deus meus, vólui, & legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna; * ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti.

Justitiã tuam non abscóndi in corde meo; * veritátem tuam & salutare tuum dixi.

Non abscondi misericórdiam tuam, & veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dñe, ne longè fácias miseratiónes tuas à me: * misericordia tua & véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est númerus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ; & non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capillos cápitis mei; * & cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adjuvándum me réspice.

Confundántur & revereántur simul, qui quærunt ánimam meã, * ut auferant eam.

Convertántur retrórsum, & revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent, & læténtur super te omnes quæréntes te; * & dicant semper: Magnificétur Dominus, qui diligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum, & pauper: * Dóminus sollícitus est meî.

Adjútor meus, & protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

PSALMUS 44.

Carmen nuptiale: Christi, & ecclesiæ dotes.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego

ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ fíliis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátẽ: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cássia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto, * circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíscet Rex decórem tuum; * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabuntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis aúreis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam; * próximæ ejus afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia & exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebuntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Ant. Ure renes meos & cor meum, Dómine. *Ps.* 25. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant 1. 7. *D.* Dóminus.

PSALMUS 45.

Ecclesia ex Dei tutelâ & beneficiis inconcussa.

DEus noster refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra, * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat

civitatem

civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dñus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram; * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confringet arma; * & scuta combúret igni.

Vacate, & vidéte quóniam ego sum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dñus virtútum nobíscum, * suscéptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

Mirabilis Christi in Ecclesiam beneficentia.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscetur, * cùm suscípiet eã.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt; * convenérunt in unum.

Ipsi videntes sic admiráti sunt, * conturbáti sunt, commoti sunt.

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In spíritu veheménti * cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent filiæ Judæ * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & comple   ctímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, & distribúite domos ejus, * ut enarrétis in progénie áltera;

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

PSALMUS 60.

Justus ab inimicis liberatus: Christi regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula; * prótegar

in velaménto alárum tuárum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam, * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dóminus virtútum nobíscum, suscéptor noster Deus Jacob. *Ps.* 45. 12.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 5. a. Grátiam.

PSALMUS 71.

Christi regnum pacificum, amplum, & omni bonorum copiâ felix.

DEus, judícium tuum regi da; * & justítiam tuam fílio regis,

Judicáre pópulum tuum in justítia, * & paúperes tuos in judício.

Suscípiant montes pacem pópulo, * & colles justítiam.

Judicábit paúperes pópuli, & salvos fáciet fílios paúperum, * & humiliabit calumniatórem;

Et permanébit cum sole, & ante lunam; * in generatióne & generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus, * & sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus ejus justítia, & abundántia pacis, * donec auferátur luna.

Et dominábitur à mari usque ad mare; * & à flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes, * & inimíci ejus terram lingent.

Reges Tharsis & ínsulæ múnera ófferent, * reges Arabum & Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ; * omnes gentes sérvient ei;

Quia liberábit paúperem à poténte; * & paúperem cui non erat adjútor.

Parcet paúperi & ínopi, * & ánimas paúperum salvas fáciet.

Ex usúris & iniquitáte rédimet ánimas eórum; * & honorábile nomen eorũ coram illo.

Et vivet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper; * totâ die benedicent ei.

Et erit firmaméntum in terrâ in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus ejus: * & florébunt de civitáte sicut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen ejus.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ, * omnes gentes magnificábũt eum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel, * qui facit mirabília solus.

Et benedíctum nomen majestátis ejus in ætérnum; * & replébitur majestáte ejus omnis terra: Fiat, fiat.

P S A L M U S 83.

Ex summis domûs Dei bonis, vehementer in atria Domini desiderat justus.

QUàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! * concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum & caro mea * exultavérunt in Deum vivũ.

Etenim passer invénit sibi domum, * & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum, * Rex meus & Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine! * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit in valle lacrymárum, in loco quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem; * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine Deus virtútum, exáudi oratiónem meam; * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus, * & réspice in fáciem Christi tui;

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei, * magis quàm habitáre in tabernáculis peccatórum;

Quia misericórdiam & veritátem díligit Deus; * grátiam & glóriam dabit Dóminus:

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

P S A L M U S 86.

Quantùm Ecclesiam prædiligit Christus.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Glorióssa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus est in ea; * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Grátiam & glóriam dabit Dóminus. *Ps.* 83. 12.

℣. In die mandávit Dó-

minus misericordiam suam; ℟. Et nocte canticum ejus. Ps. 41. 9.

AD LAUDES.

℣. Sacerdos. Auditam fac mihi manè misericordiam tuam; ℟. Quia in te speravi. Ps. 142. 8.

Ant. t. 1. d. Paratum

PSALMUS 107.

Ad Dei auxilium paratum cor justi: vana salus hominis; solus salvans Deus.

PAratū cor meum, Deus, paratū cor meum: * cantábo, & psallā in gloria mea.

Exúrge, glória mea: exúrge, psaltérium & cíthara: * exúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine, * & psallam tibi in natiónibus;

Quia magna est super cœlos misericórdia tua; * & úsque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cœlos, Deus, * & super omnem terram glória tua.

Ut liberéntur dilécti tui, * salvum fac dexterâ tuâ, & exaúdi me.

Deus locútus est in sancto suo; * exultábo & dívidam Síchimam, & convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, & meus est Manasses; * & Ephraim suscéptio cápitis mei;

Juda rex meus; * Moab lebes spei meæ;

In Idumæam extendam calceamentum meum: * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me úsque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos, * & non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem, * & ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Ant. Parátum cor meum, Deus; cantábo, & psallam in gloria mea. v. 2.

Ant. t. 6. f. Laudáte.

PSALMUS 99.

Ad Dei cultum & laudes exhortatio.

JUbiláte Deo, omnis terra, * servíte Domino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos: * pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Introíte portas ejus in confessióne, atria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dominus; * in ætérnū misericordia ejus, & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Ant. Laudate nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus. v. 4. 5.

Ant. t. 5. a. Cibávit.

PSALMUS 80.

Exultandum Deo qui tot beneficia contulit.

EXultáte Deo adjutóri nostro, * jubiláte Deo Jacob.

Súmite psalmum, & date tympanum; * psaltérium jucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tubâ, * in insígni die solemnitátis vestræ:

Quia præcéptum in Israel est, * & judícium Deo Jacob.

Testimónium in Joseph pósuit illud, cùm exíret de terrâ Ægypti: * linguã quam non noverat, audivit.

Divértit ab onéribus dorsum ejus, * manus ejus in cophino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, & liberávi te; * exaudívi te in abscóndito tempestátis, probávi te apud aquã contradictiónis.

Audi, pópulus meus, & contestábor te, * Israel, si audíeris me, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægypti; * diláta os tuum, & implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meã, * & Israel non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndùm desidéria cordis eórum, * ibunt in adinvẽtionibus suis.

Si pópulus meus audísset me, * Israel si in viis meis ambulásset,

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem, * & super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei; * & erit tempus eórum in sæcula.

Et cibâvit eos ex ádipe fruménti; * & de petra, melle saturávit eos.

Ant. Cibávit eos ex ádipe fruménti; & de petra, melle saturávit eos. *v.* 17.

Ant. t. 3. *A.* Hauriétis.

CANTICUM ISAIÆ 12.

CONfitébor tibi, Dómine, quoniam irátus es mihi: * convérsus est furor tuus, & consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus; * fiduciáliter agam, & non timébo:

Quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, * & factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris; * & dicétis in die illâ: Confitémini Dómino, & invocáte nomen ejus.

Notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: * mementote quóniam excélsum est nomen ejus.

Cantáte Dómino, quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exúlta & lauda, habitátio Sion, * quia magnus in médio tuî sanctus Israel.

Ant. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris. *Is.* 12. 3.

In Festis dicitur, CANTICUM *Tob.* 13.

BEnedícite Dñm, omnes elécti ejus: * ágite dies lætítiæ, & confitémini illi.

Jerúsalem cívitas Dei, * castigávit te Dóminus in opé-

ribus mánuum tuárum.

Confitére Dómino in bonis tuis, * & bénedic Deum sæculórum,

Ut reædíficet in te tabernáculum suum, & révocet ad te omnes captívos, * & gaúdeas in ómnia sæcula sæculórum.

Luce spléndidâ fulgébis: * & omnes fines terræ adorábunt te.

Natiónes ex longínquo ad te vénient: * & múnera deferéntes adorábunt in te Dóminum,

Et terram tuã in sanctificatióne habébunt. * Nomen enim magnũ invocábunt in te.

Maledícti erunt qui contémpserint te; & condemnáti erunt omnes qui blasphemáverint te; * benedictíque erunt qui ædificáverint te.

Tu autem lætáberis in fíliis tuis; * quóniam omnes benedicéntur, & congregabuntur ad Dóminum.

Glória Patri, &c.

Ant. *t.* 3. A. Regnábit.

P s a l m u s 145.

Non hominibus fidendum, sed Deo, cujus opera & beneficia narrantur.

LAuda, ánima mea, Dóminũ; * laudabo Dóminum in vita mea; psallã Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exibit spíritus ejus, & revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis sunt:

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dñus illúminat cæcos:

Dóminus érigit elísos: * Dóminus díligit justos:

Dóminus custódit ádvenas; pupíllum & víduam suscípiet; * & vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus, Sion, * in generatióne & generatiónem.

Ant. Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus, Sion. *v.* 10.

Capitulum. Deut. 10. 12.

ISrael, quid Dóminus Deus petit à te, nisi ut tímeas Dominum Deum tuum, & ámbules in viis ejus, & díligas eum, ac sérvias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota ánima tua?

℣. Quàm bonus Israel Deus,

℟. His qui recto sunt corde! *Ps.* 72. 1.

Ad Bened. *Ant.* *t.* 1. *F.* Eréxit cornu salútis nobis, in domo David púeri sui. *Luc.* 1. 69.

A D P R I M A M.

H y m n u s.

TErris redux sol émicat: Aris litándus mox adest Christus; ministri Núminis,

Hymnos sacris præmittere.
Non læla tortóris manu
Procúmbit insons hóstia:
Hæc incruénto cæditur
Amóris ense víctima.
Qui charitáte præviâ
Nos, Christe, tantùm diligis,
Te quanta nobis óptimum
Probant paréntem pígnora!
Ad hunc canálẽ, quo fluũt
Nostræ salútis rívuli,
Mens currat, & cæléstium
Prælíbet undas flúminum.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem refúsa córdibus
Ardéscit imis cháritas. Amen.

Ant. t. 5. a. Misericórdias.

PSALMUS 88.

Misericordiæ Dei canticum: promissiones Davidi factæ; Christum differri humilis querela.

MIsericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiábo veritátem tuam in ore meo;

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cœlis; * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntũ eléctis meis; * jurávi David servo meo: Usque in ætérnum præparábo semen tuum;

Et ædificábo in generatiónem & generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cœli mirabilia tua, Dómine; * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum;

Quóniam quis in nũbibus æquábitur Dómino, * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in concílio sanctórũ, * magnus & terríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sunt.

Dómine Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, & véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris; * motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cœli, & tua est terra; orbem terræ & plenitúdinem ejus tu fundásti; * Aquilónem & mare tu creásti.

Thabor & Hermon in nómine tuo exultábunt; * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, & exaltétur déxtera tua; * justítia & judícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia & véritas * præcédent fáciem tuam.

Glória Patri, &c.

Divisio Psalmi 88.

BEátus pópulus, * qui scit jubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die; * & in justítia tua exaltabúntur;

Quóniam glória virtútis eórum tu es; * & in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum;

Quia Dómini est assúmptio nostra, * & sancti Israel regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, & dixísti: * Pósui adjutórium in poténte, & exaltavi eléctum de plebe meâ.

Invéni David servũ meũ, * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei, * & bráchium meum confortábit eum.

Nihil profíciet inimícus in eo, * & fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam à fácie ipsíus inimícos ejus, * & odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, & misericórdia mea cum ipso; * & in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus, * & in flumínibus déxteram ejus.

Ipse invocábit me; * Pater meus es tu, Deus meus, & suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélsum præ régibus terræ;

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam, * & testamentum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen ejus, * & thronum ejus sicut dies cœli.

Si autem dereliquerint fílii ejus legem meam, * & in judíciis meis non ambuláverint;

Si justítias meas prophanáverint, * & mandata mea non custodíerint:

Visitábó in virga iniquitátes eorum, * & in verbéribus peccáta eórum:

Misericórdiam autem meã non dispérgam ab eo; * neque nocebo in veritáte mea;

Neque profanábo testaméntum meum, * & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Glória Patri, &c.

Altera Divisio Psalmi 88.

Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar; * Semen ejus in ætérnũ manébit:

Et thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, & sicut luna perfécta in ætérnum: * & testis in cœlo fidelis.

Tu verò repulísti & despexísti; * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui, * profanásti in terra sanctuárium ejus.

Destruxísti omnes sepes ejus; * posuísti firmamentum ejus formídinem:

Diripuerunt eum omnes transeúntes viam; * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntiũ eum; lætificásti omnes inimícos ejus;

Avertísti adjutórium gládii ejus, * & non est auxiliátus ei in bello;

Destruxísti eum ab emundatióne; * & sedem ejus in terram collisísti:

Minorásti dies témporis

ejus: * perfudísti eum confusióne.

Usquequò, Dómine, avértis in finem? * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vanè constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, & non vidébit mortem? * éruet ánimam suam de manu ínferi.

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut jurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórũ, * quod contínui in sinu meo, multárum géntium;

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt cõmutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Glória, &c.

Ant. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo. *v.* 2.

In Feriali Officio Capitulum. Is. 55. 1.

OMnes sitiéntes, veníte ad aquas: & qui non habétis argéntum, properáte, émite, & comédite.

Reliqua ut ad Feriam 2.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Qui scates fons grátiæ,
Votis favéto, Spíritus;
Versáre mentes éfficax
Nutu, rebélles állice.
Tu pectus aufer sáxeum,
Tu cárneum pectus crea;
Nobísque sis, quâ férvidi
Te diligamus, cháritas.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Sit par tibi laus, Spíritus,
Afflánte quo, mentes sacris
Lucent & ardent ígnibus.
Amen.

Ant. t. 3. *E.* Lætétur.

PSALMUS 104.

Beneficia Israeli collata enumerantur.

COnfitemini Dómino, & invocáte nomen ejus; * annuntiáte inter gentes ópera ejus.

Cantáte ei, & psállite ei; * narráte ómnia mirabília ejus.

Laudámini in nómine sancto ejus; * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, & confirmámini; * quærite fáciem ejus semper.

Mementóte mirabílium ejus quæ fecit, * prodígia ejus & judícia oris ejus,

Semen Abraham, servi ejus; * fílii Jacob elécti ejus.

Ipse Dóminus Deus noster; * in univérsa terra judícia ejus.

Memor fuit in sæculum testaménti sui; * verbi quod mandávit in mille generatiónes,

Quod dispósuit ad Abraham; * & juraménti sui ad Isaac:

Et státuit illud Jacob in præcéptum, * & Israel in testaméntum ætérnum;

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hæreditátis vestræ.

Cùm essent número brevi, paucíssimi, * & íncolæ ejus;

Et pertransiérunt de gente in gentem, * & de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis; * & corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos, * & in prophétis meis nolíte malignári. Glória.

Divisio Psalmi 104. Et

Vocávit (Dóminus) famem super terram, * & omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum; * in servum venúmdatus est Joseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes ejus, ferrum pertránsiit ánimam ejus, * donec veníret verbum ejus.

Elóquium Dómini inflammávit eum; * misit rex; & solvit eum; princeps populórum, & dimísit eum.

Constítuit eum Dóminum domûs suæ, * & príncipem omnis possessiónis suæ;

Ut erudíret príncipes ejus sicut semetípsum, * & senes ejus prudéntiam docéret.

Et intrávit Israel in Ægyptum; * & Jacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum vehemēter: * & firmávit eum super inimícos éjus.

Convértit cor eórum, ut odírent pópulum ejus, * & dolum fácerent in servos ejus. Glória.

Altera divisio Psalmi 104.

Misit (Dóminus) Moysen servum suum, * Aáron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * & prodigiórū in terra Cham.

Misit ténebras, & obscurávit; * & non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinē; * & occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, & venit cœnomyía & cíniphes * in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem; * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, & ficúlneas eórum; * & contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, & venit locústa, & bruchus, * cujus non erat númerus,

Et comédit omne fœnum in terra eórum, * & comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum, * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto & auro; * & non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægyptus in profectióne eórum, * quia incúbuit tīmor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum; * & ignem

ut lucéret eis per noctem.

Petiérūt, & venit cotúrnix; * & pane cœli saturávit eos.

Dirúpit petram, & fluxérunt aquæ; * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham púerum suum:

Et edúxit pópulum suum in exultatióne; * & eléctos suos in lætítia:

Et dedit illis regiónes géntium; * & labóres populórū possedérunt;

Ut custódiant justificatiónes ejus, * & legem ejus requírant. Glória, &c.

Ant. Lætétur cor quæréntium Dóminum. *v.* 3.

Capitulum. 1. *Joan.* 4. 16.

DEus cháritas est: & qui manet in charitáte in Deo manet, & Deus in eo.

℟. *br.* Díligam te, Dómine, * Fortitúdo mea. Díligam. ℣. Dóminus firmaméntum meum & refúgium meum. * Fortitúdo mea: Glória Patri, &c. Díligam *Psal.* 17. 2. 3.

℣. Mihi autem adhærére Deo bonum est: ℟. Pónere in Dómino spem meam. *Ps.* 72. 28.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUo dante sol ardet, Deus,
Ignes malígnos cómprime;
Ne membra rixæ dívidant
Quæ panis unus cólligat.
Quæ Numen unum máximum
Simúlque fratres díligit,
Ramis duóbus múltiplex
Est una virtus cháritas.
Tibi, Pater, sit glória,
Par Fílio, cum Spíritu,
Qui pacis auctor mútuis
Fratres revíncis néxibus.
Amen.

Ant. t. 7. c. Vísita nos.

PSALMUS 105.

Bonitas Dei: Judæorum ingratus animus.

COnfitémini Dómino, quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes ejus?

Beáti qui custódiunt judícium, * & fáciunt justítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui, * vísita nos in salutari tuo,

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándū in lætítia gentis tuæ; * ut laudéris cum hæreditáte tuâ. Glória, &c.

Divisio Psalmi 105.

PEccávimus cum pátribus nostris, * injústè égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægypto non intellexérunt mirabília tua; * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ:

Et irritavérunt ascendéntes in mare * mare rubrum;

Et salvávit eos propter nomen suum: * ut notam fáceret poténtiam suam;

Et increpuit mare rubrum, & exsiccátum est; * & dedúxit eos in abyssis sicut in desérto;

Et salvávit eos de manu odiéntium, * & redémit eos de manu inimíci:

Et opéruit aqua tribulántes eos; * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis ejus, * & laudavérunt laudem ejus.

Citò fecérunt; oblíti sunt óperum ejus; * & non sustinuérunt consílium ejus;

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto; * & tentavérunt Deum in inaquóso;

Et dedit eis petitionem ipsórum, * & misit saturitátem in ánimas eórum..

Et irritavérunt Móysen in castris, * Aáron sanctum Domini.

Apérta est terra, & deglutívit Dathan, * & opéruit super congregatiónem Abiron;

Et exársit ignis in synagóga eorum, * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb; * & adoravérũt scúlptile;

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

Oblíti sunt Deum qui salvávit eos, * qui fecit magnália in Ægypto, mirabília in terra Cham, terribília in mari rubro.

Et dixit ut dispérderet eos, * si non Moyses eléctus ejus stetísset in confractióne, in conspéctu ejus, ut avérteret iram ejus, ne dispérderet eos;

Et pro níhilo habuérunt terram desiderabilem: * non credidérunt verbo ejus.

Et murmuraverũt in tabernáculis suis; * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos, * ut prosterneret eos in desérto;

Et ut dejíceret semen eórum in natiónibus, * & dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor, * & comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis: * & multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, & placávit; * & cessavit quassátio:

Et reputatũ est ei in justítiam, * in generatiónem & generatiónem usque in sempitérnum.

Et irritavérunt eum ad aquas contradictiónis; * & vexatus est Móyses propter eos;

Quia exacerbavérunt spíritum ejus; * & distínxit in lábiis suis. Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 105.

NOn dispérdidérunt gentes, * quas dixit Dóminus illis.

Et commíxti sunt inter gentes, * & didicérunt ópera eórum.

Et serviérunt sculptílibus eórum; * & factum est illis in scándalum;

Et immolavérunt fílios

ros, * & filias suas dæmóniis;

Et effudérunt sánguinem innocéntem; * sánguinem filiórum suórum, & filiarū suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et inféċta est terra in sanguínibus, & contamináta est in opéribus eórum; * & fornicati sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in populum suum, * & abominátus est hæreditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium; * & domináti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, * & humiliáti sunt sub mánibus eórum.

Sæpe liberávit eos: * ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo; & humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit cùm tribularéntur, * & audívit oratiónem eorum;

Et memor fuit testaménti sui; * & pœnítuit eum secúndum multitúdinem misericordiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias, * in conspeċtu omniū qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine Deus noster, * & cóngrega nos de natiónibus;

Ut confiteámur nómini sanċto tuo, * & gloriémur in laude tua.

Benedíċtus Dóminus Deus Israel à sæculo & usque in sæculum; * & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat. Gloria, &c.

Ant. Visita nos in salutári tuo, Dómine, ad vidéndum in bonitáte eleċtorum tuórum. *v.* 4. 5.

Capitulum. I. *Cor.* 10. 17.

Unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participámus.

℟. *br.* Propter fratres meos, & próximos meos, * Loquébar pacem de te. Propter.

℣. Propter domum Dómini Dei nostri, quæsivi bona tibi. * Loquébar. Glória Patri. Propter. *Ps.* 121. 8. 9.

℣. Ecce quàm bonum, & quàm jucúndum, ℟. Habitáre fratres in unū. *Ps.* 132. 1.

AD NONAM.

HYMNUS.

Dum sol recédit, próximo
Locum relínquens vésperi,
Ne delitésce méntibus,
Lux vera, Christi grátia.

Erróris expers ámbulat
Quicúmque te currit duce
A calle devius perit
Te quisquis amens ábdicat.

Laus sit Patri cum Filio:
Par sit tibi laus, Spiritus,
Qui luce gressus prævià
Nostros benígnè dírigis.
Amen.

Ant. t. 6. f. Confitémini.

PSALMUS 106.

Deus suos bonis cumulare amat.

Confitémini Dño quóniam bonus, * quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Dicant qui redémpti sunt à Dómino, * quos redémit de manu inimíci:

Et de regiónibus congregávit eos: * à solis ortu & occásu: ab aquilóne & mari:

Erravérunt in solitúdine in inaquóso; * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes, & sitiéntes; * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam, * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum;

Quia satiávit ánimam inánem; * & ánimã esurientem satiávit bonis;

Sedéntes in ténebris, & umbrâ mortis, * vinctos in mendicitáte & ferro;

Quia exacerbavérunt elóquia Dei, * & consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum; * infirmáti sunt, nec fuit qui adjuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, & umbra mortis; * & víncula eórum disrúpit.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum:

Quia contrívit portas æreas, * & vectes férreos confrégit. Glória, &c.

Divisio Psalmi 106.

SUscépit eos (Dóminus) de via iniquitátis eórum; * propter injustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum; * & appropinquavérunt usque ad portas mortis;

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, & sanávit eos; * & erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, * & mirabília ejus fíliis hóminum.

Et sacrífícent sacrifícium laudis, * & annúntient ópera ejus in exultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus; * faciéntes operatiónem in aquis multis;

Ipsi vidérunt ópera Dómini, * & mirabília ejus in profúndo.

Dixit, & stetit spíritus procéllæ, * & exaltati sunt fluctus ejus:

Ascéndũt usque ad cœlos, & descéndunt usque ad abyssos; * ánima eórum in malis tabescébat:

Turbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius; * & omnis sapiéntia eórum devoráta est:

Et clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; * & de necessitátibus eórum edúxit eos:

Et statuit procéllam ejus in auram, * & siluérunt fluctus ejus:

Et lætáti sunt quía siluérunt; * & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; * & mirabília ejus filiis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis, * & in cáthedra seniórum laudent eum.

Glória, &c.

Altera Divisio Psalmi 106.

POsuit, (Dóminus) flúmina in desértum; * & éxitus aquárum in sitim:

Terram fructíferam in salsúginem, * à malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum, * & terram sine aqua in éxitus aquárum;

Et collocávit illìc esuriéntes, * & constituérunt civitátem habitatiónis;

Et seminavérunt agros, & plantavérunt víneas; * & fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, & multiplicáti sunt nimis; * & juménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt, * & vexáti sunt à tribulatióne malórum, & dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes, * & erráre fecit eos in ínvio, & non in via.

Et adjúvit paúperem de inópia, * & pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, & lætabúntur; * & omnis iniquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens, & custódiet hæc? * & intélliget misericórdias Dómini? Glória, &c.

Ant. Confitémini Dómino quóniam bonus; quóniã in sæculum misericórdia ejus. *v.* 1.

Capitulum. Ephes. 2. 4. & 7.

DEus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suã quâ diléxit nos, convivificávit nos in Christo; ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ.

℟. *br.* Replébimur, Dñe * In bonis domûs tuæ. Replébimur. ℣. Sanctum est templũ tuum; mirábile in æquitáte. * In bonis. Glória. Replébimur. *Ps.* 64. 5. 6.

℣. Veníte, narrábo, omnes qui timétis Deum, ℟. Quanta fecit ánimæ meæ. *Ps.* 65. 16.

AD VESPERAS.

Ant. 1. *D.* Rogáte.

PSALMUS 121.

Ecclesiæ concordia, pietas, & dotes celebrantur.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuís, Jerúsalem;

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas; * cujus participátio ejus in idípsum:

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini; * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini;

Quia illìc sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua, * & abūdántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Ant. Rogáte quæ ad pacē sunt Jerúsalem, & abundantia diligéntibus te. *v.* 6.

Ant. *t.* 3. *E.* Ecce.

PSALMUS 127.

Quàm prospera sint res timentibus Deum.

BEáti omnes qui timent Dóminum, * qui ámbulant in viis ejus.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis; * beátus es, & bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domûs tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion; * & vídeas bona Jerúsalem ómnibus diebus vitæ tuæ;

Et vídeas fílios filiórum tuórū; * pacem super Israel.

Ant. Ecce sic benedicétur homo, qui timet Dominum. *t.* 4.

Ant. *t.* 5. a. Elégit.

PSALMUS 131.

Oratio Ecclesiæ Christum & ejus gratias deposcentis.

MEménto, Dñe, David, * & omnis mansuetúdinis ejus;

Sicut jurávit Dómino, * votum vovit Deo Jacob:

Si introíero in tabernáculum domûs meæ, * si ascéndero in lectum strati mei;

Si dedero somnum óculis meis, * & pálpebris meis dormitatiónem;

Et réquiem tempóribus meis, donec invéniam locū Dómino: * tabernáculum Deo Jacob.

Ecce audívimus eam in Ephráta; * invénimus eam in campis sylvæ.

Introíbimus in tabernáculum ejus; * adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus.

Surge, Dómine, in réquiem tuam; * tu & arca sanctificationis tuæ.

Sacerdótes tui induántur justítiam; * & sancti tui exúltent.

Propter David servū tuū, * non avértas fáciē Christi tui.

Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrabitur eum; * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint filii tui testamentum meum, * & testimónia mea hæc, quæ docébo eos;

Et filii eórum usque in sæculum * sedébunt super sedem tuam;

Quóniam

Quóniam elégit Dóminus Sion; * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi; * hìc habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam ejus benedícens benedícam; * paúperes ejus saturábo pánibus.

Sacerdótes ejus índuam salutári; * & sancti ejus exultatióne exultábunt.

Illùc prodúcam cornu David; * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos ejus índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. Elégit Dóminus Sion, elégit eam in habitatiónem sibi. *v.* 13.

Ant. t. 1. *irreg.* Illùc.

PSALMUS 132.

Fraternæ charitatis beatitudo.

ECce quàm bonum, & quàm jucúndum,* habitáre fratres in unum!

Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbā, barbam Aáron; * quod descéndit in oram vestiménti ejus:

Sicut ros Hermon; * qui descéndit in montem Sion:

Quóniam illìc mandávit Dóminus benedictiónem; * & vitam usque in sæculum.

Ant. Illìc mandávit Dóminus benedictiónem, & vitam usque in sæculum. *v.* 3.

Ant. t. 5. *A.* In quacúmque.

PSALMUS 137.

Beneficentia & veritas Dei exaltantur.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniā audísti verba oris mei.

In conspectu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua & veritáte tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum;

In quacúmque die invocávero te, exaudi me: * multiplicábis in ánima mea virtutem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini, * quoniam magna est glória Dómini;

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me; * Dómine, misericórdia tua in sæculum; ópera mánuū tuárum ne despícias.

Ant. In quacúmque die invocávero te, multiplicábis in ánima mea virtútem. *v.* 3.

Capitulum. Heb. 4. 16.

ADeámus ergo cum fidúcia ad thronum grá-

tiæ; ut misericordiam consequamur, & grátiam inveniamus in auxílio opportúno.

HYMNUS.

AQuæ vocáti flúctibus
Pisces natant, volant aves:
Utrúmque mortáli genus
Parátur esca córpori.

Sed quis parátur cœlitùs
Menti cibus! vos Angeli,
Stupéte vero véscimur,
Quo vos beáti Númine.

O mira Christi cháritas
Tantùm tuos quæ díligis!
Corpus, futûram víctimam,
Nostris cibum das méntibus.

Splendóris ímmemor tuî
Nostræ salútis ánxius,
Ut nos ad alta provehas,
Ad ima descéndis, Deus.

Per mille fusum vúlnera
Orbi rependis sánguinem:
Hoc fonte currens grátia
Terras inúndans írrigat.

Beáta gens, quam pródigâ
Ditáre non cessas manu!
Amóris hæc memor tuî,
Amóris & reddat vices.

Sit laus Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Per quem refúsa córdibus
Ardéscit imis cháritas.

Amen.

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus; ℟. Pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32. 12.

Ad Magnificat: *Ant. t.* I. *F.* Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. *Luc* I. 49.

FERIA SEXTA.

Ait Deus: Faciamus hominem, &c: etiam Feriâ sextâ hominem devium Christus redemit.

OFFICII FINIS.

Deus in suâ erga peccatores misericordiâ adorandus: hinc peccatorum pœnitentia; in adversis patientia.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Redemptórem nostrum Dóminum; * Veníte, adorémus. *Isa.* 47. 4.

Ps. 94. Veníte. *pag.* 2.

PRO I. NOCTURNO.

Ant t. 4. *A.* Eripe.

PSALMUS 6.

Oratio pœnitentis misericordiam Dei implorantis.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infírmus sum; * sana me, Domine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecationem meam: * Dóminus oratiónem meã suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimici mei; * convertántur & erubéscant valde velóciter.

P s a l m u s 31.

Pia adhortatio, ut quisque se a peccatis abstrahat.

BEáti quorum remíssæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccatũ, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniã tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte gravátа est super me manus tua, * convérsus sum in ærúmna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cógnitũ tibi feci, * & injustítiam meã non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meũ à tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exultátio mea, érue me à circumdántibus me.

Intellectum tibi dabo, & ínstruam te in via hac quâ gradiéris: * firmabo super te óculos meos.

Nolíte fieri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxillas eórum constringe, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris; * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultáte, justi; * & gloriámini, omnes recti corde.

P s a l m u s 37.

Mala vitæ sustinenda in peccatorum vindictam.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * & confirmásti super me manum tuã.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ; * non est pax óssibus meis à facie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meũ, * & sicut onus grave graváta sunt super me.

Putruérunt, & corrúptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediébar;

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne mea.

Afflictus sum, & humiliátus sum nimis; * rugiebam à gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei, & próximi mei, * advérsùm me appropinquavérunt & stetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes; * & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum:

Et factus sum sicut homo non aúdiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi; * tu exaúdies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergaúdeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt;

Quóniam ego in flagélla parátus sum, * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátē meam annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me; * & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequebar bonitátē.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Ant. Eripe, Dómine, ánimam meam; salvum me fac propter misericórdiam tuā. *Ps. 6. v. 5.*

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 8. C. Dixi: Dómine.

PSALMUS 40.

Eleemosynæ meritum: Judæ proditio.

BEátus qui intélligit super egénum & paúperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum; & beátum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicórum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus; * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi: Dómine, miserére meî; * sana ánimā meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, & períbit nomen ejus?

Et si ingrediébatur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs; * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant

omnes inimíci mei; * advérsùm me cogitábãt mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti; * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel à sæculo, & usque in sæculum; * Fiat, fiat.

PSALMUS 54.

A fictis amicis servari orat Christus.

EXaúdi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam; * inténde mihi, & exaúdi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea; * & conturbátus sum à voce inimíci, & à tribulatióne peccatóris;

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes; * & in ira moléfti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me; & formído mortis cécidit super me.

Timor & tremor venérunt super me; * & contexérunt me ténebræ.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ? * & volabo, & requiéscam.

Ecce elongávi fúgiens; * & mansi in solitúdine.

Expectábam eum qui salvum me fecit * à pusillanimitáte spíritûs, & tempestáte.

Præcipita, Dómine, dívide linguas eórum; * quóniam vidi iniquitátem & contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros ejus iníquitas; * & labor in médio ejus, & injustítia.

Et non defécit de platéis ejus * usúra & dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique;

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset, * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu verò, homo unánimis, * dux meus & notus meus,

Qui simul mecum dulces capiebas cibos; * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos, * & descéndant in inférnum vivéntes;

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum, * in médio eórum.

Ego autem ad Deum clamávi; * & Dóminus salvábit me.

Vésperè, & manè, & merídie narrábo & annũtiábo; *

& exaúdiet vocem meam.

Redimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi ;* quóniam inter multos erant mecum.

Exaúdiet Deus, & humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio,& non timuérunt Deū;* extendit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testamētum ejus, divísi sunt ab ira vultús ejus; * & appropinquávit cor illíus.

Mollíti sunt sermónes ejus super oleum; * & ipsi sunt jácula.

Jacta super Dóminum curam tuam, & ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuationem justo.

Tu verò, Deus, * dedúces eos in púteum intéritús.

Viri sánguinum & dolósi non dimidiábunt dies suos; * ego autem sperábo in te, Dómine.

PSALMUS 58.

Ecclesiæ zelus adversùs impios.

ERipe me de inimícis meis, Deus meus; * & ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem, * & de viris sánguinum salva me;

Quia ecce cepérunt ánimam meam; * irruérunt in me fortes;

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine; * sine iniquitáte cucurri, & diréxi.

Exúrge in occúrsum meum, & vide; * & tu, Dómine Deus virtútum, Deus Israel,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non misereáris omnibus qui operántur iniquitatem.

Converténtur ad vésperam; & famem patiéntur ut canes, & circuibunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, & gládius in lábiis eórum; * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia ejus præveniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, * ne occídas eos, nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua, * & depóne eos, protéctor meus, Dómine.

Delíctum oris eórum sermónem labiórum ipsórum, * & comprehendántur in supérbia sua.

Et de execratióne & mendácio annuntiabúntur in consummatióne, * in ira consummatiónis, & non erunt.

Et scient, quia Deus dominábitur Jacob, * & finium terræ.

Converténtur ad vésperam; & famem patiéntur ut canes, * & circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum; * si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam, * & exultabo manè misericórdiam tuam;

Quia factus es suscéptor meus & refúgium meum, * in die tribulatiónis meæ.

Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es; * Deus meus, misericórdia mea.

Ant. Dixi: Dómine, miserére meî: sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Ps.* 40. 5.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 2. D. Da nobis.

PSALMUS 59.

Synagogæ afflictæ flebilis quærimonia: auxilii divini deprecatio.

DEus, repulísti nos, & destruxísti nos; * irátus es, & misértus es nobis.

Commovísti terram, & conturbásti eam: * sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura; * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem; * ut fúgiant à fácie arcûs;

Ut liberéntur diléꝺti tui: * salvum fac dézterâ tuâ, & exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo; * Lætábor & partíbor Síchimam, & convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, & meus est Manásses, * & Ephraim fortitúdo cápitis mei;

Juda rex meus, * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum; * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos? * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne, * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem; * & ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

PSALMUS 69.

Christi sibi opem poscentis oratio.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur, & revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum, & erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi; Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te; * & dicant semper: Magnificétur Dominus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego verò egénus & pauper sum; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus, & liberátor meus es tu: * Dómine, ne moreris.

PSALMUS 87.

Christus ab inimicis vexatus, ab amicis derelictus, se Deo commendat.

Domine Deus salútis meæ, * in die clamávi & nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea; * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea; * & vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum; * factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber;

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius; * & ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri, * in tenebrósis, & in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus, * & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longè fecisti notos meos à me; * posuerunt me abominatiónem sibi

Tráditus sum, & non egrediébar; * oculi mei languerunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, totâ die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília, * aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, * & veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * & justítia tua in terra obliviónis?

Et ego ad te, Dómine, clamávi; * & manè orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis orationem meam, * avértis fáciem tuam à me?

Pauper sum ego, & in labóribus à juventúte mea; * exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ; * & terróres tui conturbavérunt me:

Circumdedérunt me sicut aqua totâ die; * circumdedérunt me simul.

Elongásti à me amícum & próximum, * & notos meos à miséria.

Ant. Da nobis auxílium de tribulatióne; quia vana salus hóminis. *Ps.* 59. 13.

℣. Lavábo per síngulas noctes lectum meum, ℟. Lácrymis meis stratum meum rigabo. *Ps.* 6. 7.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Manè astábo tibi, & videbo; ℟. Quóniam non Deus volens iniquitátem tu es. *Ps.* 5. 5.

Ant. t. 8. *C.* Cor contrítum.

PSALMUS 50.

Pœnitentis animæ amara contritio.

Miserére mei, Deus, * secúndùm magnā misericórdiam tuam;

Et secúndùm multitúdi-

nem miseratiónum tuárũ, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte meâ, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátẽ meam ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas, cùm judicaris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gaúdium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum ínnova in visceribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & spíritum sanctum tuum ne aúferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas; * & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses, sacrifícium dedíssem útique; * holocaústis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus; * cor contrítũ & humiliátum, Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jerusalẽ.

Tunc acceptábis sacrifíciũ justítiæ, oblatiónes & holocaústa; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. *v.* 19.

In Festis loco Psalmi Miserére, *dicitur Ps.* 92. Dóminus regnavit decórem, &c. *in Dominicâ ad Laudes pag.* 9.

Ant. 1. 7. C. Dómine.

PSALMUS 5.

Contra malignos auxilium deprecatur justus.

VErba mea aúribus pércipe, Dómine; * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exaúdies vocem meam.

Manè astábo tibi, & vidébo; * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátẽ; * perdes om-

nes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum * abominabitur Dóminus;

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam;

Quoniam non est in ore eórum véritas; * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agebant; * júdica illos, Deus.

Decidant à cogitatiónibus suis; secúndùm multitudinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperant in te; * in ætérnum exultábunt; & habitabis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuũ; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Dómine, intéllige clamórem meum. *v.* 2.

Ant. 1. 2. *D.* Citò.

PSALMUS 78.

Urbis & templi vastitas: persecutiones prædictæ.

DEus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servórum tuorum, escas volatílibus cœli, * carnes sanctórum tuorum bestiis terræ.

Effudérunt sanguinem eórum tamquam aquam in circúitu Jerusalem; * & non erat qui sepeliret.

Facti sumus oppróbrium vicinis nostris; * subsannátio & illúsio his qui in circúitu nostro sunt.

Usquequò, Dómine, irascéris in finem, * accendétur, velut ignis, zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes quæ te non novérunt, * & in regna quæ nomen tuum non invocavérunt;

Quia comederunt Jacob, * & locum ejus desolaverunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrarum antiquarum, citò antícipent nos misericórdiæ tuæ; * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutáris noster; & propter glóriam nominis tui, Dómine, líbera nos; * & propítius esto peccatis nostris propter nomen tuum;

Ne fortè dicant in géntibus: * Ubi est Deus eórum?

Et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris * últio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est:

Introëat in conspéctu tuo gémitus compeditórum; *

secúndum magnitúdinē brachii tui póssíde filios mortificatórum ;

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eorum ; * impropérium ipsorum quod exprobraverunt tibi, Dñe.

Nos autem populus tuus, & oves páscuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum.

In generatiónem & generatiónem, * annuntiabimus laudem tuam.

Ant. Citò antícipent nos misericórdiæ tuæ; quia paúperes facti sumus nimis. *v.* 8.

Ant t. 4. *d.* Cum irátus.

CANTICUM Habacuc. 3.

DOmine, audívi auditiónem tuam, * & tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annorum vivífica illud.

In médio annórum notum fácies : * cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * & Sanctus de monte Pharan.

Opéruit cœlos glória ejus, * & laudis ejus plena est terra.

Splendor ejus ut lux erit, * córnua in mánibus ejus :

Ibi abscóndita est fortitúdo ejus : * ante fáciem ejus ibit mors ;

Et egrediétur diábolus ante pedes ejus, * stetit, & mensus est terram.

Aspéxit, & dissólvit gentes; * & contríti sunt montes sæculi.

Incurvati sunt colles mundi * ab itineribus æternitatis ejus.

Pro iniquitate vidi tentória Æthiopiæ : * turbabuntur pelles terræ Madian.

Numquid in flumínibus irarus es, Dómine ? * aut in flumínibus furor tuus ? vel in mari indignatio tua ?

Qui ascendes super equos tuos ; * & quadrígæ tuæ, salvatio.

Súscitans suscitábis arcum tuum, * juraménta tríbubus, quæ locútus es.

Flúvios scíndes terræ ; vidérunt te, & doluérunt montes ; * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abyssus vocem suã ; * altitúdo manus suas levávit.

Sol & luna stetérunt in habitáculo suo : * in luce sagittárum tuárum ibunt, in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram : * in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui, * in salútem cum christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii ; * denudásti fundaméntū ejus usque ad collum.

Maledixísti sceptris ejus, cápiti bellatórum ejus, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exultátio eórum, * sicut ejus qui dévorat paúperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis

tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, & conturbátus est venter meus : * à voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * & subter me scáteat;

Ut requiéscam in die tribulatiónis; * ut ascendam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit; * & non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ; * & arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus; * & non erit armentum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo, * & exultábo in Deo Jesu meo.

Deus Dóminus, fortitúdo mea, * & ponet pedes meos quasi cervórum;

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem. Glória.

Ant. Cùm irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

ẟ. 2.

In Festis dicitur CANTICUM *Tob.* 13. 1.

MAgnus es, Dómine, in ætérnum, * & in ómnia sæcula regnum tuum;

Quóniam tu flagellas & salvas; dedúcis ad ínferos & redúcis: * & non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israel, * & in conspéctu géntium laudáte eum;

Quóniam ideò dispérsit vos inter gentes quæ ignórant eum; * ut vos enarrétis mirabília ejus;

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigavit nos propter iniquitates nostras; * & ipse salvabit nos propter misericórdiam suam.

Aspicite ergo quæ fecit nobíscum, & cum timóre & tremore confitémini illi; * regemque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi; * quóniam osténdit majestátem suam in gentem peccatricem.

Convertímini ítaque, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo, * credéntes quòd fáciat vobíscum misericórdiam suam.

Ego autem, & ánima mea * in eo lætábimur. Glória.

Ant. t. 7. A. Benedícite.

PSALMUS 95.

Cantatur per Christum facta salus: ipse judex venturus.

CAntáte Dómino cánticum novum; * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, & benedícite nómini ejus; * annuntiáte de die in diem salutare ejus.

Annuntiáte inter gentes glóriam ejus; * in ómnibus pópulis mirabília ejus;

Quóniam magnus Dóminus, & laudábilis nimis; *

terríbilis est super omnes deos;

Quóniam omnes dii géntium dæmónia; * Dóminus autem cœlos fecit.

Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus; * sanctimónia & magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam & honórem: * afférte Dómino glóriam nómini ejus.

Tóllite hóstias, & introíte in átria ejus; * adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Commoveátur à fácie ejus univérsa terra; * dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur; * judicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cœli, & exúltet terra; commoveátur mare, & plenitúdo ejus; * gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt;

Tunc exultábunt ómnia ligna sylvárum à fácie Dómini, quia venit: * quóniã venit judicáre terram:

Judicábit orbem terræ in æquitáte, * & pópulos in veritáte sua.

Ant. Benedícite nómini ejus; annuntiáte de die in diem salutáre ejus. ℣. 2.

Capitulum. Isa. 53. 5.

Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, & livore ejus sanáti sumus.

℣. Apud Dóminum misericórdia: ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps* 129. 7.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *E.* Dóminus Deus Israel fecit redemptiónem plebis suæ. *Luc.* 1. 68.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

Novam redúxit sol diem;
Mortis tuæ per grátiam,
O Christe, vitæ rédditos
Novis tuére víribus.

Livóre sanátos tuo,
Tuóque lotos sánguine,
Peccándo ne novam sinas,
Paráre nos tibi crucem.

Per damna, per penúrias
Vitæque per discrímina,
Da, militémus súbditis
Tibi, Redémptor, córdibus.

Crux est gradus, quâ téndere
Ad alta fas est átria;
Cœli futúris álterum
Iter negátur cívibus.

O sempitérna Trínitas,
Nos ferre lætos fac crucem:
Spinis coronátum caput
Membris rubéret móllibus.
Amen.

Ant. t. 8. *C.* Dómine.

PSALMUS 108.

Christus Judæ proditori, aliisque impiis dignas pœnas; sibi autem salutem precatur.

Deus, laudem meam ne tacúeris; * quia os peccatóris, & os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsùm me linguâ dolósâ, & sermónibus ódii circumdedérunt me; * & expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi; * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsùm me mala pro bonis, * & ódium pro dilectióne mea.

Glória Patri, &c.

Divisio Psalmi 108.

CONstítue (Dómine) super eum peccatórem; * & diábolus stet à dextris ejus.

Cùm judicátur, éxeat condemnatus; * & orátio ejus fiat in peccátum:

Fiant dies ejus pauci; * & episcopátum ejus accípiat alter.

Fiant fílii ejus órphani, * & uxor ejus vidua.

Nutántes transferántur fílii ejus, & mendicent, * & ejiciantur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fœnerátor omnem substántiam ejus, * & dirípiant aliéni labóres ejus.

Non sit illi adjútor, * nec sit qui misereatur pupíllis ejus.

Fiant nati ejus in intéritum; * in generatióne una deleátur nomen ejus.

In memóriam redeat iníquitas patrum ejus in conspectu Dómini; * & peccátum matris ejus non deleatur.

Fiant contra Dominum semper; * & dispéreat de terra memória eórum;

Pro eo quòd non est recordátus fácere misericórdiam; * & persecútus est hóminem ínopem, & mendícum, & compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, & véniet ei; * & noluit benedictiónem, & elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum; * & intrávit sicut aqua in interióra ejus, & sicut óleum in ossibus ejus.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur, * & sicut zona quâ semper præcíngitur.

Hoc opus eórum qui détrahunt mihi apud Dóminum, * & qui loquúntur mala advérsus ánimam meã.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum; * quia suavis est misericórdia tua. Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 108.

LIbera me, quia egénus & pauper ego sum; * & cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra, cùm declínat, ablátus sum; * & excússus sum sicut locústæ.

Genua mea infirmáta sunt à jejunio, * & caro mea immutata est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis; * vidérunt me, & moverunt capita sua.

Adjuva me, Domine Deus meus; * salvum me fac se-

cúndùm misericórdiam tuã.

Et sciant quia manus tua hæc; * & tu, Dómine, fecisti eam.

Maledícent illi, & tu benedíces: * qui insúrgunt in me, confundántur; servus autem tuus lætábitur.

Induántur, qui détrahunt mihi, pudóre; * & operiántur sicut diploíde confusióne suâ.

Confitébor Dómino nimis in ore meo, * & in médio multórum laudábo eum;

Quia ástitit à dextris paúperis, * ut salvam fáceret à persequéntibus ánimam meã.

Ant. Dómine, fac mecum propter nomen tuum; quia suávis est misericórdia tua. ℣. 21.

In Feriali Officio Capitulum. I. *Petr.* 2. 20. 21.

SI bene faciéntes patiénter sustinétis; hæc est grátia apud Deum; in hoc enim vocáti estis.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Spíritus qui póstulas
Miris gemens suspíriis!
Christi fluéntis úberes
Fructus repénde sánguinis.

Cruóre dum litans suo
Fit nostra Christus víctima,
Deo placéntes hóstias
Mentes amóre cónsecra.

Laus sit Patri, laus Fílio,
Par sit tibi laus, Spíritus,
Qui parta Christi sánguine
Nobis repéndis præmia.
Amen.

Ant. t. 4. *E.* In multitúdine.

PSALMUS 68.

Variæ passionis Christi circumstantiæ.

SAlvum me fac, Deus; * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meã.

Infíxus sum in limo profúndi, * & non est substántia.

Veni in altitúdinem maris, * & tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ; * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei injúste: * quæ non rápui, tunc exolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam; * & delícta mea à te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui expéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me, * qui quærunt te, Deus Israel;

Quóniam propter te sustínui oppróbrium, * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * & peregrínus fíliis matris meæ;

Quóniam zelus domûs tuæ comédit me, * & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in jejúnio ánimam meam; * & factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meũ cilícium; & factus sum illis in parábolam.

Advérsùm me loquebántur qui sedébant in porta; * & in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego verò oratiónem meã ad te, Dómine: * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exaúdi me, * in veritáte salútis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquarum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum, * neque úrgeat super me púteus os suum. Glória, &c.

Divisio Psalmi 68.

EXaúdi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua; * secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam à púero tuo; * quóniam tríbulor, velóciter exaúdi me.

Inténde ánimæ meæ, & líbera eam; * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropériũ meũ, & confusiónem meam, * & reveréntiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tríbulant me; * impropérium expectávit cor meum, & misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, & non fuit; * & qui consolarétur, & non invéni.

Et dedérunt in escam meã fel; * & in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * & in retributiónes, & in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant; * & dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam; * & furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta; * & in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet;

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt; * & super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum; * & non intrent in justítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium; & cum justis non scribántur. Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 68.

EGo sum pauper & dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico, * & magnificábo eum in laude.

Et placébit Deo super vítulum novellum, * cornua producéntem & úngulas.

Vídeant pauperes, & lætentur:

téntur: * quærite Deum, & vivet ánima vestra;

Quóniam exaudívit paúperes Dóminus, * & vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cœli & terra, * mare, & ómnia reptília in eis;

Quóniam Deus sálvam fáciet Sion, * & ædificabúntur civitátes Juda:

Et inhabitábunt ibi, * & hæreditáte acquírent eam.

Et semen servórum ejus possidébit eam; * & qui díligunt nomen ejus, habitábunt in ea.

Glória, &c.

Ant. In multitúdine misericórdiæ tuæ exaúdi me, in veritáte salútis tuæ. *v.* 14.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 5. 6.

Unus mediátor Dei & hóminum homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus.

℟. *br.* Redemptiónem misit (Dóminus) * Pópulo suo. Redemptiónem.

℣. Mandávit in ætérnum testaméntum suum. * Pópulo suo. Glória. Redemptiónem. *Ps.* 110. 9.

℣. Exultábunt lábia mea cùm cantávero tibi; ℟. Et ánima mea quam redemísti. *Ps.* 70. 23.

AD SEXTAM,

HYMNUS.

Qui solis ignes das, Deus,
Ignes coërce nóxios:
Lethále virus éxulet,
Quo pectus ardet ínvidum.
Extíngue bella plúrimis
Exósa jam cruóribus
Tuoque germen lítium
Agro nocívum súbmove.
O Trínitas, unus Deus,
Te deprecámur súpplices,
Unum quibus Christus caput,
Uno movéri spíritu. Amen.

Ant. t. 2. *D.* Ne elongáveris.

PSALMUS 21.

Christus moriturus Patrem in cruce obsecrat, ut sibi adsit.

Deus, Deus meus, réspice in me; quare me dereliquísti? * longè à salute mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, & non exaúdies; * & nocte, & non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israel.

In te speravérunt patres nostri; * speravérunt, & liberásti eos.

Ad te clamavérunt, & salvi facti sunt: * in te speravérunt, & non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, & non homo, * oppróbrium hóminum, & abjéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me; * locúti sunt lábiis, & movérunt caput.

Sperávit in Domino, erípiat eum; * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quoniam tu es qui extraxísti me de ventre; * spes mea ab ubéribus matris meæ;

In te projéctus sum ex útero; * de ventre matris meæ Deus meus es tu.

Glória, &c.

Divisio Psalmi 21.

NE discésseris à me, quóniam tribulátio próxima est, * quóniam non est qui ádjuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi; * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens & rugiens.

Sicut aqua effúsus sum; * & dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faúcibus meis; * & in pulverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi; * concílium malignantium obsédit me.

Fodérunt manus meas & pedes meos; * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi verò consideravérunt & inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, & super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum à me; * ad defensiónem meã cónspice.

Erue à frámea, Deus, ánimam meam, * & de manu canis únicam meam.

Salva me ex ore leónis, * & à córnibus unicórnium humilitatem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 21.

QUi timétis Dóminum, laudáte eum; * univérsum semen Jacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israel; * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem paúperis;

Nec avértit fáciem suam à me; * & cùm clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntiũ eum.

Edent paúperes, & saturabúntur; & laudabunt Dominum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur & converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ.

Et adorábunt in conspéctu ejus * univérsæ famíliæ géntium;

Quóniam Dómini est regnum; * & ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt & adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu ejus cadent omnes qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi vivet; * & semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra; * & annuntiábunt cœli justítiam ejus pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Glória, &c.

Ant. Ne elongáveris, Dómine, auxílium tuum à me. *v.* 20.

Capitulum. Heb. 12. 2. 3.

ASpiciéntes in Auctórem fídei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gaúdio sustínuit crucem, confusióne contémptâ: recogitáte eum.

℟. *br.* Ego dixi; Dómine, * Miserére meî. Ego. ℣. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. * Miserére. Glória. Ego. *Ps.* 40. 5.

℣. Dixi; Confitébor injustítiam meam Dómino: ℟. Et tu remisísti impietátem peccáti mei. *Ps.* 31. 5.

AD NONAM.

HYMNUS.

EN orbe nostro sol fugit:
Ætérne, tu splendor Patris,
Si, Christe, nobis óccubes,
Mox cordis umbrat cæcitas.

Quid ergo cessas? íngruunt.
Intus, foris perícula
Hostinc præda línquimur,
Tuo redémpti sánguine?

Turbáta quid mens flúctuat?
Curâ patérnâ nos regis;
Deus, patérnè quos amas
Tuo beábis lúmine. Amen.

Ant. t. 6. f. In manus tuas.

PSALMUS 30.

Ultima verba Christi morientis, & se Deo in morte committentis.

IN te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnũ: * in justítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuã, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, & in domum refúgii; * ut salvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes * supervácuè.

Ego autem in Dómino sperávi: * exultábo & lætábor in misericórdia tua;

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meã;

Nec conclusísti me in mánibus inimíci; * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Glória, &c.

Divisio Psalmi 30.

MIserére meî, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, & venter meus;

Quóniam defécit in dolóre vita mea, * & anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea, * & ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum opprobriũ, & vicínis meis valde; * & timor notis meis.

Qui vidébant me, * foràs fugérunt à me.

Oblivióni datus sum tamquam mórtuus à corde; * factus sum tamquam vas pérditum;

Quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu: * in eo dum convenírent simul advérsùm me, accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine; * dixi: Deus meus es tu; in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * & à persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum: * salvum me fac in misericórdia tua.

Dómine, non confúndar quoniam invocávi te; * erubéscant ímpii, & deducántur in inférnum.

Muta fiant lábia dolósa, * quæ loquúntur advérsùs justum iniquitátem, in supérbia, & in abusióne.

Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 30.

QUàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te!

Perfecísti eis qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscondes eos in abscóndito faciéi tuæ, * à conturbatióne hóminum.

Proteges eos in tabernáculo tuo, * à contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus; * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munítâ.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Projéctus sum à fácie oculórum tuórum.

Ideò exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti ejus; * quóniam veritátem requíret Dóminus, & retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, & confortétur cor vestrum, * omnes qui sperátis in Dómino.

Glória, &c.

Ant. In manus tuas comméndo spíritum meum. v. 6.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 15.

PRo omnibus mortuus est Christus; ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est.

℟. *br.* Ampliùs lava me * Ab iniquitáte mea. Ampliùs. ℣. Et à peccáto meo munda me. * Ab iniquitate. Glória. Ampliùs. *Ps.* 50. 4.

℣. Tibi soli peccávi, ℟. Et malum coram te feci. *Ps.* 50. 6.

AD VESPERAS.

Ant. t. 4. *E.* Dóminus.

PSALMUS 128.

Recensis ecclesiæ prælia.

SÆpè expugnavérunt me à juventúte mea, * dicat nunc Israel.

Sæpè expugnavérunt me à juventúte mea; * étenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres; * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus justus concídit cervíces peccatórum; * confundántur & convertántur retrórsum omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectórum, * quod priùsquam evellátur, exáruit;

De quo non implévit manum suam qui metit; * & sinum suum qui manípulos cólligit:

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos; * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Dóminus justus concídit cervíces peccatórum. *v.* 4.

Ant. t. 8. *C.* Ipse rédimet.

PSALMUS 129.

Redemptio peccatorum à Christo promissa.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaúdi vocem meã.

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est; * & propter legem tuã sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiosa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Ipse rédimet Israel ex ómnibus iniquitátibus ejus. *v.* 8.

Ant. t. 2. *D.* Speret.

PSALMUS 130.

Humilitas, gratum Deo sacrificium.

DOmine, non est exaltátum cor meum; * neque eláti sunt óculi mei;

Neque ambulávi in magnis, * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam, * sed exaltávi ánimã meam;

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea:

Speret Israel in Dómino, * ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

Ant. Speret Israel in Dómino. *v.* 3.

Ant. *t.* 8. *C.* Ne tradas.

PSALMUS 139.

Se ab improbis defendi precatur Christus.

ERipe me, Dómine, ab hómine malo; * à viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde; * totâ die constituébant prælia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis; * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris; * & ab homínibus iníquis éripe me,

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos; * abscondérunt supérbi láqueum mihi;

Et funes extendérunt in láqueum; * juxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu; * exaúdi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ, * obumbrásti super caput meum in die belli:

Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri; * cogitavérunt contra me; ne derelínquas me, ne fortè exalténtur.

Caput circúitus eórum; * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes; in ignem dejícies eos; * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra; * virum injustum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus judícium ínopis, * & vindíctam paúperum.

Verúmtamen justi confitebúntur nómini tuo; * & habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ne tradas me, Dómine, à desidério meo peccatóri. *v.* 9.

Ant. *t.* 7. *C.* Elevátio.

PSALMUS 140.

In adversis patientia.

DOmine, clamávi ad te, exaúdi me; * inténde voci meæ, cùm clamavero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio manuum meárum, sacrificium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiã ori meo, * & óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declines cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis,

Cum homínibus operántibus iniquitátem; * & non communicabo cum eléctis eórum.

Corrípiet me justus in misericórdia, & increpábit me; * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum;

Quoniam adhuc & orátio mea * in beneplácitis eórum.

Absórpti sunt juncti petræ júdices eórum; * audient

verba mea, quóniam potuérunt.

Sicut craſſitúdo terræ erúpta eſt ſuper terram; * diſſipáta ſunt oſſa noſtra ſecus inférnum.

Quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei; * in te ſperávi, non aúferas ánimam meam.

Cuſtódi me à láqueo quem ſtatuérunt mihi, * & a ſcandalis operántium iniquitatem.

Cadent in retiáculo ejus peccatóres: * ſinguláriter ſum ego, donec tránſeam.

Ant. Elevátio mánuum meárum, ſacrifícium veſpertínum. *v.* 2.

Capitulum. Hebr. 12. 5. 6.

VObis tamquam fíliis loquitur (Deus,) dicens: Fili mi, noli neglígere diſciplínam Dómini: neque fatigéris dum ab eo argúeris: quem enim díligit Dóminus, caſtígat.

HYMNUS.

HOmo creátur ínnocens,
Spirans imágo Núminis;
Terréſtre córporis lutum
Cœléſtis afflat Spíritus.

Heu, cæca cordis právitas!
Jugum rebéllis éxcutit,
Deo ſupérbus nec timet
Æquáre pulvis vérticem.

Hinc quanta lædunt vúlnera!
Quanti labóres ópprimunt!
Ni, Chriſte, læſos ſúbleves,
Spes tota ſontes déſerit.

Amóris ô miráculum!
Mortális en ultrò Deus,
Culpæ gerens imáginem,
Pœnam nocéntum ſúſtinet.

Tantone noſtra débuit
Salus parári pígnore?
Cur totus it venis cruor?
Guttam dediſſe ſúfficit.

Homo, valóre víctimæ
Culpæ reátum póndera;
Tanto redempta ſanguine,
Quantis piánda lúctibus!

Qui Fílium tradit, Patri,
Natóque ſit laus víctimæ,
Par ſit tibi laus, qui ſacram
Succéndis aram, Spíritus.
Amen.

℣. Ego in flagélla parátus ſum: ℟. Et dolor meus in conſpéctu meo ſemper. *Pſ.* 37. 18.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 8. *c.* Suſcépit Iſrael púerum ſuũ, recordátus miſericórdiæ ſuæ. *Luc.* 1. 54.

SABBATO.

Deus requievit ab omni opere, &c. Gen. 2.

OFFICII FINIS.

Deus remunerator in æterna, quam nobis paravit, requie laudandus: hinc æternæ beatitudinis deſiderium.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum qui inquiréntibus ſe remunerátor eſt, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11, 6.

PRO I. NOCTURNO.

Ant. t. 3. *a.* Quis requiéſcet.

PSALMUS 14.

Quibus virtutum exercitiis ſalus obtineatur.

DOmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? *

aut quis requiéſcet in monte ſancto tuo?

Qui ingréditur ſine mácula, * & operátur juſtítiam;

Qui loquitur veritátem in corde ſuo; * qui non egit dolum in lingua ſua,

Nec fecit próximo ſuo malum, * & oppróbrium non accépit advérsùs próximos ſuos.

Ad níhilum dedúctus eſt in conſpéctu ejus malignus; * timéntes autem Dominum gloríficat:

Qui jurat próximo ſuo, & non décipit; * qui pecúniã ſuam non dedit ad uſúram, & múnera ſuper innocéntẽ non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

PSALMUS 16.

Juſtus ab inimicis liberari poſcit: beatitudinis ſpes.

EXaúdi, Dómine, juſtítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Aúribus pércipe oratiónẽ meam, * non in lábiis dolóſis.

De vultu tuo judícium meum prodeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probáſti cor meum, & viſitáſti nocte: * igne me examináſti; & non eſt invénta in me iníquitas;

Ut non loquátur os meũ ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego cuſtodívi vias duras.

Pérfice greſſus meos in ſémitis tuis, * ut non moveántur veſtígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudíſti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi; & exaúdi verba mea.

Mirífica miſericórdias tuas, * qui ſalvos facis ſperántes in te.

A reſiſténtibus déxteræ tuæ cuſtódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárũ prótege me, * à fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meã circumdedérunt; ádipem ſuũ concluſérunt: * os eórum locútum eſt ſupérbiam.

Projiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos ſuos ſtatuérunt declináre in terram.

Suſcepérunt me ſicut leo parátus ad prædam, * & ſicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exúrge, Dómine, præveni eum, & ſupplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manûs tuæ.

Domine, à paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abſcónditis tuis adimplétus eſt venter eórum.

Saturáti ſunt fíliis; * & dimiſérunt relíquias ſuas párvulis ſuis.

Ego autem in juſtítia apparebo conſpéctui tuo: * ſatiábor cùm apparúerit glória tua.

PSALMUS 26.

Fidelium fortitudo ex Deo; æternæ vitæ quærenda bona.

DOminus illuminátio mea, & salus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appròpiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus;

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meũ super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hóstiam vociferatiónis; * cantabo, & psalmum dicam Dómino.

Exaúdi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exaúdi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto; * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; & confortétur cor tuum, * & sústine Dóminum.

Ant. Quis requiéscet in monte sancto tuo? qui ingréditur sine mácula. *Ps.* 14. 1. 2.

PRO II. NOCTURNO.

Ant. t. 6. f. Apud te.

PSALMUS 35.

Impiorum malitia: justitia Dei justorum gloria.

DIxit injústus, ut delínquat in semetípso: * non est timor Dei ante óculos ejus;

Quóniam dolósè egit in conspéctu ejus; * ut inveniátur iníquitas ejus ad ódium.

Verba oris ejus iniquitas & dolus; * noluit intellígere, ut bene ageret.

Iniquitátem meditatus est in cubili suo; ástitit omni viæ non bonæ; * malitiam autem non odivit.

Domine, in cœlo misericórdia tua, * & veritas tua úsque ad nubes.

Justítia tua sicut montes Dei: * judícia tua abyssus multa.

Hómines & juménta salvábis, Dómine, * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Filii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, * & torrénte voluptátis tuæ potabis eos;

Quóniam apud te est fons vitæ, * & in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * & justítiam tuam his qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ; * & manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitatem; * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

PSALMUS 38.

Mundi contemptus: vitæ brevitas: æterni refrigerii desiderium.

DIxi: Custódiam vias meas, * ut non delínquā in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consisteret peccator advérsum me.

Obmútui, & humiliátus sum, & silui à bonis; * & dolor meus renovátus est.

Concaluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardescet ignis.

Locutus sū in lingua mea; * Notum fac mihi, Domine, finem meum,

Et númerum diérum meórū, quis est, * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos; * & substántia mea tamquam nihilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imagine pertransit homo; * sed & frustra conturbátur:

Thesaurizat; * & ignórat cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea? nonne Dominus? * & substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me; * opprobriū insipienti dedisti me.

Obmutui, & non aperui os meum, * quoniam tu fecisti.

Amove à me plagas tuas; * à fortitudine manûs tuæ ego defeci.

In increpatiónibus propter iniquitatem corripuisti hóminem, & tabéscere fecisti sicut aráneam ánimam ejus: * verumtamen vane conturbátur omnis homo.

Exaúdi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam: * auribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas; quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam; * & ámplius non ero.

PSALMUS 41.

Solatium justi, spes melioris vitæ.

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquarum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meam;* quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei,

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est; * proptérea memor ero tui de terra Jordánis, & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat,* in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandavit Dóminus misericórdiam suam, * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo; Suscéptor meus es;

Quare oblítus es mei? * & quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Dum dicunt mihi per síngulos dies; * Ubi est Deus tuus?

Quare tristis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ant. Apud te est fons vitæ; & in lúmine tuo vidébimus lumen. *Ps.* 35 10.

PRO III. NOCTURNO.

Ant. t. 4. E. Deus.

PSALMUS 48.

Nihil contra infernum prosunt opes; justitia sola ex eo eripit.

Audíte hæc, omnes gentes: * áuribus percípite, omnes qui habitátis orbem.

Quique terrígenæ, & filii hóminum, * simul in unum dives & pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam; * & meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam; * apériam in psaltério propositióne meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me.

Qui confídunt in virtúte sua, * & in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem suam,

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * & laborábit in ætérnum, & vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, * cùm víderit sapiéntes moriéntes:

Simul insípiens & stultus períbunt; * & relínquent aliénis divítias suas;

Et sepúlchra eórum domus illórum in ætérnum; tabernácula eórum in progénie & progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cùm in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

Hæc via illórum scándalum ipsis: * & póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt: * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum justi in matutíno; * & auxílium eórum veteráscet in inférno à glória eorum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cùm accéperit me.

Ne timúeris cùm dives factus fúerit homo, * & cùm multiplicáta fúerit glória domûs ejus.

Quóniam cùm interíerit, non sumet ómnia; * neque descéndet cum eo glória ejus:

Quia ánima ejus in vita ipsíus benedicétur; * confitébitur tibi cùm benefécerit ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum; * & usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cùm in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est juméntis insipiéntibus, & símilis factus est illis.

PSALMUS 57.

Malorum supplicia, bonorumque præmia, Deum justum arguent.

SI verè útique justítiam loquímini, * recta judicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini; * in terra injustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres à vulva; erravérunt ab útero; * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndùm similitúdinem serpéntis ; * sicut áspidis surdæ , & obturántis aures suas ,

Quæ non exaúdiet vocem incantántium , * & venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsorum ; * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens : * inténdit arcum suum, donec infirméntur.

Sicut cera quæ fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, & non vidérunt solem.

Priusquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum, * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur justus cùm víderit vindíctam ; * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo : Si útique est fructus justo ; * útique est Deus júdicans eos in terra.

PSALMUS 79.

Miseriarum finis per Christi adventum exoratur.

QUi regis Israel, inténde ; * qui dedúcis velut ovem, Joseph :

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraim, Bénjamin, & Manásse.

Excita poténtiam tuam ; & veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos, * & osténde faciem tuam ; & salvi érimus.

Dómine Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui ?

Cibábis nos pane lacrymárum, * & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra ?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris ; * & inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos ; * & osténde faciem tuam ; & salvi érimus.

Víneam de Ægypto transtulísti : * ejecísti gentes, & plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu ejus ; * plantásti radíces ejus ; & implévit terram.

Opéruit montes umbra ejus , * & arbústa ejus cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare ; * & usque ad flumen propágines ejus.

Ut quid destruxísti macériam ejus ; * & vindémiant eam omnes qui prætergrediúntur viam ?

Extermínávit eam aper de sylva, * & singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convértere ; * réspice de cœlo , & vide , & vísita víneam istam :

Et pérfice eam quam plantávit déxtera tua, * & super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, & suffóssa: * ab increpatióne vultùs tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ, * & super fílium hóminis quem confirmásti tibi.

Et non discédimus à te: * vivificábis nos, & nomen tuum invocábimus.

Dómine Deus virtútum, convérte nos, * & osténde fáciem tuam; & salvi érimus.

Ant. Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, cùm accéperit me. *Ps.* 48. 16.

℣. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte; ℟. Dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus? *Ps.* 41. 4.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Repléti sumus manè misericórdiâ tuâ:

℟. Et exultávimus, & delectáti sumus ómnibus diébus nostris. *Ps.* 89. 14.

Ant. t. 1. *irreg.* Innocens.

PSALMUS 23.

Dei imperium in omnia: solus justus stabit in loco sancto: Christi ad cælos ascensus.

DOmini est terra, & plenitúdo ejus; * orbis terrárum, & univérsi qui hábitant in eo;

Quia ipse super mária fundávit eum, * & super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus, & mundo corde, * qui non accepit in vano ánimã suam, nec jurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem à Dómino, * & misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Jacob.

Attollite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis & potens, Dóminus potens in prælio.

Attóllite portas, príncipes, vestras; & elevámini, portæ æternáles; * & introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Ant. Innocens mánibus, & mundo corde, hic accípiet benedictiónem à Dómino. *v.* 4. 5.

Ant. t. 1. *F.* Tu reddes.

PSALMUS 61.

Vanus impii conatus adversùs justum: divitiæ contemnendæ: Deus justus remunerator.

NOnne Deo subjécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum;

Nam & ipse Deus meus, & salutáris meus; * suscéptor meus, non movébor ámpliùs.

Quoúsque irrúitis in hóminem? * interfícitis uni-

vérsi vos, tamquam parieti inclináto, & macériæ depúlsæ ?

Verúmtamen prétium meū cogitavérunt repéllere ; cucúrri in siti: * ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subjécta esto, ánima mea ; * quóniā ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, & salvátor meus ; * adjútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum, & glória mea ; * Deus auxílii mei ; & spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli ; effúndite coram illo corda vestra : * Deus adjútor noster in ætérnū.

Verúmtamen vani fílii hóminum, mendáces fílii hóminum in statéris, * ut decípiāt ipsi de vanitáte in idípsū.

Nolíte speráre in iniquitáte, & rapínas nolíte concupíscere : * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locutus est Deus, duo hæc audívi ; quia potéstas Dei est, & tibi, Dómine, misericórdia ; * quia tu reddes unicuíque juxta ópera sua.

Ant. Tu reddes, Dómine, unicuíque juxta ópera sua. *v.* 13.

Ant. t. 1. d. Psallam.

PSALMUS 100.

Misericordiæ & justitiæ divinæ laus : bene vivendi norma.

MIsericórdiā & judíciū * cantábo tibi, Dómine.

Psallam, & intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domûs meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem injústam; * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum : * declinántem à me malígnum non cognoscébā.

Detrahéntem secrétò próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo & insatiábili corde ; * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum ; * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domûs meæ, qui facit supérbiam : * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébā omnes peccatóres terræ, * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. Psallam, & intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. *v.* 1. 2.

Ant. t. 6. f. Pars autem.

CANTICUM MOYSI *Deut.* 32.

AUdíte, cœli, quæ loquor: * aúdiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea ; * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, & quasi stillæ super grámina: * quia nomen Dómini invocábo.

Date magnificéntiam Deo nostro: * Dei perfécta sunt ópera, & omnes viæ ejus judícia.

Deus fidélis, & absque ulla iniquitáte, justus & rectus; * peccavérunt ei, & non fílii ejus in sórdibus.

Generátio prava atque pervérsa, * hæccine reddis Dómino, pópule stulte & insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, & fecit, & creavit te?

Meménto diérum antiquórum: * cogita generatiónes síngulas.

Intérroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; * majóres tuos; & dicent tibi:

Quando dividébat Altíssimus gentes, * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * juxta númerum filiórum Israel.

Pars autem Dómini, pópulus ejus; * Jacob funículus hæreditátis ejus.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, & vastæ solitúdinis:

Circumdúxit eum, & dócuit, * & custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * & super eos vólitans,

Expándit alas suas, & assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux ejus fuit; * & non erat cum eo Deus aliénus:

Constítuit eum super excélsam terram, * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo.

Bútyrum de arménto, & lac de óvibus * cum ádipe agnórum & aríetum filiórum Basan:

Et hircos cum medúlla trítici; * & sánguinem uvæ biberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, & recalcitrávit: * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum factórem suum, * & recéssit à Deo salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * & in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt:

Immolavérunt dæmóniis, & non Deo; * diis quos ignorabant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit, dereliquísti, * & oblítus es Dómini creatoris tui.

Vidit Dominus, & ad iracúndiam concitatus est; * quia provocaverunt eum fílii sui, & fíliæ.

Et ait: Abscóndam fáciem meam ab eis, * & considerábo novíssima eórum:

Generátio enim pervérsa

est.

est, * & infidéles filii:

Ipsi me provocavérunt in eo qui non erat Deus, * & irritavérunt in vanitátibus suis;

Et ego provocábo eos in eo qui non est pópulus, * & in gente stulta irritábo illos.

Ignis succénsus est in furóre meo, * & ardébit usque ad inférni novíssima:

Devorabítque terram cum gérmine suo, * & móntium fundaménta combúret.

Congregábo super eos mala; * & sagíttas meas complebo in eis.

Consuméntur fame, * & devorábunt eos aves morsu amaríssimo:

Dentes bestiárum immíttam in eos, * cum furóre trahéntium super terram, atque serpéntium.

Foris vastábit eos gládius, & intus pavor, * júvenem simul ac vírginem, lacténtem cum hómine sene.

Dixi: Ubinam sunt? * cessáre fáciam ex homínibus memóriam eórum.

Sed propter iram inimicórum dístuli; * ne forte superbírent hostes eórum;

Et dicerent: Manus nostra excélsa, * & non Dóminus fecit hæc ómnia.

Gens absque consílio est, & sine prudéntia: * útinam saperent, & intellígerent, ac novíssima providérent!

Quomodo persequátur unus mille, * & duo fugent decem millia?

Nonne ideò, quia Deus suus vendidit eos, * & Dóminus conclusit illos?

Non enim est Deus noster ut dii eórum: * & inimíci nostri sunt júdices.

De vinea Sodomórum, vínea eórum, * & de suburbánis Gomórrhæ:

Uva eórum, uva fellis, * & botri amaríssimi.

Fel dracónum vinum eórum, * & venénum áspidum insanábile.

Nonne hæc cóndita sunt apud me, * & signata in thesáuris meis?

Mea est última, & ego retríbuam in témpore, * ut labátur pes eórum.

Juxta est dies perditiónis; * & adésse festinant tempora.

Judicábit Dominus pópulum suum, * & in servis suis miserebitur:

Videbit quòd infirmáta sit manus, * & clausi quoque defecérunt, residuíque consúmpti sunt.

Et dicet: Ubi sunt dii eórum, * in quibus habébant fidúciam?

De quorum víctimis comedébant ádipes, * & bibebant vinum libáminum:

Surgant, & opituléntur vobis, * & in necessitáte vos prótegant.

Vidéte quòd ego sim solus, * & non sit álius Deus præter me:

Ego occídam, & ego ví-

vere fáciam; percútiam, & ego sanábo; * & non est qui de manu mea possit erúere.
Levábo ad cœlum manùm meam, * & dicam: Vivo ego in ætérnum.
Si acúero ut fulgur gládium meum, * & arripúerit judícium manus mea,
Reddam ultiónem hóstibus meis;* & his qui odérunt me, retríbuam:
Inebriábo sagíttas meas sánguine,* & gládius meus devorábit carnes,
De cruóre occisórum,* & de captivitáte, nudáti inimicórum cápitis.
Laudáte, gentes, pópulum ejus; * quia sánguinem servórum suórum ulciscétur;
Et vindíctam retríbuet in hostes eorum, * & propítius erit terræ pópuli sui.
Glória, &c.
Ant. Pars autem Dómini, pópulus ejus; Jacob funículus hæreditatis ejus. *v.* 9.
In Festis dicitur: CANTICUM *Isa.* 26.
URbs fortitúdinis nostræ Sion: * Salvátor ponetur in ea murus & antemurale.
Aperíte portas, * & ingrediátur gens justa, custódiens veritátem.
Vetus error ábiit: servábis pacem; * pacem, quia in te sperávimus.
Sperastis in Dómino in sæculis ætérnis, * in Dómino Deo forti in perpétuum;
Quia incurvabit habitántes in excelso, * civitátem sublímem humiliábit.
Humiliabit eam usque ad terram, * détrahet eam usque ad púlverem.
Conculcábit eam pes, * pedes paúperis, gressus egenórum.
Sémita justi recta est, * rectus callis justi ad ambulándum.
Et in sémita judiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: * nomen tuum, & memoriále tuum in desidério ánimæ.
Anima mea desiderávit te in nocte:* sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilábo ad te.
Cùm féceris judícia tua in terra, * justítiam discent habitatóres orbis.
Misereámur ímpio, & non discet justítiam: * in terra sanctórum iníqua gessit, & non vidébit glóriam Dómini.
Dómine, exaltétur manus tua; * & non vídeant:
Vídeant, & confundántur zelántes pópuli; * & ignis hostes tuos dévoret.
Dómine, dabis pacem nobis; * ómnia enim ópera nostra operátus es nobis.
Ant. t. 5. a. Exultabunt.
PSALMUS 149.
Deo sanctorum remuneratori magnifico canticum.
CAntáte Dómino cánticum novum; * laus ejus in ecclésia sanctórum.
Lætétur Israel in eo qui

fecit eum ; * & filii Sion exúltent in rege suo.

Laudent nomen ejus in choro; * in tympano & psaltério psallant ei;

Quia beneplácitum est Dño in pópulo suo, * & exaltábit mansuetos in salútem.

Exultábunt sancti in glória ; * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum ; * & gladii ancípites in mánibus eorum,

Ad faciéndam vindictam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis:

Ad alligándos reges eórum in compedibus, * & nobiles eórum in mánicis férreis ;

Ut fáciant in eis judícium conscríptum : * gloria hæc est ómnibus sanctis ejus.

Ant. Exultábunt sancti in glória; lætabúntur in cubílibus suis. *v.* 5.

Capitulum. Sap. 5. 15. 16.

SPes ímpii tamquam lanúgo est, quæ a vento tóllitur : justi autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum.

℣. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ℟. Ita desíderat ánima mea ad te, Deus. *Ps* 41. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Serviámus illi in sanctitáte & justítia coram ipso, ómnibus diebus nostris. *Luc.* 174. 75.

AD PRIMAM.

HYMNUS.

DUm solis orti lux micat,
Menti recúrrat hæc dies,
Quam vix adúmbrat spléndida
Flammántis astri cláritas.

Caduca nobis præmia
Offert levis mundi favor :
Perenne pondus glóriæ
Æquantne nugæ sæculi?

Quis det mihi velócibus
Pennis colúmbæ remigem!
Surgam volatu líbero,
Mundi fugácis immemor.

Huc vota tendunt córdium:
Sed hæc negatur glória ;
Ni férvidi pro præmio
Nunc præliémur mílites.

Felix labor, quem Númine,
Deus, remúneras tuo!
Fac tanta nos pro víribus.
Cœli meréri gaúdia. Amen.

Ant. t. 4. e. Bráchium.

PSALMUS 43.

Patres beneficiis cumulati : ob religionem & futuram requiem omnia sustinenda.

DEus, aúribus nostris audívimus, patres nostri annuntiaverunt nobis opus, * quod operátus es in diebus eórum, & in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, & plantásti eos: * afflixísti pópulos, & expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * & bráchium eórum non salvávit eos :

Sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultûs tui ; * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse rex meus &

Deus meus, * qui mandas salútes Jacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu, * & in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo, * & gládius meus non salvábit me :

Salvásti enim nos de affligéntibus nos, * & odiéntes nos confudísti.

Divisio Psalmi 43.

IN Deo laudábimur totâ die; * & in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Nunc autem repulísti, & confudísti nos; * & non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsùm post inimícos nostros; * & qui oderunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum, * & in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio, * & non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem & derísum his qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus, * commotiónem capitis in pópulis.

Totâ die verecúndia mea contra me est; * & confúsio faciéi meæ coopéruit me,

A voce exprobrantis & obloquéntis; * à fácie inimíci & persequéntis.

Hæc omnia venérunt super nos; nec oblíti sumus te, * & iníquè non égimus in testaméto tuo :

Et non recéssit retrò cor nostrum, * & declinásti sémitas nostras à via tua;

Quoniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * & coopéruit nos umbra mortis.

Altera divisio Psalmi 43.

SI oblíti sumus nomen Dei nostri, * & si expándimus manus nostras ad deum aliénum,

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificamur totâ die, * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * exúrge, & ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis? * oblivísceris inópiæ nostræ, & tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra, * conglutinátus est in terra venter noster.

Exúrge, Dómine, ádjuva nos; * & rédime nos propter nomen tuum.

Ant. Bráchium eórum non salvávit eos: sed déxtera tua, & bráchium tuum, & illuminátio vultùs tui. *v.* 4.

In feriali Officio. Capitulum. 2. *Tim.* 2. 5.

QUi certat in agóne, non coronátur, nisi legitimè certáverit.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

COeléstis auctor grátiæ,
Qui nos adoptas filios,
Fac, mens sui jam nil memor
Domos repóscat pátrias.
Adoptiónem flétibus
Efflagitámus íntegram,
Cui nos sacráto, Spíritus,
Prædestinásti pígnore.
Da nos, Deus, qui túrbidâ
Jactámur undâ sæculi;
Cœli sedéntes líttore,
Pleno fruámur ótio. Amen.

Ant. t. 7. C. Deus.

PSALMUS 72.

Si improbi in hac vita felices; probi, quòd sua quemque præmia maneant, consolatione levantur.

QUàm bonus Israel Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem penè moti sunt pedes, * pene effúsi sunt gressus mei;

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns:

Quia non est respéctus morti eorum, * & firmaméntum in plaga eórum.

In labore hóminum non sunt, * & cum homínibus non flagellabúntur.

Ideò ténuit eos supérbia; * operti sunt iniquitáte & impietáte suâ.

Prodiit quasi ex ádipe iníquitas eorum; * transiérunt in afféctum cordis:

Cogitavérunt, & locúti sunt nequítiam; * iniquitátem in excelso locúti sunt.

Posuérunt in cœlum os suum, * & lingua eorum transívit in terra.

Ideò convertétur pópulus meus hic; * & dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt; Quómodo scit Deus? * &, Si est sciéntia in Excélso? Glória, &c.

Divisio Psalmi 72.

ECce ipsi peccatores, & abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: Ergo sine causâ justificávi cor meum, * & lavi inter innocéntes manus meas;

Et fui flagellátus totâ die, * & castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic; * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc; * labor est ante me,

Donec intrem in sanctuárium Dei, * & intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis; * dejecísti eos dum allevaréntur.

Quomodo facti sunt in desolatiónem! * súbitò defecérunt; periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges;

Quia inflammátum est cor meum, & renes mei commutáti sunt; * & ego ad ní-

hilum redáctus sum, & nescívi.

Ut juméntum factus sum apud te; * & ego semper tecum. Glória, &c.

Altera divisio Psalmi 72.

TEnuísti, (Dómine,) manum déxteram meam, & in voluntáte tua deduxísti me, * & cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cœlo? * & à te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, & cor meum; * Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum.

Quia ecce qui elóngant se à te, períbunt; * perdidísti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est, * pónere in Dómino Deo spem meam;

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion. Glória, &c.

Ant. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum. *v.* 26.

Capitulum. 1. Cor. 9. 24.

NEscítis quòd ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis.

℟. *br.* Sitívit in te ánima mea, * Deus meus. Sitívit. ℣. Quàm multiplíciter tibi caro mea, * Deus. Glória. Sitívit. *Ps.* 62. 2.

℣. Quàm dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! ℟. Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. *Ps* 83. 2. 3.

AD SEXTAM.

HYMNUS.

QUi luce vincis sídera
O Christe, quid tardat dies,
Quo nos amóris, & tui
Vultûs beábis lúmine.

Tunc sancta quæ calígine
Noctis teguntur dógmata,
Ruptis aperta núbibus
Pleno patébunt in die.

Nunc illa venalis patet
Multo labóre gloria:
Hanc promeréri, Trínitas,
Tuam dabis per grátiam.
Amen.

Ant. t. 3. a. Dedísti.

PSALMUS 60.

In Deo spes animæ oppressæ: Christi regnum æternum.

EXaúdi, Deus, deprecatiónem meam; * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi, dum anxiarétur cor meũ; * in petra exaltasti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea, * turris fortitúdinis à fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula; * prótegar in velaménto alárum tuarum;

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam, * dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adjícies, * annos ejus usque in diem generatiónis & generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam & veritátem ejus quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi; * ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS 85.

De fide gentium vaticinium: se in æternum à periculis liberandum orat, & sperat justus.

INclína, Dómine, aurem tuam, & exaúdi me; * quóniam inops & pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum; * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére meî, Dómine, quóniam ad te clamávi totâ die; * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi:

Quóniam tu, Dómine, suávis & mitis; * & multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus té.

Aúribus pércipe, Dómine, oratiónem meam; * & inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te; * quia exaudísti me.

Non est símilis tuî in diis, Dómine, * & non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient, & adorabunt coram te, Dómine, * & glorificábunt nomen tuum;

Quóniam magnus es tu, & fáciens mirabília; * tu es Deus solus.

Divisio Psalmi. 85.

DEduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * & glorificábo nomen tuum in ætérnum;

Quia misericórdia tua magna est super me, * & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, & synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam; * & non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor & misericors, * pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax.

Réspice in me, & miserére meî; * da impérium tuum púero tuo, & salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, & confundántur; * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, & consolátus es me.

Ant. Dedísti hæreditátem timéntibus nomen tuum. *Ps.* 60. 6.

Capitulum. 2. PETRI. I. 10.

SAtagite, ut per bona ópera certam vestram vo-

catiónem & electiónem faciátis: hæc enim faciéntes, non peccabitis aliquándo.

℟. *br.* Inebriabúntur, Dómine, * Ab ubertate domûs tuæ. Inebriabúntur. ℣. Torrénte voluptátis tuæ potábis eos. Ab ubertate. Glória. Inebriabúntur. *Ps.* 35. 9.

℣. Quàm magna multitúdo dulcedinis tuæ, Dómine, ℟. Quàm abscondísti timéntibus te! *Ps.* 30. 20.

AD NONAM.

HYMNUS.

DUm sol ad umbras lábitur,
Tu méntium lux, grátia,
Cœli viam ne desinas
Tuo docere lúmine.

Cingunt iter perícula:
Tu lubricos firma pedes;
Et certióre férvidi
Pergémus ad metam gradu.

O Trine, qui regnas, Deus,
Fructus adauge, quos petis,
Mox dona, justus árbiter,
Cœlo coronábis tua. Amen.

Ant. t. I. *irreg.* Consolatiónes.

PSALMUS 93.

Deus superborum quondam vindex, & justorum consolator.

DEus ultiónum Dóminus, * Deus ultiónum líberè egit.

Exaltáre, qui júdicas terram; * redde retributiónem supérbis.

Usquequò peccatóres, Dómine, * usquequò peccatóres gloriabúntur?

Effabúntur & loquéntur iniquitátem, * loquéntur omnes qui operántur injustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt, * & hæreditátem tuam vexavérunt:

Víduam & advenam interfecérunt, * & pupillos occidérunt:

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Jacob.

Intelligíte, insipiéntes in pópulo, * & stulti, aliquándo sapite.

Qui plantávit aurem, non aúdiet? * aut qui finxit óculum, non consíderat?

Qui córripit gentes, non árguet? * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quoniam vanæ sunt. Glória, &c.

Divisio Psalmi 93.

BEátus homo, quem tu erudíeris, Dómine, * & de lege tua docúeris eum;

Ut mítiges ei a diebus malis, * donec fodiátur peccatori fovea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam, * & hæreditátem suam non derelinquet;

Quoadúsque justítia convertatur in judícium; * & qui juxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsùs malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adjúvit me, * paulòminùs habi-

táſſet in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus eſt pes meus; * miſericórdia tua, Domine, adjuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, * conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimā meam.

Numquid adhæret tibi ſedes iniquitátis, * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam juſti, * & sánguinem innocentem condemnabunt.

Et factus eſt mihi Dóminus in refúgium, * & Deus meus in adjutóriū ſpei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum; & in malítia eórum diſpérdet eos; * diſpérdet illos Dóminus Deus noſter. Glória, &c.

PSALMUS 125.

Post labores merces & ſolatium.

IN converténdo Dóminus captivitátem Sion; * facti ſumus ſicut conſoláti.

Tunc replétum eſt gaúdio os noſtrum, * & lingua noſtra exultatióne:

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíſcum: * facti ſumus lætantes.

Convérte, Dómine, captivitátem noſtrā, * ſicut torrens in auſtro.

Qui ſéminant in lácrymis, * in exultatióne metent.

Eúntes ibant, & flebant, * mitténtes sémina ſua;

Veniéntes autem vénient cum exultatióne, * portantes manípulos ſuos.

Ant. Conſolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. *Pſ.* 93. 19.

Capitulum. Coloſſ. 3. 17.

OMne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jeſu Chriſti, grátias agéntes Deo & Patri per ipſum.

℟. *br.* Clamávi ad te, Dómine, dixi: *Tu es ſpes mea. Clamávi. ℣. Pórtio mea in terra vivéntium: * Tu es. Glória. Clamávi *Pſ.* 141. 6.

℣. Ego autem in juſtitia apparébo; ℟. Satiábor cum apparúerit glória tua. *Pſ.* 16. 15.

AD VESPERAS.

Ant. t. 1. f. Convértere.

PSALMUS 114.

Chriſtus mortis victor: æternæ vitæ deſiderium.

DIléxi, * quóniam exaúdiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem ſuā mihi, * & in diébus meis invocabo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocavi.

O Dómine, líbera ánimā meam; * miséricors Dóminus, & juſtus, & Deus noſter miſerétur.

Cuſtódiens párvulos Dó-

minus, * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimã meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Convértere, ánima mea, in réquiem tuam. *v.* 7.

Ant. t. 3. *E.* Heu mihi.

PSALMUS 119.

Justi patientia: vitæ præsentis miserias luget.

AD Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolosam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cum loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, incolátus meus prolongatus est. *v.* 5.

Ant. t. 1. d. Si oblítus.

PSALMUS 136.

Flebilis captivi populi querimonia, dum recordaretur Sion.

SUper flúmina Babylónis illic sédimus, * & flevimus cùm recordarémur Sion.

In salicibus, in medio ejus, * suspéndimus órgana nostra:

Quia illìc interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantionum;

Et qui abduxérunt nos; * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna,

Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, * oblivióni detur déxtera mea:

Adhæreat lingua mea faucibus meis, * si non meminero tuî;

Si non proposúero Jerúsalem * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Jerúsalem;

Qui dicunt; Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera; * beátus qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis:

Beatus qui tenébit, * & allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Si oblítus fúero tuî, Jerúsalem, oblivióni detur déxtera mea. *v.* 5.

Ant. t. 3. a. Me expéctant.

PSALMUS 141.

Ab impiis liberari, & Deo frui poscit anima fidelis.

VOce meâ ad Dóminum clamávi, * voce meâ ad

Dóminum deprecatus sum ;

Effúndo in conspéctu ejus oratiónem meam, * & tribulatiónem meam ante ipsũ pronúntio,

In deficiéndo ex me spíritum meum ; * & tu cognovísti sémitas meas.

In via hac quâ ambulábam, * abscondérunt láqueũ mihi.

Considerábam ad déxteram, & vidébam ; * & non erat qui cognósceret me.

Périit fuga à me, * & non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine ; * dixi : Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Intende ad deprecatiónem meam, * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me à persequéntibus me, * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam, ad confiténdum nómini tuo ; * me expéctant justi, donec retríbuas mihi.

Ant. Me expéctant justi, donec retríbuas mihi. *v.* 8.

Ant. t. 6. t. Beátus.

PSALMUS 143.

Victoria ab hostibus, Dei donum est.

BEnedíctus Dñus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, * & dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, & refúgium meum ; * suscéptor meus, & liberátor meus ;

Protéctor meus, & in ipso sperávi ; * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei ? * aut fílius hóminis, quia réputas eum ?

Homo vanitáti símilis factus est ; * dies ejus sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cœlos tuos, & descénde ; * tange montes, & fumigábunt.

Fulgura coruscatiónem, & dissipabis eos ; * emítte sagíttas tuas, & conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto ; éripe me, & líbera me de aquis multis, * de manu filiórum alienórum,

Quorum os locútum est vanitátem, * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Deus, cánticum novum cantábo tibi, * in psaltério decachórdo psallam tibi,

Qui das salútem régibus, * qui redemísti David servum tuum de gládio malígno,

Eripe me, & érue me de manu filiórum alienórum, quorum os locútum est vanitátem ; * & déxtera eórum, déxtera iniquitátis ;

Quorum fílii sicut novéllæ plantatiónes * in juventúte sua :

Fíliæ eórum compósitæ, * circumornátæ ut similitúdo templi :

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud :

Oves eórum fœtósæ, abun-

dantes in egréssibus suis ; * boves eórum crassæ :

Non est ruína macériæ , neque tránsitus, * neque clamor in platéis eórum. R.

Beátum dixérunt pópulum cui hæc sunt: * beátus populus cujus Dóminus Deus ejus.

Ant. Beátus pópulus , cujus Dóminus Deus ejus. *v.* 15.

Capitulum. Heb. 4. 10. 11.

QUi ingréssus est in réquiem ejus; étiam ipse requiévit ab opéribus suis , sicut à suis Deus. Festinémus ergo íngredi in illam réquiem.

HYMNUS.

DIe quiéscis séptimo,
Deus creátor omnium;
O quanta nobis hæc quies
Futúra spondet gaúdia!

Carnis profundâ conditi
Demérgimur calígine;
Ætérnus at noctem suo
Fulgóre depéllet dies.

Hîc mille per discrímina
Semen geméntes spárgimus:
Illìc, ovánte spléndidam
Gestábimus messem manu.

Tunc gaúdiis mens ébria,
Tuíque consors sábbati,
Pacis, Deus, non désinet
Sinu tuo quiéscere.

O meta felix, pax ubi,
Et vera nos manet quies,
Ubi voluptátis sacro
Torrénte potábis tuos!

Moráris, heu! nimis diu,
Moráris optátus dies!
Ut te fruámur, córporis
Quid impédimur póndere?

Nunc exulámus ánxii,
O sempitérna Trínitas,
Fac, ardeámus nos jugo
Corruptiónis éximi. Amen.

℣. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ?

℟. Volábo, & requiéscã. *Ps.* 54. 7.

Ad Magnif. *Ant. ut in Proprio.*

AD COMPLETORIUM PER HEBDOMADAM.

Pater. Ave.

COnverte nos, Deus salutáris noster ; ℟. Et avérte iram tuam à nobis. *Ps.* 84. 5.

Deus, in adjutórium. Glória. Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, &c. *Deinde sine Ant.*

PSALMUS 4.

In Deo, non in divitiis spes collocanda.

CUm invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ : * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére meî, * & exaúdi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequò gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctũ suũ; * Dóminus exaúdiet me, cùm clamávero ad eum.

Irascímini, & nolíte peccáre : * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, & speráte in Dómino : * multi dicunt : Quis

ostendit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultûs tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, & ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam, & requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

PSALMUS 30.

Dei præsidio se commendat anima.

IN te, Dómine, sperávi non confúndar in ætérnum: * in justitia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accelera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refúgii; * ut salvum me fácias;

Quóniam fortitúdo mea, & refúgium meum es tu; * & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

Edúces me de láqueo hoc quem abscondérunt mihi; * quóniam tu es protector meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me, Dómine Deus veritátis.

PSALMUS 90.

Nil timendum sub Dei tutela: Angelorum custodiæ commissus homo.

QUi hábitat in adjutório Altíssimi, * in protectióne Dei cœli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, & refúgium meum; * Deus meus, sperábo in eum;

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi, * & sub pennis ejus sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas ejus; * non timébis à timóre noctúrno,

A sagitta volánte in die, à negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrsu, & dæmónio meridiáno.

Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis; * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis, * & retributiónem peccatórum videbis.

Quóniam, Tu es, Dómine, spes mea, * altíssimum posuísti refúgium tuũ;

Non accédet ad te malum, * & flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo:

Quóniam Angelis suis mandavit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis;

In mánibus portábunt te, * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem & basilíscum ambulábis, * & conculcábis leónem & dracónem.

Quóniam in me speravit, liberabo eum; * protegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, & ego exaúdiam eum: * cum ipso sum in tribulatióne, eripiã eum, & glorificabo eum.

Longitudine diérum replébo eum, * & ostendam illi salutáre meum.

PSALMUS 133.

Ministros suos ad Dei cultum hortatur Ecclesia.

Ecce nunc benedicite Dóminum, * omnes servi Dómini,

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domûs Dei nostri;

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * & benedícite Dóminum.

Benedícat te Dominus ex Sion, * qui fecit cœlum & terram.

Post Glória Patri, *dicitur*: Allelúia, *vel*, Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ gloriæ, *pro diversitate Temporis.*

HYMNUS.

Dum noctis umbræ défluunt,
Lux sancta nos illúminans,
Mentis ténebras amove,
Noctémque pelle sæculi.

Infída deliquit dies;
Delicta fletus éxpiet;
Somno graváros, ne novo
Nos lædat hostis vúlnere.

Nequíssimi qui círcuit
Ne complicémur rétibus,
Impróvidos tegas, Pater,
[illegible] sub alis filios.

Dum somnus artus óccupat,
Mens semper ad te sit vigil:
Nostrumque nocte júgibus
Cor éxcubet suspíriis.

Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Filio,
Sancto simul cum Spíritu,
Nunc & per omne sæculum.
Amen.

Capitulum. 1. *Thess.* 5. 5. 6.

Omnes vos filii lucis estis, & filii diei: non sumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus sicut & cæteri, sed vigilémus, & sóbrii simus. ℟. Deo grátias.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi:

℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos. *Ps.* 16. 8.

Ant. t. 1. *irreg.* Sive vigilémus.

CANTICUM SIMEONIS.

Luc. 2.

Nunc dimittis servum tuum, Dómine, * secúndùm verbum tuum in pace;

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parasti * ante fáciẽ ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium, * & glóriam plebis tuæ Israel. Gloria, &c.

Ant. sive vigilémus, sive dormiamus, simul cum Christo vivámus. 1. *Thess.* 5. 10.

Quando ad Primam dictæ sunt preces, sequentes dicuntur ad Complet. In Vigiliis, per Adventum, & Quadragesimam, quan-

sio Officium fit de Feria, dicuntur flexis génibus: Kyrie, eléison, Christe, eléison, Kyrie, eléison.

Pater noster. *Secretò.*

℣. Et ne nos inducas in tentatiónem; ℟. Sed libera nos a malo.

Credo in Deum. *Secretò.*

℣. Carnis resurrectiónem. ℟. Vitam ætérnam. Amen.

℣. Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum: ℟. Et laudábilis, & glorióśus, & superexaltátus in sæcula. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum; ℟. Et laudábile, & superexaltátum in ómnibus sæculis. *Dan.* 3. 52.

℣. Benedíctus es in firmaménto cœli: ℟. Et laudábilis, & glorióśus in sæcula. *Dan.* 3. 56.

℣. Benedícat nos Deus noster, ℟. Benedícat nos Deus. *Ps.* 66. 7. 8.

Deindè dicitur: Confiteor. Misereátur. Indulgentiam. *ut ad Primam.*

Postea hebdomadarius altâ voce prosequitur:

℣. Exaudi nos, Deus salutáris noster, ℟. Spes ómniũ fínium terræ. *Ps.* 64. 6.

℣. Miserére nostrî, Dómine, ℟. Miserére nostrî. *Ps.* 122. 3.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos; ℟. Quemadmodum sperávimus in te. *Ps.* 32. 22.

℣. Dómine, exaúdi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

O R E M U S.

Visita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, & omnes insídias inimíci ab ea longè repélle. Angeli tui sancti hábitent in ea, qui nos in pace custódiant; & benedíctio tua sit super nos semper; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino ℟. Deo grátias.

Submissiori voce: Grátia Dómini nostri Jesu-Christi, & cháritas Dei, & communicátio sancti Spiritûs sit cum ómnibus vobis.

℟. Amen. 2. *Cor.* 13. 13.

ANTIPHONA DE BEATA AD DEVOTIONEM.

A Complet. Sabbati Trinitatis usque ad Adventum, Ant.

Salve, Regína, mater misericórdiæ, Vita dulcédo & spes nostra, salve. Ad te clamamus, éxules filii Evæ. Ad te suspirámus, geméntes & flentes in hac lacrymárum valle. Eia ergo, Advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Jesum benedíctũ fructum ventris tui nobis post hoc exílium osténde. O clemens. O pia. O dulcis Virgo María.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. Pópuli confitebúntur tibi. *Ps.* 44. 18.

ORBMUS.

OMnípotens sempitérne Deus, qui gloriosæ Virginis matris Maríæ corpus & ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu sancto cooperánte præparásti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus piâ intercessióne ab instántibus malis, & à morte perpetua liberémur; Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.



ABSOLUTIONES ET BENEDICTIONES,

Dicendæ ante Lectiones.

DOMINICA,

Et in Officiis novem Lectionum, quæ non sunt de Sanctis.

IN I. NOCTURNO:

& pro Feria 2. & 5.

Absolutio. 2. Mach. 1. 4. 3.

ADapériat Deus cor vestrum in lege sua, & in præcéptis suis: & det vobis cor ómnibus, ut colátis eum.
℟. Amen.

Benedictiones.

1. Deus, Dómini nostri Jesu Christi Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ. *Eph.* 1. 17. ℟. Amen. *Et sic ad sequentes.*
2. Fílius Dei det nobis sensum, ut cognoscámus verum Deum. 1. *Joan.* 5. 20.
3. Spíritus veritátis dóceat nos omnem veritátem. *Joan.* 16. 13.

IN II. NOCTURNO:

& pro Feria 3. & 6.

Absolutio. 3. Reg. 8. 58.

DEus noster inclínet corda nostra ad se; ut custodiámus mandáta ejus.
℟. Amen.

Benedictiones.

4. Pater Dómini nostri Jesu Christi benedícat nos in omni benedictióne spirituáli. *Eph.* 1. 3.
5. Sciámus supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi; ut impleámur in omnem plenitúdinem Dei. *Eph.* 3. 19.
6. Unctio, quam accépimus à Deo, máneat in nobis, & dóceat nos de ómnibus. 1. *Joan.* 2. 27.

IN III. NOCTURNO:

& pro Feria 4. & Sabbato.

Absolutio. 2. Mach. 1. 2. 5.

DEus meminerit testaménti sui, quod locútus est, & exáudiat oratiónes vestras. ℟. Amen.

Benedictiones.

7. Detur tibi sermo in apertióne oris tui cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii. *Eph.* 6. 19.

Feriâ 4. verò, & Sabbato dicitur: Pater Dómini nostri Jesu Christi det nobis Christum habitare per fidem in córdibus nostris. *Eph.* 3. 14. 16. 17.

8. Occurrámus omnes in unitátem fidei, & agnitiónis Filii Dei, ut non circumferámur omni vento doctrinæ. *Eph.* 4. 13. 14.
9. Deus spei rèpleat nos om-

ni gáudio & pace in credéndo, ut abundémus in spe, & virtúte Spíritûs sancti. *Rom.* 15. 13.

Si pro ultima Lectione legatur aliud Evangelium, nona Benedictio erit:

Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

Si nona Lectio sit de Sancto, nona Benedictio erit:

Digni habeámur regno Dei, cùm vénerit in Sanctis suis admirábilis fíeri. 2. *Thess.* 1. 5. 10.

Quando D. Episcopus Lectionem lecturus est, postquàm præmisit ex more:

Jube, Domne, benedícere.

Dignior post illum dicit:

Ora pro nobis, Pater.

Ipse autem Episcopus respondet:

Oro ut cháritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, & in omni sensu. *Philip.* 1. 9. *Chorus respondet:* Amen.

IN FESTIS B. MARIÆ quæ sunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Absolutiones & Benedictiones erunt ut suprà, sed

IN II. NOCTURNO *ut sequitur:*

4. Nobíscum sit Deus qui in ancilla sua adimplevit misericórdiam, quam promísit domui Israel. *Judith.* 13. 13. 18.

5. Respíciat, qui hostem pópuli sui per manum fœminæ percússit Dñs Deus noster. *Judith.* 13. 7. 18. 19.

6. Invocet Dóminum, & loquátur Regi pro nobis, & líberet nos de morte. *Esther.* 15. 3.

Si Officium de Beata tres habeat Lectiones tantùm sine Evangelio, tres Benedictiones erunt de Beata ut suprà. Si verò tertia Lectio sit de Evangelio dicitur pro 3. Benedict. Fúlgeat nobis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. 2. *Cor.* 4. 4.

IN FESTIS SANCTOR. quæ sunt novem Lectionum.

IN I. & III. NOCTURNO.

Benedictiones ut suprà in Officio trium Nocturnorum.

IN II. NOCTURNO.

4. Deus det nobis illuminátos óculos, ut sciámus quæ sit spes vocatiónis ejus in Sanctis. *Eph.* 1. 17. 18.


5. Dignos fáciat nos in partem sortis Sanctórum, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. *Colos.* 1. 12. 13.

6. Aperiántur óculi nostri, ut convertámur à ténebris ad lucem, & accipiámus sortem inter Sanctos. *Act.* 26. 18.

IN FESTIS SANCTORUM,

quæ sunt trium tantùm Lectionum, Benedictiones, ut suprà in 2. Nocturno pro Sanctis.

Si 3. Lectio sit de Evangelio, 3. Benedictio erit. Fulgeat nobis illuminátio Evangélii, &c. *ut suprà.*



PROPRIUM DE TEMPORE.

PARS AUTUMNALIS.

FERIA QUARTA INFRA DOMINICAM UNDECIMAM POST PENTECOSTEN.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

De Libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 7. v. 3. ad 11.

EGo natus accépi commúnem áërem, & in símíliter factam décidi terram, & primam vocem símilem ómnibus emísi plorans. In involuméntis nutrítus sum, & curis magnis. Nemo enim ex régibus aliud hábuit nativitátis inítium. Unus ergo introitus est ómnibus ad vitam, & símilis éxitus. Propter hoc optávi, & datus est mihi sensus: & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, & divítias nihil esse duxi in comparatióne illius: nec comparávi illi lapidem pretiósum; quóniam omne au-

rum in comparatióne illíus, aréna est exígua, & tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem & spéciem diléxi illam, & propósui pro luce habére illam: quóniam inextinguíbile est lumen illíus.

℟. Quis est homo qui vult vitam, díligit dies vidére bonos? * Próhibe linguam tuam à malo: & lábia tua ne loquántur dolum. ℣. Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir. * Próhibe. *Ps.* 33. 13. 14. *Jac.* 3. 2.

Lectio ij. v. 11. *ad.* 17.

VEnérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, & innumerábilis honéstas per manus illíus, & lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, & ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, & sine invídia commúnico, & honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, & præsúmere digna horum quæ mihi dantur: quóniam ipse sapiéntiæ dux est, & sapiéntium emendátor: in manu enim illíus, & nos, & sermónes nostri, & omnis sapiéntia, & óperum sciéntia, & disciplína.

℟. Clamávi ad te, exáudi me. * Pone, Dómine, custódiam ori meo, & óstium circumstántiæ lábiis meis: non declínes cor meum in verba malítiæ. ℣. Lingua módicum quidem membrum est, & magna exáltat: ignis est, univérsitas iniquitátis. * Pone, Dómine. *Ps.* 140. 1. 3. 4. *Jac.* 3. 5. 6.

Lectio iij. v. 21. *ad* 27.

QUæcúmque sunt abscónsa & improvísa, dídici: ómnium enim ártifex dócuit me sapiéntia: est enim in illa spíritus intelligéntiæ, sanctus, únicus, múltiplex, subtílis, disértus, móbilis, incoinquinátus, certus, suávis, amans bonum, acútus, quem nihil vetat, benefáciens, humánus, benígnus, stábilis, certus, secúrus, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens, & qui cápiat omnes spíritus: intelligíbilis, mundus, subtílis. Omnibus enim mobílibus mobílior est sapiéntia: attíngit autem ubíque propter suam mundítiam. Vapor est enim virtútis Dei, & emanátio quædam est claritátis omnipoténtis Dei sincéra; & ídeò nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est enim lucis ætérnæ, & spéculum sine mácula Dei majestátis, & imágo bonitátis illíus.

℟. Lingua, inquiétum malum, plena venéno mortífero: in ipsa benedícimus Deum

& Patrem: & in ipsa maledícimus hómines, qui ad similitúdinem Dei facti sunt.* Quis sápiens, & disciplinátus inter vos? osténdat ex bona conversatióne operatiónem suam. ℣. Qui moderátur lábia sua, prudentíssimus est. * Quis sápiens. Glória. * Quis sápiens. *Jacob.* 3. 8. 9. 13. *Prov.* 10. 19.

CANON

Ex Concílio Lateranénsi quarto œcuménico.

An. 1215. *Can.* 15.

VEnatiónem & aucupatiónem univérsis Cléricis interdícimus; unde nec canes, nec aves ad aucupándum habére præsúmant.

FERIA QUINTA.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 8.

SApiéntia attíngit à fine usque ad finem fórtiter, & dispónit ómnia suáviter. Hanc amávi, & exquisívi à juventúte mea, & quæsívi sponsam mihi eam assúmere, & amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus gloríficat, contubérnium habens Dei: sed & ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, & eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntiâ locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur: quis horum, quæ sunt, magis quàm illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit: labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim, & prudéntiam docet, & justítiam, & virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

℟. Deus patrum meórum, qui fecísti ómnia verbo tuo, & sapiéntiâ tuâ constituísti hóminem: * Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitúdinis tuæ, ut sciam quid accéptum sit apud te. ℣. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntẽ in hunc mundum.* Mitte. *Sap.* 9. 1. 2. 10. *Joan.* 1. 9.

Lectio ij. v. 9. *ad* 17.

PRopósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, & erit allocútio cogitatiónis & tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, & honórem apud senióres júvenis: & acútus invéniar in judício, & in conspéctu potentium admirábilis ero, & fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me sustinébunt, & loquéntem me respícient, & sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo per hanc, immortalitátem: & memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos: & natiónes mihi erunt súbditæ. Timébunt me audiéntes reges horréndi: in multitúdine vidébor bonus, & in bello fortis.

Intrans in domum meam, conquiéscam cum illa: non enim habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tædium convíctus illíus, sed lætítiam & gáudium.

℟. Tecum sapiéntia tua, Dómine, quæ novit ópera tua, & sciébat quid esset plácitum óculis tuis, & quid diréctum in præcéptis tuis, * Dedúcet me in opéribus meis sóbriè, & dispónam pópulum tuum justè. ℣. Fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte. * Dedúcet. *Sap.* 9. 9. 11. 12. *Ephes.* 5. 9.

Lectio iij. Cap. 8. *v.* 21. *&*
Cap. 9. *v.* 1. *ad* 7.

ET ut scivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum: ádii Dóminum, & deprecátus sum illum, & dixi ex totis præcórdiis meis: Deus patrum meórum, & Dómine misericórdiæ, qui fecísti ómnia verbo tuo, & sapiéntiâ tuâ constituísti hóminem, ut dominarétur creatúræ, quæ à te facta est, ut dispónat orbem terrárum in æquitáte & justítia, & in directióne cordis judícium júdicet: da mihi sédium tuárum assistrícem sapiéntiam, & noli me reprobáre à púeris tuis: quóniam servus tuus sum ego, & fílius ancíllæ tuæ, homo infírmus, & exígui témporis, & minor ad intelléctum judícii & legum. Nam & si quis erit consummátus inter fílios hóminum, si ab illo abfúerit sapiéntia tua, in níhilum computábitur.

℟. Vani sunt omnes hómines * In quibus non subest sciéntia Dei: & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui est. † Sciant quantò his dominátor eórum speciósior est. ℣. Invisibília Dei, per ea quæ facta sunt, intelléćta, conspiciúntur; ita ut sint inexcusábiles. * In quibus. Glória. † Sciant. *Sap.* 13. 1. 3. *Rom.* 1. 20.

C A N O N
Ex Concílio Agathénsi.
Can. 35.

EPíscopum, Presbyterum, aut Diáconum canes ad venándum, aut accípitres, aut hujúsmodi res habére non líceat. Quòd si quis tálium personárum in hac voluptáte sæpiùs deténtus fúerit, si Epíscopus est, tribus ménsibus à communióne suspendátur; Présbyter duóbus ménsibus se abstíneat. Diáconus verò ab omni offício, vel communióne suspendátur.

FERIA SEXTA.
De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 6.

VAni sunt omnes hómines, in quibus non subest sciéntia Dei: & de his quæ vidéntur bona, non potuérunt intellígere eum qui

est, neque opéribus attendéntes agnovérunt quis esset ártifex: sed aut ignem, aut spíritum, aut citátum äërem, aut gyrum stellárum, aut nímiam aquam, aut solem & lunam, rectóres orbis terrárũ deos putavérunt. Quorum si spécie delectáti, deos putavérunt: sciant quantò his dominátor eórum speciósior est: speciéi enim generátor hæc ómnia constítuit. Aut si virtútem & ópera eórum miráti sunt, intélligant ab illis, quóniam qui hæc fecit, fórtior est illis: à magnitúdine enim speciéi & creatúræ, cognoscibíliter póterit creátor horum vidéri.

℟. Salus ánimæ in sanctitáte justítiæ, mélior est omni auro & argénto. Miserére ánimæ tuæ placens Deo: * Cóngrega cor tuum in sanctitáte ejus. ℣. Christus factus est nobis sapiéntia à Deo, & justítia. * Cóngrega. *Eccli*. 30. 15. 24. 1. *Cor*. 1. 30.

Lectio ij. v. 6. ad 11.

SEd tamen adhuc in his minor est queréla. Et hi enim fortásse errant, Deum quæréntes, & voléntes inveníre. Etenim cùm in opéribus illíus conversèntur, inquírunt: & persuásum habent quóniam bona sunt quæ vidéntur. Iterum autem nec his debet ignósci. Si enim tantùm potuérunt scire, ut possent æstimáre sæculum: quómodo hujus Dóminum non facíliùs invenérunt? Infelíces autem sunt, & inter mórtuos spes illórum est, qui appellavérunt deos ópera mánuum hóminum, aurum & argéntum, artis inventiónem, & similitúdines animálium, aut lápidem inútilem opus manûs antíquæ.

℟. Optávi, & datus est mihi sensus: invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & * Divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus: super salútem & spéciem diléxi illam. ℣. Quæ desúrsum est sapiéntia, suadíbilis, plena misericórdiâ, & frúctibus bonis. * Divítias. *Sap*. 7. 7. 8. 10. *Jacob*. 3. 17.

Lectio iij. Cap. 14. v. 21. ad 28.

ET hæc fuit vitæ humánæ decéptio: quóniam aut afféctui, aut régibus deserviéntes hómines, incommunicábile nomen lapídibus & lignis imposuérunt. Et non suffécerat erráſſe eos circa Dei sciéntiam, sed & in magno vivéntes insciéntiæ bello, tot & tam magna mala, pacem appéllant. Aut enim fílios suos sacrificántes, aut obscúra sacrifícia faciéntes, aut insániæ plenas vigílias habéntes, neque vitam, neque núptias mundas jam custódiunt, sed álius álium per invídiam occídit, aut adúlterans contrístat: & ómnia commísta sunt, sanguis, homicídium, furtum & fíctio, corrúptio & infidélitas,

turbátio & perjúrium, tumúltus bonórum, Dei immemorátio, animárum inquinátio, nativitátis immutátio, nuptiárum inconstántia, inordinátio mæchiæ & impudicítiæ. Infandórum enim idolórum cultúra, omnis mali causa est, & inítium & finis.

℟. Inítium sapiéntiæ, veríssima est disciplínæ concupiscéntia. * Cura disciplínæ, diléctio est: & diléctio, custódia legum illíus est: custodítio legum, consummátio incorruptiónis est: † Incorrúptio autem facit esse próximum Deo. ℣. Plenitúdo ergo legis est diléctio. * Cura. Glória. † Incorrúptio. *Sap.* 6. 18. 19. 20. *Rom.* 13. 10.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

Tit. de vita & honest. Cleric.

Clericórum arma sunt orationes & lácrymæ: edícimus, ne Clérici arma cujúsvis géneris ad offensiónem, vel étiam ad defensiónem gerant.

SABBATO.

Officium fit de Beata, nisi occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex.

De libro Sapiéntiæ.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 7.

Tu, Deus noster, suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónens ómnia. Etenim si peccavérimus, tui sumus, sciéntes magnitúdinem tuam; & si non peccavérimus, scimus quóniam apud te sumus computáti. Nosse enim te, consummáta justítia est: & scire justítiam, & virtútem tuam, radix est immortalitátis. Non enim in erróram indúxit nos hominum malæ artis excogitátio, nec umbra picturæ labor sine fructu, effigies sculpta per vários colóres, cujus aspéctus insensáto dat concupiscéntiam, & díligit mórtuæ imáginis effígiem sine ánima. Malórum amatóres, digni sunt qui spem hábeant in tálibus, & qui fáciunt illos, & qui díligunt, & qui colunt.

Lectio ij. v. 7. *ad* 10.

Sed & fígulus mollem terram premens, laborióse fingit ad usus nostros unumquódque vas, & de eódem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, & simíliter quæ his sunt contrária: horum autem vasórum quis sit usus, judex est fígulus. Et cum labóre vano deum fingit de eódem luto, ille qui paulò antè de terra factus fúerat, & post pusíllum redúcit se unde accéptus est, repetítus ánimæ débitū quā habébat. Sed cura est illi, non quia laboratúrus est, nec quóniam brevis illi vita est, sed concertátur aurifícibus & argentáriis: sed & ærários imitátur, & glóriam præfert, quóniam res supervácuas fingit.

Lectio iij. v. 14. ad 18.

OMnes enim insipiéntes, & infelíces supra modum ánimæ supérbi, sunt inimíci pópuli tui, & imperántes illi; quóniam ómnia idóla natiónum deos æstimavérunt, quibus neque oculórum usus est ad vidéndum, neque nares ad percipiéndũ spíritum, neque aures ad audiéndum, neque dígiti mánuum ad tractándum, sed & pedes eórum pigri ad ambulándum; homo enim fecit illos: & qui spíritum mutuátus est, is finxit illos. Nemo enim sibi símilem homo póterit deum fingere. Cùm enim sit mortális, mórtuum fingit mánibus iníquis. Mélior enim est ipse his quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortális, illi autem numquam.

CANON

Ex Concílio Lateranénsi quarto œcuménico.

An. 1215. *Cap.* 18.

SEnténtiam sánguinis nullus Cléricus dictet, aut próferat, aut ubi exercétur intérsit... Nec quisquam Cléricus lítteras scribat aut dictet pro vindícta sánguinis destinándas.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit Jesus fílius Sirach. Beátus, qui in istis versátur bonis, qui ponit illa in corde suo; quia lux Dei, vestígium ejus est. *Eccli.* 50. 29. 30. 31.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XII.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 9.

OMnis sapiéntia à Dómino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante ævum. Arénam maris, & plúviæ guttas, & dies sæculi quis dinumerávit? Altitúdinem cœli, & latitúdinem terræ, & profúndum abyssi quis diménsus est? Sapiéntiam Dei præcedéntem ómnia quis investigávit? Prior ómnium creáta est sapiéntia, & intelléctus prudéntiæ ab ævo. Fons sapiéntiæ verbum Dei in excélsis, & ingréssus illíus mandáta ætérna. Radix sapiéntiæ cui reveláta est, & astútias illíus quis agnóvit? Disciplína sapiéntiæ cui reveláta est, & manifestáta? & multiplicatiónem ingréssus illíus quis intelléxit? Unus est Altíssimus Creátor omnípotens, & Rex potens, & metuéndus nimis, sedens super thronum illíus, & dóminans Deus.

℟. Si quis erit consummátus inter fílios hóminum, * Si ab illo abfúerit sapiéntia tua, Dómine, in níhilum computábitur. ℣. Non potest homo accípere quidquã, nisi fúerit ei datum de cœlo. * Si ab illo. *Sap.* 9. 6. *Joan.* 3. 27.

Lectio ij. v. 12. ad 20.

TImor Dómini delectábit cor, & dabit lætítiam, & gáudium, & longitúdinem diérum. Timénti Dóminum bene erit in extrémis, & in die defunctiónis suæ benedicétur. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. Quibus autem apparúerit in visu, dilígunt eam in visióne, & in agnitióne magnalium suórum. Inítium sapiéntiæ timor Dómini, & cum fidélibus in vulva concreátus est, cum eléctis fœminis gráditur, & cum justis & fidélibus agnóscitur. Timor Dómini, sciéntiæ religiósitas. Religiósitas custódiet & justificábit cor, jucunditátem atque gáudium dabit. Timénti Dóminum bene erit, & in diébus consummatiónis illíus benedicétur.

℟. Dómine Pater, & dominátor vitæ meæ, * Ne derelínquas me: quis superpónet in corde meo doctrínam sapiéntiæ? ℣. Omne donum perféctum, desúrsum est, descéndens à Patre lúminum. * Ne derelínquas. *Eccli.* 23. 1. 2. *Jac.* 1. 17.

Lectio iij. v. 33. ad finem.

FIli concupiscens sapiéntiam, consérva justítiam, & Deus præbébit illam tibi. Sapiéntia enim & disciplína timor Dómini: & quod beneplácitum est illi, fides, & mansuetúdo, & adimplébit thesáuros illíus. Ne sis incredíbilis timóri Dómini: & ne accésseris ad illum dúplici corde. Ne fúeris hypócrita in conspéctu hóminum, & non scandalizéris in lábiis tuis. Atténde in illis, ne fortè cadas, & addúcas ánimæ tuæ inhonoratiónem, & revélet Deus abscónsa tua, & in médio synagógæ elídat te: quóniam accessísti malígnè ad Dóminum, & cor tuum plenum est dolo & fallácia.

℟. Quis est homo qui timet Dóminum? legem státuit ei in via quam elégit. Anima ejus in bonis demorábitur; & semen ejus hæreditabit terram. * Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum. ℣. Mundémus nos ab omni inquinaménto carnis & spíritûs, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. * Firmaméntum. Glória. * Firmaméntum. *Ps.* 24. 12. 13. 14. 2. *Cor.* 7. 1.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv. Lib. 1. Cap. 25.

SUnt nonnúlli qui vitam suam négligunt: & dum transitória áppetunt, dum ætérna vel non intélligunt, vel intellécta contémnunt, nec dolórem séntiunt, nec habére consílium sciunt. Cùmque supérna, quæ amisérunt, non consíderant, esse se (heu míseri!) in bonis felíces putant. Nequáquam enim ad veritátis lucem: cui cónditi fúerant, mentis óculos érigunt: nequáquam ad

contemplatiónem ætérnæ pátriæ, desidérii áciem tendunt; sed semetípsos in his, ad quæ projécti sunt deferéntes, vice pátriæ díligunt exílium quod patiúntur: & in cæcitáte quam tólerant, quasi in claritáte lúminis exúltant.

℟. Filii hóminum, úsquequò gravi corde? * Ut quid dilígitis vanitátem, & quæritis mendácium? ℣. Tempus breve est: prætérit figura hujus mundi. * Ut quid. *Ps.* 4. 3. 1. *Cor.* 7. 29. 31.

Lectio v.

AT contrà, electórum mentes, dum transitória cuncta nulla esse conspíciunt, ad quæ sint cónditæ exquírunt: cùmque eórum satisfactióni nihil extra Deum súfficit, ipsâ inquisitiónis exercitatióne fatigáta illórum cogitátio, in Conditóris sui spe & contemplatióne requiéscit, supérnis intérferi cívibus áppetit: & unusquísque eórum adhuc in mundo córpore pósitus, mente tamen extra mundum surgit, ærúmnam exílii quam tólerat, deplórat, & ad sublímem pátriam incessántibus se amóris stímulis éxcitat. Cùm ergo dolens videt, quàm sit ætérnum quod pérdidit, ínvenit salúbre consílium, temporále hoc despícere quod percúrrit; & quò magis crescit consílii sciéntia, ut peritúra déserat; eò augétur dolor, quòd necdum ad mansúra pertingat.

℟. Agnóscent qui derelícti sunt, quóniam nihil mélius est quàm timor Dei; * Et nihil dúlcius, quàm respícere in mandátis Dómini. ℣. Tribulátio & angústia in omnem ánimam hóminis operántis malum. * Et nihil. *Eccli.* 23. 37. *Rom.* 2. 9.

Lectio vj.

INtuéndum quoque est, quòd nullus dolor mentis sit in actióne præcipitatiónis. Qui enim sine consíliis vivunt, qui seípsos rerum evéntibus præcípites déferunt, nullo ínterim cogitatiónum dolóre fatigántur. Nam qui solérter in vitæ consílio figit mentem, cautè sese in omni actióne circumspiciéndo consíderat; & ne ex re quæ ágitur, repentínus finis, adversúsque subrípiat, hunc priùs mólliter pósito pede cogitatiónis palpat: pensat, ne ab iis quæ agénda sunt, formído præpédiat: ne in his quæ differénda sunt, præcipitátio impellat; ne prava per concupiscéntiam apérto bello súperent; ne recta per inánem glóriam insidiándo supplántent.

℟. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: & sémitas tuas édoce me: * Dírige me in veritáte tua, & doce me: † Quia tu es Deus Salvator meus. ℣. Scimus quia viam Dei in veritáte doces. * Dí-

rige me. Glória. ✝ Quia. *Ps.* 24. 4. 5. *Luc.* 20. 21.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangelii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 23.

IN illo témpore; Convérsus Jesus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quòd multi prophétæ & reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, & non vidérunt. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 171. *de verbis Domini aliàs* 37. *Cap.* 2.

TOtum genus humánum est homo ille qui jacébat in via semivívus à latrónibus relíctus, quem contémpsit tránsiens Sacérdos & Levítes, & accéssit ad eum curándum eíque opitulándum tránsiens Samaritánus. Tránsiit Sacérdos, útique génere próximus; prætériit jacéntem. Tránsiit Levítes, & hic génere próximus; jacéntem étiam ipse contémpsit. Tránsiit Samaritánus, génere longínquus, misericórdiâ próximus: fecítque quod nostis. In quo Samaritáno se vóluit intélligi Dóminus noster Jesus Christus.

℟. In hoc cognóvimus charitátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: * Et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. ℣. Dedit se ut liberáret pópulum suum. * Et nos. 1. *Joan.* 3. 16. 1. *Mach.* 6. 44.

Lectio viij. Cap. 3.

QUid tam longínquum, quid tam remótum quàm Deus ab homínibus, immortális à mortálibus, justus à peccatóribus? Non loco longè, sed dissimilitúdine... Cùm ergo longè à nobis esset immortális & justus, tamquam à mortálibus & peccatóribus; descéndit ad nos, ut fíeret nobis próximus ille longínquus. Et quid fecit? Cùm habéret ille duo bona, & nos duo mala: ille duo bona, justítiam & immortalitátem: nos duo mala, iniquitátem & mortalitátem; si utrúmque malum nostrum suscepísset, par nobis factus esset, & liberári nobíscum opus habéret.

℟. Nos debémus altérutrum dilígere. * Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, & cháritas ejus in nobis perfécta est. ℣. Filii sapiéntiæ, ecclésia justórum: & nátio illórum, obediéntia & diléctio. * Si diligámus. 1. *Joan.* 4. 11. 12. *Eccli.* 3. 1.

Lectio. ix.

QUid ergo fecit ut esset próximus nobis? Próximus, non hoc quòd nos; sed propè nos. Duo atténde: Justus est, immortális est. In duóbus tuis malis, una est culpa; áltera est pœna. Culpa est, quòd injústus es: pœna est, quia

mortális es. Ille ut esset próximus, suscépit pœnā tuam: non suscépit culpam tuam; & si suscépit, delendam suscépit, non faciéndam: justus & immortalis, longè ab injústis & mortálibus. Peccátor mortális longè eras à justo immortáli. Non est ille factus peccátor, quod tu: sed factus est mortális, quod tu. Manens justus, factus est mortális. Suscipiéndo pœnam & non suscipiéndo culpam, & culpam delévit & pœnam.

℟. Magíster, in veritáte dixísti, quia unus est Deus, & ut diligátur ex toto corde: * Et dilígere próximum tamquam seípsum, † Majus est ómnibus holocautomátibus. ℣. Diléctio Dei honorábilis sapiéntia. * Et dilígere. Glória. † Majus est. *Marc.* 12. 32. 33. *Eccli.* 1.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* Appropians Samaritánus, alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum, & vinum; & curam ejus egit. *Luc.* 10. 34.

Oratio.

Confírma, quæsumus, Dómine, tuórum corda fidélium; & grátiæ tuæ virtúte corróbora; ut & in tua sint supplicatióne devóti; & mútuâ dilectióne sincéri; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Senonénsi.

An. 1528. *Cap.* 24.

Clérici ne in público ludant pilâ aut áliis ludis, máximè cum Láicis. A ludo aleárum, aliísque qui à sorte pendent abstíneant; neque ludéntium fautóres, spectatóres, aut testes exístant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *A.* Quis vidétur tibi próximus fuisse illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, & tu fac simíliter. *Luc.* 10. 36. 37.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 7.

Fili, accédens ad servitútem Dei, sta in justítia, & timóre, & præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, & sústine: inclína aurem tuam, & súscipe verba intelléctûs: & ne festínes in témpore obductiónis. Sústine sustentatiónes Dei: conjúngere Deo, & sústine, ut crescat in novíssimo vita tua. Omne, quod tibi applícitum fúerit, áccipe: & in dolóre sústine, & in humilitáte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum & argéntum, hómines verò receptíbiles in camíno humiliatiónis. Crede Deo, & recuperábit te: & dírige viam tuam, & spera in illum. Serva timórem illíus, & in illo veteráscе.

℟. Si quis, *ex* 1. *Noct. Dom.* *pag.* 169.

Lectio ij. v. 11. *ad* 18.

Respícite, fílii, natiónes hóminum; & scitóte

te quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. Quis enim permánsit in mandátis ejus, & derelíctus est? aut quis invocávit eum, & despéxit illum? Quóniam pius & misericors est Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta: & protéctor est ómnibus exquiréntibus se in veritáte. Væ dúplici corde, & lábiis sceléstis, & mánibus malefaciéntibus, & peccatóri terram ingrediénti duábus viis. Væ dissolútis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegéntur ab eo. Væ his, qui perdidérunt sustinéntiam, & qui dereliquérunt vias rectas, & divertérunt in vias pravas. Et quid fácient, cùm inspícere cœperit Dóminus?

℟. Dómine, *pag.* 170.

Lectio iij. v. 18. ad finem.

QUi timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus: & qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei: & qui díligunt eum, replebúntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum, præparabunt corda sua, & in conspéctu illíus sanctificábunt ánimas suas. Qui timent Dóminum, custódiunt mandáta illíus, & patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus, dicéntes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, & non in manus hóminum. Secúndùm enim magnitúdinem ipsíus, sic & misericórdia illíus cum ipso est.

℟. Quis est, *pag.* 170.

CANON

Ex Canónibus Apostolórum.

Can. 42. & 43.

EPíscopus, aut Présbyter, aut Diáconus, áleæ atque ebrietáti desérviens, aut désinat, aut certè communióne privétur: Subdiáconus, aut Lector, aut Cantor simília fáciens, aut désinat, aut communióne privétur.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 3. v. 7. ad 16.

QUi honórat patrem suum, vitâ vivet longióre: & qui óbedit patri, refrigerábit matrem. Qui timet Dóminum, honórat paréntes, & quasi dóminis sérviet his, qui se genuérunt. In ópere & sermóne, & omni patiéntia honóra patrem tuum, ut supervéniat tibi benedíctio ab eo, & benedíctio illíus in novíssimo máneat. Benedíctio patris firmat domos filiórum: maledíctio autem matris eradícat fundaménta. Ne gloriéris in contumélia patris tui: non enim est tibi glória, ejus confúsio: glória enim hóminis ex honóre patris sui, & dédecus filii pater sine honóre. Fili, súscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vita illíus: & si defécerit sensu, véniam da, & ne

spernas eum in virtúte tua: eleemósyna enim patris non erit in oblivióne.

℟. Filii, ex 2. Noct. Dom. pag. 171.

Lectio ij. v. 19. ad 27.

FIli, in mansuetúdine ópera tua pérfice, & super hóminum glóriam dilígeris. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, & coram Deo invénies grátiam: quóniam magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. Altióra te ne quæsíeris, & fortióra te ne scrutátus fúeris: sed quæ præcépit tibi Deus, illa cógita semper, & in plúribus opéribus ejus ne fúeris curiósus. Non est enim tibi necessárium, ea quæ abscóndita sunt, vidére óculis tuis. In supervácuis rebus noli scrutári multiplíciter, & in plúribus opéribus ejus non eris curiósus. Plúrima enim super sensum hóminum osténsa sunt tibi. Multos quoque supplantávit suspício illórum, & in vanitáte detínuit sensus illórum.

℟. Agnóscent, pag. 171.

Lectio iij. v. 27. ad finem.

COr durum habébit malè in novíssimo: & qui amat perículum, in illo períbit. Cor ingrédiens duas vias, non habébit succéssus, & pravus corde in illis scandalizábitur. Cor nequam gravábitur in dolóribus, & peccátor adjíciet ad peccándum. Synagógæ superbórum non erit sánitas: frutex enim peccáti radicábitur in illis, & non intelligétur. Cor sapiéntis intelligitur in sapiéntia, & auris bona áudiet cum omni concupiscéntia sapiéntiam. Sápiens cor & intelligíbile abstinébit se à peccátis, & in opéribus justítiæ succéssus habébit. Ignem ardéntem extínguit aqua, & eleemósyna resístit peccátis: & Deus prospéctor est ejus qui reddit grátiam: méminit ejus in pósterum, & in témpore casûs sui invéniet firmaméntum.

℟. Vias, pag. 171.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 22. de reform. Cap. 1.

STátuit sancta Synodus, ut quæ áliàs à sacris Concíliis de Clericórum vita, honestáte... ac simul de luxu, commessatiónibus, choréis, áleis, lúsibus, ac quibuscúmque crimínibus, necnon sæculáribus negótiis fugiéndis copiósè ac salúbriter sancíta fuérunt, éadem in pósterum iisdem pœnis observéntur.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 4. v. 1. ad 12.

FIli, eleemósynam páuperis ne defráudes, & óculos tuos ne transvértas à páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris: & non exásperes páuperem in inópia sua. Cor inopis ne afflíxeris, & non prótrahas da-

tum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias: & non avértas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avértas óculos tuos propter iram: & non relínquas quæréntibus tibi retrò maledícere: maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ, exaudiétur deprecátio illíus: exáudiet autem eum, qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito, & presbytero humília ánimam tuam, & magnáto humília caput tuum. Declína páuperi sine tristítia aurem tuam, & redde débitum tuum, & respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum, qui injúriam pátitur de manu supérbi: & non acidè feras in ánima tua. In judicándo esto pupíllis misericors ut pater, & pro viro matri illórum: & eris tu velut fílius Altíssimi obédiens, & miserébitur tuî magis quàm mater.

℟. In hoc, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 172.

Lectio ij. v. 23. *ad* 31.

FIli, consérva tempus, & devíta à malo. Pro ánima tua ne confundáris dícere verum. Est enim confúsio addúcens peccátum, & est confúsio addúcens glóriam & grátiam. Ne accípias fáciem advérsùs fáciem tuam, nec advérsùs ánimam tuam mendácium. Ne revereáris próximũ tuũ in casu suo: nec retíneas verbum in témpore salútis. Non abscóndas sapiéntiam tuam in decóre suo. In lingua enim sapiéntia dignóscitur: & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti, & firmaméntum in opéribus justítiæ. Non contradícas verbo veritátis ullo modo, & de mendácio ineruditiónis tuæ confúndere.

℟. Nos, *pag.* 172.

Lectio iij. v. 31. *ad finem.*

NOn confundáris confitéri peccáta tua, & ne subjícias te omni hómini pro peccáto. Noli resístere contra fáciem poténtis, nec conéris contra ictum flúvii. Pro justítia agonizáre pro ánima tua, & usque ad mortem certa pro justítia, & Deus expugnábit pro te inimícos tuos. Noli citátus esse in lingua tua; & inútilis, & remíssus in opéribus tuis. Noli esse sicut leo in domo tua, evértẽs domésticos tuos, & ópprimens subjéctos tibi. Non sit porrécta manus tua ad accipiéndum, & ad dandum colléctа.

℟. Magíster, *pag.* 173.

CANON

Ex Concílio Lateranénsi quarto œcuménico.

An. 1215. *Tit.* 15.

A Crápula & ebrietáte omnes Clérici diligénter abstíneant; unde vinum sibi témperent, & se vino. Nec ad bibéndum quíspiam incitétur, cùm ebríetas & mentis indúcat exítium, & libídinis próvocet incentívum.

FERIA

FERIA QUINTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 8.

NOli atténdere ad possessiónes iníquas, & ne díxeris: Est mihi sufficiens vita: nihil enim próderit in témpore vindíctæ & obductiónis. Ne sequáris in fortitúdine tua concupiscéntiam cordis tui, & ne dixeris: Quómodo pótui? aut quis me subjíciet propter facta mea? Deus enim víndicans vindicábit. Ne díxeris: Peccávi, & quid mihi áccidit triste? Altíssimus enim est pátiens rédditor. De propitiáto peccáto noli esse sine metu, neque adjícias peccátum super peccátum. Et ne dicas: Miserátio Dómini magna est, multitúdinis peccatórum meórum miserebitur. Misericórdia enim & ira ab illo citò próximant, & in peccatores réspicit ira illíus.

℟. Si quis, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 169.

Lectio ij. v. 8. ad 13.

NOn tardes convérti ad Dóminum, & ne differas de die in diem. Súbitò enim véniet ira illíus, & in témpore vindíctæ dispérdet te. Noli ánxius esse in divítiis injústis: non enim próderunt tibi in die obductiónis & vindíctæ. Non véntiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probátur in dúplici lingua. Esto firmus in via Dómini, & in veritáte sensûs tui, & sciéntiâ, & prosequátur te verbum pacis & justítiæ.

℟. Dómine, *pag.* 170.

Lectio iij. v. 13. *ad finem.*

ESto mansuétus ad audiéndum verbum, ut intélligas: & cum sapiéntia próferas respónsum verum. Si est tibi intellectus, respónde próximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiáris in verbo indisciplináto, & confundáris. Honor & glória in sermóne sensáti, lingua verò imprudentis subvérsio est ipsíus. Non appelléris susúrro, & linguâ tuâ ne capiáris, & confundáris. Super furem enim est confúsio & pœniténtia, & denotátio péssima super bilinguem: susurratóri autem odium, & inimicítia, & contumelia. Justífica pusíllum, & magnum simíliter.

℟. Qu s est, *pag.* 170.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *C.* 94.

FAcilè contémnitur Cléricus, qui sæpè vocátus ad prándium, ire non recúsat, numquam peténtes, rarò accipiamus rogáti... Nescis enim quómodo ipse étiam qui deprecátur ut tríbuat, cùm accéperis, viliórem te júdicet; & mirum in modum, si eum rogántem contémpseris, plus te postériùs venerátur.

FERIA SEXTA.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j. Cap. 6. v. 5. ad 12.

VErbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimícos: & lingua eúcharis in bono hómine abundat. Multi pacífici sint tibi, & consiliárius sit tibi unus de mille. Si póssides amicum, in tentatióne pósside eum, & ne fácilè credas ei. Est enim amícus secúndum tempus suum, & non permanébit in die tribulationis. Et est amícus qui convértitur ad inimicítiam: & est amícus qui ódium & rixam & convítia denudábit. Est autem amícus sócius mensæ, & non permanébit in die necessitátis. Amicus si permánserit firmus, erit tibi quasi coæquális, & in domésticis tuis fiduciáliter aget.

℟. Filii, ex 2. Noct. Dom. pag. 171.

Lectio ij v. 18. ad 24.

FIli, à juventúte tua éxcipe doctrínam, & usque ad canos invénies sapiéntiam. Quasi is qui arat, & séminat, accéde ad eam, & sústine bonos fructus illíus. In ópere enim ipsius exíguum laborábis, & citò edes de generatiónibus illíus. Quam áspera est nímium sapiéntia indóctis homínibus! & non permanébit in illa excors. Quasi lápidis virtus probatio erit in illis, & non demorabúntur projícere illam: sapiéntia enim doctrínæ secúndum nomen est ejus, & non est multis manifesta: quibus autem cógnita est, pérmanet usque ad conspectum Dei.

℟. Agnoscent, pag. 171.

Lectio iij. Cap. 7. v. 4. ad 12.

NOli quærere à dómino ducátum, neque à rege cathedram honóris. Non te justífices ante Deum, quóniam ágnitor cordis ipse est: & penes regem noli velle vidéri sápiens. Noli quærere fíeri judex, nisi váleas virtúte irrúmpere iniquitátes: ne forté extiméscas fáciem poténtis, & ponas scándalum in æquitáte tua. Non pecces in multitúdinem civitátis, nec te immíttas in pópulum, neque álliges dúplicia peccáta: nec enim in uno eris immúnis. Noli esse pusillánimis in ánimo tuo: exoráre, & fácere eleemósynam ne despícias. Ne dicas: In multitúdine múnerum meórum respíciet Deus, & offerénte me Deo Altíssimo, múnera mea suscípiet.

℟. Vias, pag. 171.

CANON

Ex Concilio Laodicéno.

Ineunte 4. sæculo. Cap. 54.

NOn oportet Sacerdótes aut Cléricos quibuscúmque spectáculis, in scenis, aut in núptiis interésse.

SABBATO.

De libro Ecclesiastici.

Lectio j Cap. 7. v. 12. ad 19.

NOn irrideas hominem in amaritúdine ánimæ: est enim qui humíliat & e-

xaltat, circumspéctor Deus. Noli aráre mendácium advérsùs fratrem tuum: neque in amícum simíliter fácias. Noli velle mentíri omne mendácium: assidúitas enim illíus non est bona. Noli verbósus esse in multitúdine presbyterórum, & non íteres verbum in oratióne tua. Non óderis laborióssa ópera, & rusticatiónem creátam ab Altíssimo. Non te réputes in multitúdine indisciplinatórum. Meménto iræ, quóniam non tardábit.

Lectio ij. v. 22. ad 31.

NOn lædas servum in veritáte operántem, neque mercenárium dantem ánimam suam. Servus sensátus sit tibi diléctus quasi ánima tua, non defráudes illum libertáte, neque ínopem derelínquas illum. Pécora tibi sunt? atténde illis: & si sunt utília, persevérent apud te. Fílii tibi sunt? érudi illos, & curva illos à pueritia illórum. Fíliæ tibi sunt? serva corpus illárum, & non osténdas hilarem fáciem tuam ad illas. Trade fíliam, & grande opus féceris, & hómini sensáto da illam. Múlier si est tibi secúndùm ánimam tuam, non projícias illam: & odíbili non credas te. In toto corde tuo honóra patrem tuum, & gémitûs matris tuæ ne obliviscáris: meménto quóniam nisi per illos natus non fuísses: & retríbue illis, quómodo & illi tibi.

Lectio iij. v. 31. ad finem.

IN tota ánima tua time Dóminum, & sacerdótes illíus sanctífica. In omni virtúte tua dílige eũ qui te fecit: & minístros ejus ne derelínquas. Honóra Deum ex tota ánima tua, & honorífica sacerdótes, & propúrga te cum bráchiis. Da illis partem, sicut mandátum est tibi, primitiárum & purgatiónis: & de negligéntia tua purga te cum paucis. Datum brachiórum tuórum & sacrifícium sanctificatiónis ófferes Dómino, & inítia sanctórum: & páuperi pórrige manum tuam, ut perficiátur propitiátio & benedíctio tua. Grátia dati in conspéctu omnis vivéntis, & mórtuo non prohíbeas grátiam. Non desis plorántibus in consolatióne, & cum lugéntibus ámbula. Non te pígeat visitáre infirmum: ex his enim in dilectióne firmáberis. In ómnibus opéribus tuis memoráre novíssima tua, & in ætérnum non peccábis.

CANON

Ex Concílio Veneténsi.

An. 465. *C.* II.

PResbyteri, Diáconi, atque Subdiáconi, vel dénique quibus ducéndi uxóres licentia non est, étiam alienárum nuptiárum évitent convívia; nec eis cœtibus admisceántur, ubi amatória

cantántur, & túrpia, aut obscœni motus córporum choris & sáltibus efferúntur: ne audítus & obtútus sacris mysteriis deputátus, túrpium spectaculórum atque verbórum contágio polluántur.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. a.* Peccántem in ánimam suam quis justificábit? & quis honorificábit exhonorántem ánimam suam? *Eccli.* 10. 32.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIII.
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 6. *ad* 15.

NE despícias hóminem averténtem se à peccáto, neque impróperes ei: meménto quóniam omnes in correptióne sumus. Ne spernas hóminem in sua senectúte: étenim ex nobis senéscunt. Noli de mórtuo inimíco tuo gaudére: sciens quóniam omnes mórimur, & in gáudium nólumus veníre. Ne despícias narratiónem presbyterórum sapiéntium, & in provérbiis eórum conversare: ab ipsis enim disces sapiéntiam, & doctrínam intelléctûs, & servíre magnátis sine queréla. Non te prætéreat narrátio seniórum: ipsi enim didicérunt à pátribus suis: quóniam ab ipsis disces intelléctum, & in témpore necessitátis dare respónsum. Non incéndas carbónes peccatórum árguens eos, & ne incendáris flammâ ignis peccatórum illórum. Ne contra fáciem stes contumeliósi, ne sédeat quasi insidiátor ori tuo.

℞. Quia non profértur citò contra malos senténtia, absque timóre ullo filii hóminum pérpetrant mala: áttamen peccátor ex eo quòd céntries facit malum, & per patiéntiam sustentátur, * Ego cognóvi quòd erit bonum timéntibus Deum. ℣. Quòd si Deus volens, sustínuit in multa patiéntia, vasa iræ, apta in intéritum. * Ego cognóvi. *Eccles.* 8. 11. 12. *Rom.* 9. 22.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 1. *ad.* 7.

JUdex sápiens judicábit pópulum suum, & principátus sensáti stábilis erit. Secúndùm júdicem pópuli, sic & minístri ejus: & qualis rector est civitátis, tales & inhabitántes in ea. Rex insípiens perdet pópulum suum: & civitátes inhabitabúntur per sensum poténtium. In manu Dei potéstas terræ: & útilem rectórem suscitábit in tempus super illam. In manu Dei prospéritas hóminis, & super fáciem scribæ impónet honórem suum. Omnis injúriæ próximi ne memíneris, & nihil agas in opéribus injúriæ.

℞. Bénedic, ánima mea, Dómino; & * Noli oblivísci retributiónes ejus; qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. An-

divitias bonitátis ejus & longanimitátis cõtémnis? ignóras quóniam benígnitas Dei ad pœniténtiam te addúcit? * Noli oblivísci. Ps. 102. 2. 3. Rom. 2. 4.

Lectio iij. v. 7. ad 18.

ODíbilis coram Deo est & homínibus supérbia: & execrábilis omnis iníquitas géntium. Regnum à gente in gentẽ transfértur propter injustítias, & injúrias, & contumélias, & divérsos dolos. Aváro autem nihil est sceléstius. Quid supérbit terra & cinis? Nihil est iníquius quàm amáre pecúniã: hic enim & ánimam suam venálem habet; quóniam in vita sua projécit íntima sua. Omnis potentátûs brevis vita. Languor prolíxior gravat médicum. Brevem languórem præcidit médicus: sic & rex hódie est, & cras morietur. Cùm enim moriétur homo, hæreditábit serpéntes, & béstias, & vermes. Inítium supérbiæ hóminis, apostatáre à Deo: quóniam ab eo, qui fecit illum, recéssit cor ejus: quóniam inítium omnis peccáti est supérbia: qui tenúerit illam, adimplébitur maledíctis, & subvértet eum in finẽ. Proptérea exhonorávit Dóminus convéntus malórum, & destrúxit eos usque in finem. Sedes ducum superbórum destrúxit Deus, & sedére fecit mites pro eis.

℟. Tu dominátor virtútis, júdicans das locum in peccátis pœniténtiæ. * Das nobis disciplínam, ut cùm de nobis judicátur, † Sperémus misericórdiam tuam. ℣. Dũ judicámur, corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. * Das nobis. Glória. † Sperémus. Sap. 12. 18. 19. 22. 1. Cor. 11. 32.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iv. Hom. 22. in Epist. 2. ad Cor. in Moral.

NE tardes convérti ad Dóminum, & ne différas de die in diem; nescis enim quid paritúra sit superventúra dies. Perículum enim & metus est in dilatióne: salus verò certa & secúra, si nulla sit dilátio. Virtútem ígitur cole; sic enim sive júvenis hinc abscédas, tutò abscédes; sive ad senectútem pervénias, cum amplíssimis ópibus excédes; duplicémque festivitátem per omnem vitam habébis, & à vítio ábstinens, & virtútem ampléxans.

℟. Quámdiu ponam consília in ánima mea, dolórem in corde meo per diem? * Usquequò exaltábitur inimícus meus super me? réspice, & exáudi me, Dómine Deus meus. ℣. Vídeo áliam legem in membris meis, repugnántem legi mentis meæ, & captivántem me in lege peccáti. * Usquequò. Ps. 12. 2. 3. 4. Rom. 7. 23.

Lectio v.

NE dicas: Erit tempus, quando convérti licébit; verba enim hæc valdè Deum exáſperant. Cur enim cùm ipſe tibi ætérna ſæcula promíſerit, tu, in præsénti vita quæ brevis & momentánea eſt, laboráre non vis; ſed ſic ignávus ac diſſolútus agis, quaſi hâc breviórem áliam quamdam inquíras? Annon eædem quotídie commeſſatiónes? annon eædem menſæ? annon éadem theátra? annon eædem pecúniæ?

℟. Deus meus, confúndor & erubéſco leváre fáciem meam ad te: * Quóniam iniquitátes noſtræ multiplicátæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delícta noſtra crevérunt uſque ad cœlum. ℣. Dómine, miſerére noſtrî, Fili David. * Quóniam. 1. *Eſdr.* 9. 6. *Matth.* 20. 30.

Lectio vj.

INebriátus es? ventri indulsíſti? rapuíſti? ſiſte jam gradum: verte te in divérſum: confitére Deo grátiam quòd non in médiis peccátis te abripuerit: nequære áliud tibi prorogári tempus, ut malè operéris. Multi áliis fraudem faciéntes abrépti ſunt, & in manifeſtam damnatiónem abiérunt; time ne idem tibi áccidat. Sed multis, inquis, dedit Deus ſpátium, ut in última ſenécta confiteréntur. Quid ígitur? numquid & tibi dabit? Fortáſsè dabit, inquis. Cur dicis, Fortáſsè? Cóntigit aliquóties. Cógita quòd de ánima delíberas; & contrárium étiam pone, ac réputa, & dic: Quid autem, ſi non det? Quid autem ſi det, inquis? Dedit quidem ipſe: verúmtamen hoc illo tútius eſt, & utílius.

℟. Salva, Dómine, pópulum tuum, relíquias Iſrael. * Convérte me, & convértar; quia tu Dóminus Deus meus. ℣. Omnia enim poſſibília ſunt apud Deum. * Convérte. Glória. * Convérte. *Jerem.* 31. 7. 18. *Marc.* 10. 27.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 17. *v.* 11.

IN illo témpore; Dum iret Jeſus in Jeruſalem, tranſíbat per médiam Samaríam & Galilæam. Et cùm ingrederétur quoddam caſtéllum, occurrérunt ei decem viri leproſi. Et réliqua.

Homília ſancti Bernárdi Abbátis.

Serm. 27. *de Diverſ. contrà vitium ingratitud. n.* 5. *& 6.*

NOnne decem mundáti ſunt? & novẽ ubi ſunt? Meminíſti, credo, verba Salvatóris hæc eſſe, novem illórum ingratitúdinem arguéntis. Multos vidémus uſque hódie ſatis importúnè peténtes, quod ſibi deéſſe cognovérunt; ſed paucos ádmodum nóvimus qui dignas ſuper accéptis beneficiis grátias ágere videántur. Nec re-

prehensibile est quod instánter pétimus; sed planè petitióni negat effectum, quòd invenímur ingráti. Et fortè étiam hoc cleméntiæ esse vidétur, ingrátis negáre quod póstulant: ne contíngat nobis ut tantò gráviùs de ingratitúdine judicémur, quantò magis accumulátis benefíciis, ingráti probábimur extitísse. Ergo misericórdiæ res est in hac parte subtráhere misericórdiam, quemádmodùm iræ & indignatiónis, misericórdiam exhibére, eam sanè de qua per Prophétam ipse Pater misericordiárum lóquitur, dicens: Misereámur impio, & non discet fácere justítiam.

℟. Generátio prava quæ non diréxit cor suum. * Oblíti sunt benefactórum ejus, & mirabílium ejus, quæ osténdit eis. ℣. Nonne decem leprósi mundáti sunt? & novem ubi sunt? * Oblíti sunt. *Ps.* 77. 8. 11. *Luc.* 17. 17.

Lectio viij. n. 7. & 8.

VIdes non ómnibus prodésse quòd à lepra sæculáris conversatiónis, cujus peccáta manifésta sunt, emundántur: sed nonnúllis pejus in occúlto ingratitúdinis ulcus oríri, quod tantò periculósius sit, quantò intérius. Et bene Salvátor hinc in Evangélio novem illos ubi sunt quærit; quóniam longè à peccatóribus salus. Sic enim & primum hóminem post peccátum ubi sit, intérrogat, & in judício nescíre sese profitébitur operários iniquitátis, cùm legámus in Psalmo: Quóniam novit Dóminus viam justórum, & iter impiórum peribit. Felix autem Samaritánus ille, qui cognóvit se nihil habére quod non accepisset: & idcírco servávit depósitum, & cum gratiárum actióne ad Dóminum est revérsus. Felix, qui ad síngula dona grátiæ redit ad eum, in quo est plenitúdo ómnium gratiárum; cui, dum nos pro accéptis non ingrátos exhibémus, locum in nobis fácimus grátiæ, ut majóra adhuc recípere mereámur.

℟. Benedícite Deum cœli, & coram ómnibus vivéntibus confitémini ei, quia fecit vobíscum misericórdiam suam: * Opera Dei reveláre, & confitéri honoríficum est. ℣. In Christo ambuláte, abundántes in illo in gratiárum actióne. * Opera. *Tob.* 12. 6. 7. *Coloss.* 2. 6. 7.

Lectio ix.

FElix proínde qui se alienígenam réputans, étiam pro mínimis quibúsque benefíciis non mínimas refert grates, gratúitum esse non dúbitans, neque dissímulans, quod aliéno impénditur & ignóto. Nos autem míseri, cùm in inítio, dum adhuc aliénos nos existimámus, timoráti satis, satis devóti & húmiles inveniámur; tam facilè póstmo-

dum oblivíscimur quàm gratúitum sit quidquid accépimus, & præsuméntes non bene quasi de familiaritáte Dei, nequáquam advértimus quod mereámur audíre; quóniam inimíci Dómini, doméstici ejus... Obsecro ítaque, fratres, humiliémur magis ac magis sub poténti manu Dei, & ab hoc tam máximo, tam nequíssimo vítio ingratitúdinis longè fíeri studeámus; ut totâ devotióne in gratiárum actióne versántes conciliémus nobis grátiam Dei nostri, quæ sola potest salváre ánimas nostras.

℟. Opórtet prævenire solem ad benedictiónem tuam, Dómine, & ad ortum lucis te adoráre: * Ingráti enim spes tamquam hybernális glácies tabéscet, & dispériet tamquam aqua supervácua. ℣. Grátias ágere debémus semper Deo, ita ut dignum est. * Ingráti. Glória. * Ingráti. *Sap.* 16. 28. 29. 2. *Thess.* 1. 3.

Ad Bened. Ant. t. 5. *A.* Unus ex illis, ut vidit quia mundátus est, regréssus est; cum magna voce magníficans Deum. *Luc.* 17. 15.

Oratio.

LArgíre, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus & pacem; ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, & secúrâ, sempérque mémori tibi mente desérviant; Per &c.

CANON

Ex Concílio Forojuliénsi. *An* 791. *Cap.* 6.

MUndánas dignitátes quas sæculáres viri vel príncipes terræ exercére solent, in venatiónibus scílicet, vel in cánticis sæculáribus, aut in resolúta & immoderáta lætítia, in lyris & tíbiis & his simílibus lúsibus, nullus sub Ecclesiástico Cánone constitútus, ob inánis lætítiæ fluxum áudeat fastu supérbiæ túmidus, quándoque præsuméndo abúti.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Non est invéntus qui redíret, & daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. *Luc.* 17. 18.

Oratio ut in Laudib.

FERIA SECUNDA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 4. *ad medium.* 10.

IN vestítu ne gloriéris umquam, nec in die honóris tui extolláris; quóniã mirabília ópera Altíssimi solíus, & gloriósa, & abscónsa, & invísa, ópera illíus. Multi tyránni sedérunt in throno, & insuspicábilis portávit diadéma. Multi poténtes oppréssi sunt válidè, & gloriósi tráditi sunt in manus alterórum. Priúsquam intérroges, ne vitúperes quemquam: & cùm interrogáveris, córripe justè. Priúsquam áudias, ne respóndeas verbum: & in médio sermónum ne adjícias loqui. De ea re, quæ te non

molèstat, ne certéris : & in judício peccántium ne consístas. Fili, ne in multis sint actus tui : & si dives fúeris, non eris immúnis à delícto.

℟. Quia. *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 180.

Lectio ij. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

QUi tetígerit picem, inquinábitur ab ea : & qui communicáverit supérbo, índuet supérbiam. Pondus super se tollet, qui honestióri se commúnicat. Et ditióri te ne sócius fúeris. Quid communicábit cácabus ad ollam ? quando enim se collíserint, confringétur. Dives injústè egit, & fremet : pauper autem læsus tacébit. Si largítus fúeris, assúmet te : & si non habúeris, derelínquet te. Si habes, convívet tecum, & evacuábit te, & ipse non dolébit super te. Si necessárius illi fúeris, supplantábit te, & subrídens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet : Quid opus est tibi ?

℟. Bénedic, *pag.* 180.

Lectio iij. v. 23. *ad* 31.

VEnátio leónis, ónager in erémo : sic & páscua dívitum sunt páuperes. Et sicut abominátio est supérbo humílitas : sic & execrátio dívitis pauper. Dives commótus confirmátur ab amícis suis : húmilis autem cùm cecíderit, expellétur & à notis. Díviti decépto multi recuperatóres : locútus est supérba, & justificavérunt illum : húmilis decéptus est, ínsuper & argúitur : locútus est sensátè, & non est datus ei locus. Dives locútus est, & omnes tacuérunt, & verbum illíus usque ad nubes perdúcent. Pauper locútus est, & dicunt : Quis est hic ? & si offénderit, subvértent illum. Bona est substántia, cui non est peccátũ in consciéntia : & nequíssima paupértas in ore ímpii.

℟. Tu dominátor, *pag.* 181.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi.

NEsciat Présbyter domus cõmessatiónes crapulósas, execrétur compotatiónes illas ad æquáles haustus obligatórias.. . Bréviter vitet ómnia quæ pastóralem autoritátem aut dedécorant aut immínuunt.

FERIA TERTIA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 1. *ad* 8.

BEátus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulátus in tristítia delícti. Felix, qui non hábuit ánimi sui tristítiam, & non éxcidit à spe sua. Viro cúpido & tenáci sine ratióne est substántia, & hómini lívido ad quid aurum ? Qui acérvat ex ánimo suo injústè, áliis cóngregat, & in bonis illíus álius luxuriábitur. Qui sibi nequam est, cui álii bonus erit ? & non jucundábitur in bonis suis. Qui sibi ínvidet, nihil est illo néquius, & hæc reddítio est malítiæ

illíus: & si bene fécerit, ignoránter, & non volens facit: & in novíssimo maniféstat malítiam suam.

℟. Quámdiu, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 181.

Lectio ij. v. 9. ad 18.

INsatiábilis óculus cúpidi in parte iniquitátis: non satiábitur donec consúmat arefaciens ánimã suam. Oculus malus ad mala: & non satiábitur pane, sed índigens & in tristítia erit super mensam suam. Fili, si habes, bénefac tecum, & Deo dignas oblatiónes offer. Memor esto quóniam mors non tardat, & testaméntum inferórum, quia demonstrátum est tibi: testamentum enim hujus mundi, morte moriétur. Ante mortem bénefac amíco tuo, & secúndùm vires tuas expórrigens da páuperi. Non defraudéris à die bono, & partícula boni doni non te prætéreat. Nonne áliis relínques dolóres & labóres tuos in divisióne sortis? Da, & áccipe, & justífica ánimam tuam. Ante óbitum tuum operáre justítiam: quóniam non est apud ínferos inveníre cibum.

℟. Deus, *pag.* 182.

Lectio iij. Cap. 15. v. 14. ad finem.

DEus ab inítio constítuit hóminem, & relíquit illum in manu consílii sui. Adjécit mandáta & præcépta sua: si volúeris mandáta serváre, conservábunt te, & in perpétuum fidem plácitam fácere. Appósuit tibi aquam & ignem: ad quod volúeris, pórrige manum tuam. Ante hóminem vita & mors, bonum & malum: quod placúerit ei, dábitur illi: quóniam multa sapiéntia Dei, & fortis in poténtia, videns omnes sine intermissióne. Oculi Dómini ad timéntes eum, & ipse agnóscit omnem óperam hóminis. Némini mandávit impiè ágere, & némini dedit spátium peccandi: non enim concupíscit multitúdinem filiórum infidélium & inutílium.

℟. Salva, *pag.* 182.

CANON

Ex Concílio Turonénsi.

An. 461. *C.* 1.

CUm Laïco abstinéntia imperétur, ut possit oratióni vacans & Deum deprecans exaudíri; quantò magis Sacerdótibus vel Levítis, qui omni moménto paráti esse Deo debent in omni mundítia & puritáte, secúri, ne aut sacrifícium offérre, aut baptizáre, si id témporis necéssitas popóscerit, cogántur.

FERIA QUARTA.

De libro Ecclesiástici.

Lectio. j. Cap. 21. v. 1. ad 8.

FIli, peccásti? non adjícias iterum: sed & de prístinis deprecáre ut tibi dimittántur. Quasi à fácie cólubri fuge peccáta: & si accésseris ad illa, suscípient te. Dentes leónis, dentes ejus,

interficiéntes ánimas hóminum. Quasi rhomphæa bis acúta omnis iníquitas, plagæ illíus non est sánitas. Objurgátio & injúriæ annullábunt substántiam: & domus quæ nimis lócuples est, annullábitur supérbiâ: sic substántia supérbi eradicábitur. Deprecátio páuperis ex ore usque ad aures ejus pervéniet, & judícium festinátò advéniet illi. Qui odit correptiónem, vestígium est peccatóris: & qui timet Deum, convertétur ad cor suum.

℟. Generátio, *ex 3. Noct. Dom. pag.* 183.

Lectio ij. Cap. 22. v. 28. ad finem.

FIdem pósside cum amíco in paupertáte illíus, ut & in bonis illíus lætéris. In témpore tribulatiónis illíus pérmane illi fidélis, ut & in hæreditáte illíus cohæres sis. Ante ignem camíni vapor, & fumus ignis inaltátur: sic & ante sánguinem maledícta, & contuméliæ, & minæ. Amícum salutáre non confúndar, à fácie illíus non me abscóndam: & si mala mihi evenerint per illum, sustinébo. Omnis qui áudiet, cavébit se ab eo. Quis dabit ori meo custódiam, & super lábia mea signáculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

℟. Benedícite, *pag.* 183.

Lectio iij. Cap. 23. v. 25. ad 32.

OMnis homo qui transgréditur lectum suum, contémnens in ánimâ suam, & dicens: Quis me videt? ténebræ circúmdant me, & paríetes coopériunt me, & nemo circúmspicit me: quē véreor? delictórum meórum non memorábitur Altíssimus. Et non intélligit quóniam ómnia videt óculus illíus, quóniam expéllit à se timórem Dei hujúsmodi hóminis timor, & óculi hóminum timéntes illum: & non cognóvit quóniam óculi Dómini multò plus lucidióres sunt super solem, circumspiciéntes omnes vias hóminum, & profúndum abyssi, & hóminum corda intuéntes in abscónditas partes. Dómino enim Deo ántequam crearéntur, ómnia sunt ágnita: sic & post perféctum réspicit ómnia. Hic in platéis civitátis vindicábitur, & quasi pullus equínus fugábitur: & ubi non sperávit, apprehendétur. Et erit dédecus ómnibus, eò quòd non intelléxerit timórem Dómini.

℟. Opórtet, *pag.* 184.

CANON

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 815. *Cap.* 1.

CLérici non vagis óculis, non infræni linguâ, aut petulánti tumidóque gestu incédant; sed pudórem & verecúndiam mentis, hábitu incessúque osténdant: obsce-

nitátem étiam verbórum, sicut & óperum pénitùs execréntur.

FERIA QUINTA,

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 25. v. 1. ad 9.

IN tribus plácitum est spirítui meo, quæ sunt probáta coram Deo & homínibus: Concórdia fratrum, & amor proximórum, & vir & múlier bene sibi consentiéntes. Tres spécies odívit ánima mea, & ággravor valdè ánimæ illórum: Páuperem supérbum: dívitem mendácem; senem fátuum & insensátum. Quæ in juventúte tua non congregásti, quómodo in senectúte tua invénies? Quàm speciósum canitiéi judícium, & presbyteris cognóscere consílium! Quàm speciósa veteránis sapiéntia, & gloriósis intelléctus, & consílium! Coróna senum multa perítia, & glória illórum timor Dei.

℟. Quia. *ex 1. Noct. Dom. pag.* 180.

Lectio ij. Cap. 28. v. 1. ad 11.

QUi vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus servans servábit. Relínque próximo tuo nocénti te: & tunc deprecánti tibi peccáta solvéntur. Homo hómini resérvat irã, & à Deo quærit medélam? In hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, & de peccátis suis deprecátur? Ipse cùm caro sit, resérvat iram, & propitiatiónem petit à Deo? quis exorábit pro delíctis illíus? Meménto novissimórum, & désine inimicári: tabitúdo enim & mors ímminent in mandátis ejus. Memoráre timórem Dei, & non irascáris próximo. Memoráre testaméntum Altíssimi, & déspice ignorántiam próximi. Abstine te à lite, & mínues peccáta.

℟. Bénedic, *pag.* 180.

Lectio iij. Cap. 31. v. 30 ad 41.

DIligéntes in vino noli provocáre: multos enim extermínávit vinum. Ignis probat ferrum durum; sic vinum corda superbórum árguet in ebrietáte potátum. Æqua vita homínibus, vinum in sobrietáte: si bibas illud moderátè, eris sóbrius. Quæ vita est ei, qui minúitur vino? quid defráudat vitam? Mors. Vinum in jucunditátem creátum est, & non in ebrietátem, ab inítio. Exultátio ánimæ & cordis, vinum moderátè potátum. Sánitas est ánimæ & córpori sóbrius potus. Vinum multum potátum, irritatiónem, & iram, & ruínas multas facit. Amaritúdo ánimæ vinum multum potátum. Ebrietátis animósitas, imprudéntis offénsio, minórans virtútem, & fáciens vúlnera.

℟. Tu dominátor, *pag.* 181.

CANON
Ex Concílio Aquisgranénsi.
An. 718. *Lib.* 2. *Cap.* 1.

RArus sit egréssus tuus in públicum; crébriùs lege; disce quàm plúrimùm; tenénti códicem somnus obrépat, & cadéntem fáciem página sacra suscípiat.

FERIA SEXTA.
De libro Ecclesiástici.
Lectio j. Cap. 32. *v.* 9. *ad* 18.

AUdi tacens, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Adoléscens, lóquere in tua causa vix. Si bis interrogátus fúeris, hábeat caput respónsum tuum. In multis esto quasi ínscius, & audi tacens simul & quærens. In médio magnatórum non præsúmas: & ubi sunt senes, non multùm loquáris. Ante grándinem præíbit coruscátio: & ante verecúndiam præíbit grátia, & pro reveréntia accédet tibi bona grátia. Et horâ surgéndi non te trices: præcúrre autem prior in domum tuam, & illìc avocáre, & illìc lude, & age conceptiónes tuas, & non in delíctis & verbo supérbo. Et super his ómnibus benedícito Dóminum, qui fecit te, & inebriántem te ab ómnibus bonis suis.

℟. Quámdiu, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 181.

Lectio ij. Cap. 33. *v.* 23. *ad* 32.

IN ómnibus opéribus tuis præcéllens esto. Ne déderis máculam in glória tua. In die consummatiónis diérum vitæ tuæ, & in témpore éxitûs tui distríbue hæreditátem tuam. Cibária, & virga, & onus ásino: panis, & disciplína, & opus servo. Operátur in disciplína, & quærit requiéscere: laxa manus illi, & quærit libertátem. Jugum & lorum curvant collum durum, & servum inclínant operatiónes assíduæ. Servo malévolo tortúra, & cómpedes, mitte illum in operatiónem, ne vacet: multam enim malítiam dócuit otiósitas. In ópera constítue eum: sic enim cóndecet illum. Quòd si non obaudíerit, curva illum compédibus, & non amplífices super omnem carnem: verùm sine judício nihil fácias grave. Si est tibi servus fidélis, sit tibi quasi ánima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quóniam in sánguine ánimæ comparásti illum.

℟. Deus, *pag.* 182.

Lectio iij. Cap. 34. *v.* 1. *ad* 8.

VAna spes, & mendácium viro insensáto: & sómnia extóllunt imprudéntes. Quasi qui apprehéndit umbram, & perséquitur ventum: sic & qui atténdit ad visa mendácia. Hoc secúndùm hoc vísio somniórum: ante fáciem hóminis similitúdo hóminis. Ab immúndo quid mundábitur? & à mendáce quid verum dicétur? Divinátio erróris, & augúria mendácia, & sómnia malefaciéntium, vánitas est. Et

sicut parturiéntis, cor tuum phantásias pátitur, nisi ab Altíssimo fuerit emíssa visitátio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecérunt sómnia, & excidérunt sperántes in illis.

℟. Salva, *pag.* 182.

CANON

Ex Concílio Lingonénsi.

An. 1404.

ASsíduè & devótè oráre, sicut & lectióni perféctè atténdere sunt ópera Clericórum.

SABBATO.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 37. *v.* 15. *ad* 24.

CUm viro sancto assíduus esto, quemcúmque cognóveris observántem timórem Dei, cujus ánima est secúndùm ánimam tuam: & qui, cùm titubáveris in ténebris, condolébit tibi. Cor boni consílii statue tecum: non est enim tibi áliud pluris illo. Anima viri sancti enúntiat aliquándo vera, quàm septem circumspectóres sedéntes in excélso ad speculándum. Et in his ómnibus deprecáre Altíssimum, ut dírigat in veritáte viam tuã. Ante ómnia ópera vérbum verax præcédat te, & ante omnem actum consílium stábile. Verbum nequam immutábit cor, ex quo partes quatuor oriúntur, bonum & malum, vita & mors: & dominatrix illórum est assídua lingua. Est vir astútus multórum erudítor, & ánimæ suæ inútilis est. Vir perítus multos erudívit, & ánimæ suæ suávis est. Qui sophísticè lóquitur, odíbilis est: in omni re defraudábitur.

Lectio ij. Cap. 41. *v.* 1. *ad* 11.

O Mors, quàm amára est memória tua, hómini pacem habénti in substántiis suis; viro quiéto, & cujus viæ diréctæ sunt in ómnibus, & adhuc valénti accípere cibum! O mors, bonum est judícium tuum hómini indigénti, & qui minorátur víribus, defécto ætáte, & cui de ómnibus cura est, & incredíbili, qui perdit patiéntiam! Noli metúere judícium mortis. Meménto quæ ante te fuérunt, & quæ supervéntura sunt tibi: hoc judícium à Dómino omni carni; & quid supervéniet tibi in beneplácito Altíssimi? sive decem, sive centum, sive mille anni: non est enim in inférno accusátio vitæ. Filii abominatiónum fiunt filii peccatórum, & qui conversántur secùs domos impiórum. Filiórum peccatórum períbit hæréditas, & cum sémine illórum assidúitas oppróbrii. De patre ímpio querúntur filii, quóniam propter illum sunt in oppróbrio.

Lectio iij. v. 11. *ad* 18.

VÆ vobis, viri ímpii, qui dereliquístis legem

Dómini Altíssimi. Et si nati fuéritis, in maledictióne nascémini: & si mórtui fuéritis, in maledictióne erit pars vestra. Omnia, quæ de terra sunt, in terram convertén-tur; sic ímpii à maledícto in perditiónem. Luctus hóminum in córpore ipsórum, nomen autem impiórum delébitur. Curam habe de bono nómine: hoc enim magis permanébit tibi, quàm mille thesáuri pretiósi & magni. Bonæ vitæ númerus diérum: bonum autem nomen permanébit in ævum. Disciplínam in pace conservate, fílii.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 112.

CLericus duas res proféssus est, Sanctitatem & Clericátum... sed quis sápiens, & intelligit hæc?

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *f.* Numquid considerásti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo. *Job.* 2. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Job.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

VIr erat in terra Hus, nómine Job, & erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo: natíque sunt ei septem fílii, & tres fíliæ. Et fuit posséssio ejus, septem míllia óvium, & tria míllia camelórum, quingénta quoque juga boum, & quingéntæ ásinæ, ac família multa nimis; erátque vir ille magnus inter omnes Orientáles. Et ibant fílii ejus, & faciébant convívium per domos, unusquísque in die suo. Et mittentes vocábant tres soróres suas, ut comé derent & bíberent cum eis. Cùmque in orbem transíssent dies convívii, mittébat ad eos Job, & sanctificábat illos; consurgénsque dilúculo offerébat holocáusta pro síngulis. Dicébat enim: Ne fortè peccáverint fílii mei, & benedíxerint Deo in córdibus suis. Sic faciébat Job cunctis diebus.

℟. Beátus dives, qui invéntus est sine mácula; & qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia & thesáuris. * Qui probátus est in illo & perféctus est, erit illi glória ætérna. ℣. Divítibus hujus sæculi præcipe non sublíme sápere, neque speráre in incerto divitiárum, bene ágere, dívites fíeri in bonis opéribus. * Qui probátus est. *Eccli.* 31. 8. 10. 1. *Tim.* 6. 17. 18.

Lectio ij. v. 6. *ad* 13.

QUádam autem die, cùm veníssent fílii Dei ut assísterent coram Dómino,

adfuit inter eos étiam satan. Cui dixit Dóminus: Unde venis? Qui respóndens ait: Circuívi terram, & perambulávi eam. Dixítque Dóminus ad eum: Numquid considerásti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, homo simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo? Cui respóndens satan, ait: Numquid Job frustrà timet Deum? nonne tu vallásti eum, ac domum ejus, universámque substántiam per circúitum? opéribus mánuum ejus benedixísti, & posséssio ejus crevit in terra? Sed exténde páululùm manum tuam, & tange cuncta quæ póssidet, nisi in fáciem benedíxerit tibi. Dixit ergo Dóminus ad satan: Ecce univérsa quæ habet, in manu tua sunt: tantùm in eum ne exténdas manum tuam. Egressúsque est satan à fácie Dómini.

℟. Benedíctio peritúri super me veniébat, & cor víduæ consolátus sum: justítiâ indútus sum: * Oculus fui cæco, & pes claudo; pater eram páuperum. ℣. Factus sum infirmis infirmus: ómnibus ómnia factus sum. * Oculus. *Job.* 29. 13. 14. 15. 16. 1. *Cor.* 9. 22.

Lectio iij. v. 13. *ad* 20.

CUm autem quâdam die fílii & fíliæ ejus coméderent & bíberent vinum in domo fratris sui primogéniti, núntius venit ad Job, qui díceret: Boves arábant, & ásinæ pascebántur juxtà eos, & irruérunt Sabæi, tuleríntque ómnia, & púeros percussérunt gládio, & evási ego solus ut nuntiárem tibi. Cùmque adhuc ille loquerétur, venit alter, & dixit: Ignis Dei cécidit è cœlo, & tactas oves pueròsque consúmpsit, & effúgi ego solus ut nuntiárem tibi. Sed & illo adhuc loquénte, venit álius, & dixit: Chaldæi fecérunt tres turmas, & invasérunt camélos, & tulérunt eos, necnon & púeros percussérunt gládio, & ego fugi solus ut nuntiárem tibi. Adhuc loquebátur ille, & ecce álius intrávit, & dixit: Filiis tuis & filiábus vescéntibus & bibéntibus vinum in domo fratris sui primogéniti, repéntè ventus véhemens irruit à regióne desérti, & concússit quátuor ángulos domûs, quæ córruens oppréssit líberos tuos, & mórtui sunt; & effúgi ego solus, ut nuntiárem tibi.

℟. Surréxit Job, & córruens in terram, * Adorávit, & dixit: † Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illùc: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit: sit nomen Dómini benedíctum. ℣. Exémplum accípite labóris, & patiéntiæ: sufferéntiam Job audístis. * Adorávit. Glória. † Nudus. *Job.* 1. 20. 21. *Jacob.* 5. 10. 11.

IN II. NOCTURNO.
Ex libris Morálium sancti Gregórii Papæ.
Lectio iv. Lib. 2. Cap. 18.

SAnctus vir Job, tentánte adversário, cuncta perdíderat; sed tamen sciens, quia contra se satan tentándi vires, nisi permitténte Dómino non habébat, noluit: Dóminus dedit, diábolus ábstulit; sed, Dóminus dedit, Dóminus ábstulit. Fortásse enim fúerat doléndum, si quod Cónditor déderat, hostis abstulísset: at postquā non ábstulit nisi ipse qui dedit, sua recépit, non nostra ábstulit. Si enim ab illo accípimus quibus in hac vita útimur, cur dolcámus quòd, ipso judicánte, exígimur, quo largiénte fœnerámur? Nec aliquándo injústus est créditor, qui dum præfíxo reddéndi témpore non constríngitur, quando vult, éxigit quod fœnerátur. Ubi & bene subjúngitur: Sicut Dómino plácuit, ita factum est. Cùm enim in hac vita ea quæ nólumus pátimur, necésse est ut ad eum qui injústum velle nil potest, stúdia nostræ voluntátis inclinémus.

℟. Scio quòd non justificétur homo compósitus Deo: * Quis respondébit ei? vel quis dícere potest: Cur ita facis? Deus, sub quo curvántur, qui portant orbem: quantus sum ego ut respóndeam ei? Si justificáre me volúero, os meum condemnábit me. ℣. O homo! tu quis es, qui respóndeas Deo? Numquid dicit figméntum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? * Quis. *Job.* 9. 2. 12. 13. 14. 20. *Rom.* 9. 20.

Lectio v.

MAgna quippe est consolátio in eo quod displicet, quòd illo ordinánte erga nos agátur, cui non nisi justum placet: Si ígitur justa placére Dómino scimus, pati autem nulla, nisi quæ Dómino placúerint, póssumus; justa sunt cuncta quæ pátimur, & valdè injústum est, si de justa passióne murmurámus. Sed quia orátor fortis quómodo assertiónem partis suæ contra adversárium allegávit, audívimus; nunc quómodo in orationis suæ término júdicem benedicéndo laudet, audiámus. Séquitur: Sit nomen Dómini benedíctum. Ecce omne quod rectum sensit, Dómini benedictióne conclúsit: ut hinc adversárius inspíciat, & ad pœnam suam victus erubéscat; quia ipse Dómino contumax, étiam in beatitúdine cónditus éxtitit, cui homo hymnum glóriæ, étiam percússus dicit.

℟. Ecce qui sérviunt ei non sunt stábiles, & in ángelis suis réperit pravitátem: * Quantò magis hi qui hábitant domos lúteas, qui terrénum habent fundaméntum, consuméntur velut à

tinea? ℣. Deus angelis peccántibus non pepercit, sed detráctos in tartarum trádidit cruciándos, in judicium reserv ri. * Quanto magis. *Job.* 4. 18. 19. 2. *Petr.* 2. 4.

Lectio vj.

INtuéndum verò est quia hostis noster tot nos jáculis pércutit quot tentatiónibus affligit. Quotídie námque in ácie stamus; quotídie tentatiónum ejus tela excípimus. Sed & nos contra illum jácula mittimus, si confóssi tribulatiónibus humília respondémus. Beátus ígitur Job percússus damno rerum, percússus morte filiórum, quia vim dolóris vertit in laudem Conditóris, dicens: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedíctum: supérbum hostem humilitáte pérculit, crudélem patiéntiâ stravit.

℟. Beátus homo, qui corrípitur à Deo: & increpatiónē Dómini ne réprobes: * Quia ipse vúlnerat, & medétur. ℣. Tribulátio patiéntiam óperatur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem, spes autem non confundit. * Quia ipse. Glória. * Quia ipse. *Job.* 5. 17. 18. *Rom.* 5. 3. 4. 5.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6. v. 24.

IN illo tempore; Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dominis servire: aut enim unum ódio habébit, & alterum diliget; aut unum sustinébit, & álterum contémnet. Non potéstis Deo servire & mammónæ. Et reliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 2. de Serm. Dom. Cap. 14.

NEmo potest duóbus dóminis servire. Ad hanc ipsam intentiónem referéndum est quod consequénter expónit, dicens: Aut enim unum ódio habébit, & alterum díliget; aut álterum patiétur, & álterum contémnet. Quæ verba diligénter consideránda sunt, nam, qui sint duo dómini, deínceps osténdit, cùm dicit: Non potéstis Deo servíre & mammónæ. Mammóna apud Hebræos divítiæ appellári dicúntur. Congruit & Púnicum nomen: nam lucrum Púnicè Mammon dícitur.

℟. Absit ut relinquámus Dóminum, & serviámus diis aliénis: serviémus Dómino, quia ipse est Deus noster. * Deus enim sanctus, & fortis æmulátor est. ℣. Habémus grátiam, per quam serviámus placéntes Deo, cum metu & reveréntia. * Deus enim. *Josue* 24. 16. 18. 19. *Hebr.* 12. 28.

Lectio viij. Cap: 16.

NOlíte sollíciti esse dicéntes: Quid edemus, aut quid bibémus, aut quid vestiémur? Hic manifestíssimè osténdit, non hæc esse appeténda, tamquam tália bona nostra, ut propter ipsa debeámus bene fácere si quid fácimus, sed tamen esse necessária. Quid enim intérsit inter bonum quod appeténdum est, & necessárium quod suméndum est, hâc senténtiâ declarávit, cùm ait: Quærite primùm regnum Dei, & justítiam ejus, & hæc ómnia apponéntur vobis. Regnum ergo & justítia Dei bonum nostrum est; & hoc appeténdum, & ibi finis constituéndus; propter quod ómnia faciámus, quæcúmque fácimus.

℟. Duo rogávi te, Dómine, ne déneges mihi ántequam móriar. Vanitátem, & verba mendácia longè fac à me. Mendicitátem & divítias ne déderis mihi; * Tríbue tantùm víctui meo necessária, ne fortè satiátus illíciar ad negándum, & dicam: Quis est Dóminus? ℣. Non in abundántia cujúsquam vita ejus est, ex his quæ póssidet. * Tríbue. *Prov.* 30. 7. 8. 9. *Luc.* 12. 15.

Lectio ix.

SEd quia in hac vita militámus, ut ad illud regnum perveníre possímus, quæ vita sine his necessáriis agi non potest: Apponéntur vobis hæc, inquit; sed vos regnum Dei & justítiam ejus primùm quærite. Cùm enim dixit illud, Primùm, significávit quòd hoc postérius quæréndum est, non témpore, sed dignitáte: illud tamquam bonum nostrum; hoc tamquam necessárium nostrum: necessárium autem propter illud bonum. Neque enim, verbi gratiâ, ídeò debémus evangelizare ut manducémus; sed ídeò manducáre, ut evangelizémus: nam si proptérea evangelizámus, ut manducemus, vílius habémus Evangélium quàm cibum; & erit jam bonum nostrum in manducándo, necessárium autem in evangelizándo.

℟. Quid próderit hómini de univérso labóre suo, & afflictióne spíritûs, quâ cruciátus est? * Hómini bono dedit Deus lætítiam: peccatóri autem dedit afflictiónem, & curam supérfluam; ut addat & cóngreget: sed & hoc vánitas est, & cassa sollicitúdo mentis. ℣. Nolíte sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quo operiémur: hæc ómnia gentes inquírunt. * Hómini. Glória. * Hómini. *Eccles.* 2. 22. 26. *Matth.* 6. 31. 32.

Ad Bened. Ant. t. 1. *D.* Nemo potest duóbus dóminis servíre... Non potéstis Deo servíre & mammónæ. *Matth.* 6. 24.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine, regnum tuum & justítiam ejus inquírere; & præsta, ut bonis temporálibus, quæ ex benignitáte spirituálibus ádjicis, sóbriè & piè utámur; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 1549. *Can.* 61.

SAnctórum celebritátes in diem Domínicam incidéntes censémus submovéndas, & in Fériam áliquam præcedéntem, vel sequéntem transferéndas; quo sanctórum ómnium Dómino sua consérvetur solémnitas, excéptis summis Festivitátibus.

Ad Magnif. Ant. t. 1. d. Quærite primùm regnum Dei, & justítiam ejus; & hæc ómnia adjiciéntur vobis. *Matth.* 6. 33.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 20. *ad finem, & Cap.* 2. *v.* 1. *ad* 3.

SUrrexit Job, & scidit vestiménta sua, & tonso cápite córruens in terram, adorávit, & dixit: Nudus egréssus sum de útero matris meæ, & nudus revértar illuc: Dóminus dedit, Dóminus ábstulit; sicut Dómino plácuit, ita factum est: sit nomen Dómini benedíctum. In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis, neque stultum quid contra Deũ locútus est. Factum est autem, cùm quâdam die veníssent filii Dei, & starent coram Dómino, venísset quoque satan inter eos, & staret in conspéctu ejus; ut díceret Dóminus ad satan: Unde venis? Qui respóndens ait: Circuívi terram, & perambulávi eam.

℞. Beatus, *ex* 1. *Noct. Dom.* *pag.* 191.

Lectio ij. v. 3. *ad* 11.

ET dixit Dóminus ad satan: Numquid considerásti servum meum Job, quòd non sit ei símilis in terra, vir simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo, & adhuc rétinens innocéntiam? Tu autem commovísti me advérsùs eum, ut afflígerem eum frustrà. Cui respóndens satan, ait: Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua: alióquin mitte manum tuam, & tange os ejus & carnem; & tunc vidébis quòd in fáciem benedícat tibi. Dixit ergo Dóminus ad satan: Ecce in manu tua est, verúmtamen ánimã illíus serva. Egréssus ígitur satan à fácie Dómini, percússit Job úlcere péssimo, à planta pedis usque ad vérticem ejus: qui testâ sániem radébat, sedens in sterquilinio. Dixit autem illi uxor sua: Adhuc tu pérmanes in simplicitáte tua? bénedic Deo, & mórere. Qui ait ad illam: Quasi una de stultis

mulieribus locuta es: si bona suscépimus de manu Dei, mala quare non suscipiámus? In ómnibus his non peccávit Job lábiis suis.

℟. Benedíctio, pag. 192.

Lectio iij. v. 11. ad finem.

IGitur audiéntes tres amíci Job omne malum quod accidísset ei, venérunt sínguli de loco suo, Eliphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes. Condíxerant enim, ut páriter veniéntes, visitárent eum, & consolaréntur. Cùmque eleváßent procul óculos suos, non cognovérunt eum; & exclamántes plora-vérunt, scissísque véstibus sparsérunt púlverem super caput suum in cœlum. Et sedérunt cum eo in terra septem diébus & septem nóctibus, & nemo loquebátur ei verbum; vidébant enim dolórem esse veheméntem.

℟. Surréxit. pag. 192.

CANON

Ex Concílio Toletáno.

An. 589. C. 23.

EXterminánda est omníno irreligiósa consuetúdo, quam vulgus per Sanctórum solemnitátes ágere consuévit; ut pópuli qui debent divína offícia atténdere, saltatiónibus & túrpibus invígilent cánticis, non solùm sibi nocéntes, sed & Religiosórum offíciis obstrepéntes. Hoc étenim, ut depellátur, Sacerdótum & Júdicum à Concílio sancto curæ commíttitur.

FERIA TERTIA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 11.

POst hæc apéruit Job os suum: & maledíxit diéi suo, & locútus est. Péreat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est: Concéptus est homo. Dies ille vertátur in ténebras; non requírat eum Deus désuper, & non illustrétur lúmine. Obscúrent eum ténebræ, & umbra mortis; óccupet eum calígo, & involvátur amaritúdine. Noctem illam tenebrósus turbo possídeat, non computétur in diébus anni, nec numerétur in ménsibus. Sit nox illa solitária, nec laude digna: maledícant ei qui maledícunt diéi, qui paráti sunt suscitáre Levíathan. Obtenebréntur stellæ calígine ejus: expéctet lucem, & non vídeat, nec ortum surgéntis auróræ; quia non conclúsit óstia ventris qui portávit me, nec ábstulit mala ab óculis meis.

℟. Scio, ex 2. Noct. Dom. pag. 193.

Lectio ij. Cap. 4. v. 1. ad 10.

REspóndens autem Eliphaz Themanítes, dixit: Si cœpérimus loqui tibi, fórsitan moléstè accípies; sed concéptum sermónem tenére quis póterit? Ecce docuísti multos, & manus lassas roborásti: vacillántes confirmavérunt sermónes tui, & génua treméntia confortásti;

nunc autem venit super te plaga, & defecisti: tetigit te, & conturbatus es. Ubi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua, & perfectio viarum tuarum? Recordare, obsecro te, quis umquam innocens periit? aut quando recti deleti sunt? Quia pótius vidi eos, qui operantur iniquitátem, & séminant dolóres, & metunt eos, flante Deo periisse, & spíritu iræ ejus esse consúmptos.

℟. Ecce, *pag.* 193.

Lectio iij. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 11.

RESpóndens autem Job, dixit: Utinam appenderéntur peccáta mea, quibus iram mérui, & calámitas, quam pátior, in statéra. Quasi aréna maris hæc grávior apparéret: unde & verba mea dolóre sunt plena; quia sagíttæ Dómini in me sunt, quarum indignátio ébibit spíritum meum, & terróres Dómini mílitant contra me. Numquid rúgiet ónager, cùm habúerit herbā? aut múgiet bos cùm ante præsepe plenum stéterit? aut póterit cómedi insúlsum, quod non est sale condítum? aut potest aliquis gustáre, quod gustátum affert mortem? Quæ priùs nolébat tángere ánima mea, nunc præ angústia, cibi mei sunt. Quis det, ut véniat petítio mea, & quod expécto, tríbuat mihi Deus? Et qui cœpit, ipse me cónterat: solvat manum suā, & succídat me? Et hæc mihi sit consolátio, ut affligens me dolóre, non parcat, nec contradicā sermónibus Sancti.

℟. Beatus, *pag.* 194.

CANON

Ex Concílio Rotomagénsi.

An. 1581.

CEssent in Ecclésiis fraternitátum & societátū convívia; cessent confabulatiónes quælibet: cessent vana, & multo pótiùs fœda & profána collóquia: eo nec libri, nisi oratiónis & pietátis ergo, nec ália nisi sancta inferántur.

FERIA QUARTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 8.

REspóndens autem Baldad Suhítes, dixit: Usquequò loquéris tália, & spíritus múltiplex sermónes oris tui? Numquid Deus supplántat judícium? aut Omnípotens súbvertit quod justum est? Etiam si fílii tui peccavérunt ei, & dimísit eos in manu iniquitátis suæ; tu tamen si dilúculo consurréxeris ad Deum, & Omnipoténtem fúeris deprecátus: si mundus & rectus incésseris, statim evigilábit ad te, & pacátum reddet habitáculum justítiæ tuæ; in tantùm, ut si prióra tua fúerint parva, & novíssima tua multiplicéntur nimis.

℟. Absit, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 194.

Lectio ij. Cap. 9. *v.* 1. *ad* 11.

ET respóndens Job, ait: Verè scio quòd ita sit, & quòd non justificétur ho-

mo compósitus Deo. Si voluérit conténdere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem hábuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi quos subvértit in furóre suo. Qui commovet terram de loco suo, & colúmnæ ejus concutiúntur. Qui præcipit soli, & non oritur; & stellas claudit quasi sub signáculo: qui exténdit cœlos solus, & gráditur super fluctus maris. Qui facit Arctúrum, & Orióna, & Hyadas & interióra Austri. Qui facit magna, & incomprehensibília, & mirabília quorũ non est númerus.

℟. Duo, pag. 195.

Lectio iij. v. 11. ad 21.

SI vénerit ad me, non vidébo eum; si abíerit, non intélligam. Si repentè intérroget, quis respondébit ei? vel quis dícere potest: Cur ita facis? Deus, cujus iræ nemo resístere potest, & sub quo curvántur qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respóndeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui étiam si habúero quíppiam justum, non respondebo, sed meum júdicem deprecábor. Et cùm invocántem exaudíerit me, non credo quòd audíerit vocem meam. In túrbine enim cónteret me, & multiplicábit vúlnera mea étiam sine causa. Non concédit requiéscere spíritum meum, & implet me amaritudínibus. Si fortitudo quæritur, robustíssimus est: si æquitas judícii, nemo audet pro me testimónium dícere. Si justificare me volúero, os meum condemnábit me: si innocentem ostendero, pravum me comprobabit.

℟. Quid, pag. 195.

CANON

Ex Concilio Aquileiensi.

An. 1596. Can. 14.

TEmpus diéi Festi in audiéndis Concionibus, Missæ sacro, & divínis Offíciis ponendum est, non in commessatiónibus: multò minùs, perácto prándio, ad saltatiónes & lusus declinándum.

FERIA QUINTA.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 11. v. 1. ad 11.

REspóndens autem Sophar Naamathítes, dixit: Numquid qui multa lóquitur, non & audiet? aut vir verbósus justificabitur? Tibi soli tacébunt hómines? Et cum cæteros irríseris, à nullo confutabéris? Dixísti enim: Purus est sermo meus, & mundus sum in conspectu tuo. Atque útinam Deus loquerétur tecum, & aperíret lábia sua tibi; ut osténderet tibi secréta sapiéntiæ, & quòd múltiplex esset lex ejus: & intellígeres quòd multò minora exigáris ab eo, quàm merétur iníquitas tua. Forsitan vestígia Dei compre-

hendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Longior terrà mensura ejus, & latior mari. Si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit, quis contradicet ei?

℟. Beatus, ex 1. Noct. Dom. pag. 191.

Lectio iij. Cap. 12. v. 1. ad 11.

Respondens autem Job, dixit: Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? Et mihi est cor, sicut & vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis, ignórat? Qui deridétur ab amico suo sicut ego, invocábit Deum, & exáudiet eum: deridétur enim justi simplícitas. Lampas contémpta apud cogitatiónes dívitum, parata ad tempus statútum. Abundant tabernácula prædonum, & audácter provocant Deum, cum ipse déderit ómnia in manus eorum. Nimirum intérroga juménta, & docébunt te: & volatília cœli, & indicabunt tibi. Lóquere terræ, & respondebit tibi: & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod ómnia hæc manus Domini fecerit? In cujus manu ánima omnis vivéntis, & spiritus univérsæ carnis hóminis.

℟. Benedíctio, pag. 192.

Lectio iiij. Cap. 13. v. 6. ad 17.

Audíte ergo correptiónem meam, & judícium labiorum meórum atténdite. Numquid Deus indiget vestro mendácio, ut pro illo loquamini dolos? Numquid faciem ejus accípitis, & pro Deo judicare nitimini? Aut placebit ei quem celare nihil potest? Aut decipietur ut homo, vestris frauduléntiis? Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem ejus accípitis. Statim ut se commóverit, turbabit vos; & terror ejus irruet super vos. Memória vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum cervíces vestræ. Tacete paulisper, ut loquar quodcúmque mihi mens suggésserit. Quare lácero carnes meas déntibus meis, & ánimam meam porto in mánibus meis? Etiamsi occíderit me, in ipso sperabo: verúmtamen vias meas in conspectu ejus árguam. Et ipse erit Salvátor meus: non enim véniet in conspéctu ejus omnis hypócrita.

℟. Surréxit, pag. 192.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 25. de Invoc. Ss.

Omnis superstítio in Sanctórum invocatione, Reliquiárum veneratióne, & imáginum sacro usu tollátur; omnis turpis quæstus eliminétur; omnis denique lascívia vitétur; ita ut procáci venustáte imágines non pingántur, nec ornéntur; & Sanctórum celebratióne, ac Reliquiárum visitatióne,

hómines ad commessatiónes atque ebrietátes non abutántur; quasi festi dies in honórem Sanctórum per luxum & lascíviam agántur.

FERIA SEXTA.
De libro Job.

Lectio j. Cap. 32. v. 1. ad 10.

OMisérunt autem tres viri isti respondére Job, eò quòd justus sibi viderétur. Et irátus, indignatúsque est Eliu fílius Bárachel Buzítes, de cognatióne Ram: irátus est autem advérsùm Job, eò quòd justum se esse díceret coram Deo. Porrò advérsùm amícos ejus indignátus est, eò quòd non inveníssent respónsiónem rationábilem, sed tantúmmodò condemnássent Job. Igitur Eliu expectávit Job loquéntem: eò quòd senióres essent qui loquebántur. Cùm autem vidísset quòd tres respondére non potuíssent, irátus est veheménter. Respondénsque Eliu fílius Bárachel Buzítes, dixit: Júnior sum témpore, vos autem antiquióres, idcírco demísso cápite, véritus sum vobis indicáre meam senténtiam. Sperábam enim quòd ætas prolíxior loquerétur, & annórum multitúdo docéret sapiéntiam. Sed, ut vídeo, spíritus est in homínibus, & inspirátio Omnipoténtis dat intelligéntiā. Non sunt longævi sapiéntes, nec senes intélligunt judícium.

℟. Scio, *ex 2. Noct. Dom.* *pag.* 193.

Lectio ij. Cap. 36. v. 1. ad 12.

ADdens quoque Eliu, hæc locútus est: Sústine me paululum, & indicábo tibi; adhuc enim hábeo quod pro Deo loquar. Répetam sciéntiam meam à princípio, & operatórem meum probábo justum. Verè enim absque mendácio sermónes mei, & perfécta sciéntia probábitur tibi. Deus poténtes non ábjicit, cùm & ipse sit potens. Sed non salvat ímpios, & judícium paupéribus tríbuit. Non áuferet à justo óculos suos, & reges in sólio cóllocat in perpétuum, & illi erigúntur. Et si fúerint in catténis, & vinciántur fúnibus paupertátis, indicábit eis ópera eórum, & scélera eórum, quia violénti fuérunt. Revelábit quoque aurem eórum, ut corrípiat: & loquétur, ut revertántur ab iniquitáte. Si audíerint, & observáverint, complébunt dies suos in bono, & annos suos in glória.

℟. Ecce, *pag.* 193.

Lectio iij. Cap. 38. v. 1. ad 12.

REspóndens autem Dóminus Job de túrbine, dixit: Quis est iste invólvens senténtias sermónibus imperítis? Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogábo te, & respónde mihi. Ubi eras quando ponébam fundaménta terræ? Indica mihi, si habes intelligéntiam. Quis pósuit mensúras ejus, si nosti? vel quis teténdit super eam líneam? Super quo ba-

ses illius solidátæ sunt ? aut quis demísit lápidem anguláɾem ejus, cùm me laudárent simul astra matutína, & jubilarent omnes filii Dei? Quis conclúsit óstiis mare, quando erumpébat quasi de vulva procédens: cùm pónerem nubem vestiméntum ejus, & calígine illud quasi pannis infántiæ obvólverem ? Circúmdedi illud términis meis, & pósui vectem, & óstia, & dixi: Usque huc vénies, & non procédes ámpliùs, & hic confrínges tuméntes fluctus tuos..

℟. Beátus, pag. 194.

C A N O N

Ex Concílio Burdigalénsi.

An. 1583. Tit. 6.

MAgistrátus omnes pro sui nostríque officii ratióne, quoad póssumus, adhortámur, ut quod in ipsis máximè situm est, sacros dies ac solémnes piè sanctèque celebrári curent: tabérnas aperíri prohíbeant: & quo témpore Divínum Officium explétur, aut Conciónes habéntur, otiósam & vagam turbam... pœnis propósitis, rebus sacris interésse propéllant.

S A B B A T O.

De libro Job.

Lectio j. Cap. 42. v. 1. ad 9.

RÉspóndens autem Job Dómino, dixit: Scio quia ómnia potes, & nulla te latet cogitátio. Quis est iste, qui celat consílium absque sciéntia? Ideò insipiénter locútus sum, & quæ ultra modum excéderent sciéntiam meam. Audi, & ego loquar: interrogábo te, & respónde mihi. Audítu auris audívi te, nunc autem óculus meus videt te. Idcírco ipse me reprehéndo, & ago pœniténtiam in favílla & cínere. Postquam autem locútus est Dóminus verba hæc ad Job, dixit ad Eliphaz Themanítem: Irátus est furor meus in te, & in duos amícos tuos; quóniam non estis locúti coram me rectum, sicut servus meus Job. Súmite ergo vobis septem tauros, & septem aríetes, & ite ad servum meum Job, & offérte holocáustum pro vobis: Job autem servus meus orábit pro vobis: fáciem ejus suscípiam ut non vobis imputétur stultítia, neque enim locúti estis ad me recta, sicut servus meus Job.

Lectio ij. v. 9. ad 12.

ABiérunt ergo Eliphaz Themanítes, & Baldad Suhítes, & Sophar Naamathítes, & fecérunt sicut locútus fúerat Dóminus ad eos, & suscépit Dóminus fáciem Job. Dóminus quoque convérsus est ad pœniténtiam Job, cùm oráret ille pro amícis suis. Et áddidit Dóminus ómnia quæcúmque fúerant Job, duplícia. Venérunt autem ad eum omnes fratres sui, & univérsæ soróres suæ, & cuncti qui nóverant eum priùs, & come-

dérunt cum eo panem in domo ejus : & movérunt super eum caput, & consoláti sunt eum super omni malo quod intúlerat Dóminus super eum; & dedérunt ei unusquísque ovem unam, & ináurem áuream unam.

Lectio iij. v. 12. usque ad finem.

DOminus autem benedíxit novíssimis Job magis quàm princípio ejus. Et facta sunt ei quatuórdecim míllia óvium, & sex míllia camelórum, & mille juga boum, & mille ásinæ. Et fuérunt ei septem fílii, & tres fíliæ. Et vocávit nomen uníus Diem ; & nomen secúndæ, Cássiam; & nomen tértiæ, Cornustíbii. Non sunt autem invéntæ mulíeres speciósæ sicut fíliæ Job in univérsa terra : dedítque eis pater suus hæreditatem inter fratres eárum. Vixit autem Job post hæc, centum quadragínta annis, & vidit fílios suos, & fílios filiórum suórum usque ad quartam generatiónem ; & mórtuus est senex, & plenus diérum.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 25. de Reliq. & Invocat. Sanct.

STátuit sancta Synodus, némini licére ullo in loco, vel Ecclésiâ, étiam quomodólibet exémptâ, ullam insólitam pónere, vel ponéndam curáre imáginem, nisi ab Epíscopo approbáta fúerit; nulla étiam admitténda esse nova miracula, nec novas Relíquias recipiéndas, nisi eódem recognoscénte & approbánte Epíscopo.

Ad Magnif. Ant. t. 2. D. Cóntigit ut Tobías fíeret cæcus: hanc autem tentatiónem ídeò permísit Dóminus eveníre illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job. *Tob.* 2. 10. 11. 12.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Tobíæ.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 9.

TObías ex tribu & civitáte Néphthali quæ est in superióribus Galilææ supra Naásson, post viam quæ ducit ad Occidéntem, in sinístro habens civitátem Sephet cùm captus esset in diébus Salmánasar regis Assyriórum, in captivitáte tamen pósitus, viam veritátis non deséruit; ita ut ómnia, quæ habére póterat, quotídie concaptívis frátribus, qui erant ex ejus génere, impertíret. Cùmque esset júnior ómnibus in tribu Néphthali, nihil tamen pueríle gessit in ópere. Dénique cùm irent omnes ad vítulos áureos, quos Jeróboam fécerat rex Israel, hic solus fugiébat consórtia ómnium ; sed pergébat in Jerúsalem ad templum Dómini, & ibi adorábat Dóminum Deum Israel, ómnia

primitíva sua, & décimas suas fidéliter ófferens; ita ut in tértio anno proſélytis & ádvenis miniſtráret omnem decimatiónem. Hæc & his ſimília ſecúndum legem Dei puérulus obſervábat.

℟. Filii Iſrael, aſpícite quæ fecit nobíſcum Deus, & cum timóre & tremóre confitémini illi, Regémque ſæculórum exaltáte in opéribus veſtris. * Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi. ℣. Qui in hoc ſervit, placet Deo, & probá[illegible] eſt homínibus. * Ego. *Tob.* 13. 6. 7. *Rom.* 14. 18.

Lectio ij. v. 9. ad 15.

CUm verò factus eſſet vir, accépit uxórem Annam de tribu ſua; genuítque ex ea fílium, nomen ſuum impónens ei, quem ab infántia timére Deum dócuit, & abſtinére ab omni peccáto. Igitur, cùm per captivitátem devenìſſet cum uxóre ſua, & fílio in civitátem Níniven cum omni tribu ſua: (cùm omnes éderent ex cibis Gentílium) ille cuſtodívit ánimam ſuam, & numquam contaminátus eſt in eſcis eórum. Et quóniam memor fuit Dómini in toto corde ſuo, dedit illi Deus grátiam in conſpéctu Salmánaſar regis; & dedit illi poteſtátem quòcúmque vellet ire, habens libertátem quæcúmque fácere voluíſſet.

℟. Filii Sanctórum ſumus, & vitam illam expectámus * Quam Deus datúrus eſt his, qui fidem ſuam numquam mutant ab eo. ℣. Scimus, quóniam ſi terréſtris domus noſtra hujus habitatiónis diſſolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cœlis. * Quam. *Tob.* 2. 18. 2. *Cor.* 5. 1.

Lectio iij. v. 15. *ad* 21.

PErgébat ergo ad omnes, qui erant in captivitáte, & mónita ſalútis dabat eis. Cùm autem veníſſet in Rages civitátem Medórum, & ex his, quibus honorátus fúerat à rege, habuíſſet decem talénta argénti: & cùm in multa turba géneris ſui Gabélum egéntem vidéret, qui erat ex tribu ejus, ſub chirógrapho dedit illi memorátum pondus argénti. Poſt multum verò témporis, mórtuo Salmánaſar rege, cùm regnáret Sennácherib fílius ejus pro eo, & fílios Iſrael exóſos habéret in conſpéctu ſuo: Tobías quotídie pergébat per omnem cognatiónem ſuam, & conſolabátur eos, dividebátque unicuíque, prout póterat, de facultátibus ſuis; eſuriéntes alébat, nudíſque veſtiménta præbébat, & mórtuis atque occíſis ſepultúram ſollícitus exhibébat.

℟. Quando orábas cum lácrymis, & ſepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino: &

quia accéptus eras Deo: * Necésse fuit ut tentátio probáret te. ℣. Ut probátio fidei multò pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, & glóriam, & honórem; * Necésse. Glória. * Necésse. Tob. 12. 12. 13. 1. Petr. 1. 7.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Tobía.

Lectio iv. Cap. 1.

LEcto Prophético libro qui inscríbitur, Tobías, quamvis plenè vobis virtútes sancti Prophétæ Scriptúra insinuáverit, tamen compendiário mihi sermóne, de ejus méritis recenséndis & opéribus, apud vos uténdum árbitror; ut ea quæ Scriptúra históríco more digéssit látiùs, nos strictiùs comprehendámus, virtútum ejus génera, velut quodam breviário colligéntes. Fuit Tobías vir justus, misericors, hospitális; & hoc virtútum præditus choro, súbiit ærúmnam captivitátis quam ferébat humíliter atque patiénter, commúnem magis injúriam, quàm privátam dolens; nec sibi virtú.um suffrágia nihil profuísse deplórans, sed magis eam sibi contumáliam minórem peccatórum suórum prétio illátam arbitrátus. Méruit edíctum, ne quis ex fíliis captivitátis mórtuũ sepultúræ daret.

℟. Justus es, Dómine, & ómnia judícia tua justa sunt.* Quóniam non obedívimus præcéptis tuis, ídeò tráditi sumus in captivitátem: & nunc, Dómine, secúndùm voluntátem tuam fac mecum. ℣. Ob quam causam hæc pátior, sed non confúndor. * Quóniam. Tob. 3. 2. 4. 6. 2. Tim. 1. 12.

Lectio v.

AT ille interdícto non revocabátur magis quàm incitabátur, ne desérere offícium pietátis, mortis metu viderétur; erat enim misericórdiæ prétium mortis pœna. Talis flagítii depreh énsus reus, vix tandem per amícum pótuit, dirépto património, egénus & exul restítui suis. Iterum in his versabátur officiis: & si quid aliménti foret, peregrínum cum quo súmeret cibum, quærébat. Itaque cùm fessus à sepultúræ revertísset múnere, appósitis sibi edéndi subsídiis, misso fílio, quærébat consórtem convívii. Dum convíva accérsitur, nuntiántis insepúlti córporis relíquiis, convívium deserébat: nec putábat pium ut ipse cibum súmeret, cùm in público corpus jacéret exánime. Hoc illi quotidiánum opus, & magnum.

℟. Audíte, fílii mei, patrem vestrum: Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi: * Et fíliis vestris mandáte ut fáciant justítias & eleemósynas, ut sint mem-

mores Dei. ℣. Date eleemósynam: fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis. * Et filiis. *Tob.* 14. 10. 11. *Luc.* 12. 33.

Lectio vj. Cap. 2.

TAm sancto fessus offício Prophéta, dum requiéscit juxta paríetem aulæ, cadénte de pásserum nido stércore, albúgine cæcitátem íncidit; nec conquéstus ingémuit, nec dixit: Hæc merces labórum meórum? Fraudári magis se dóluit obsequiórum, quàm oculórum múnere; nec cæcitátem pœnam, sed impediméntum putábat. Et cùm victum mercéde leváret cónjugis, ne quid furtívum domum suam intráret, cavébat. Dénique plus honestáti quam necessitáti cónsulens, cui sua déerant, commodáverat próximo suo pecúniam quamdam, quam toto vitæ suæ témpore in tanta indigéntia non repopóscit. Vix ubi se fessum vidit, & depósitum senectúte, insinuávit fílio, non tam cúpiens commodátum repóscere, quàm sollícitus ne fraudáret hærédem. Quòd ígitur commodávit pecúniam & non fœnerávit, justi servávit offícium.

℟. Non est in hóminis potestáte consílium tuum, * Dómine; hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur: † Quia post fletum, exultatiónem infúndis. ℣. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam cùm probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. * Dómine. Glória. † Quia. *Tob.* 3. 20. 21. 22. *Jac.* 1. 12.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 7. v. 11.

IN illo témpore; Ibat Jesus in civitátem quæ vocátur Naïm; & ibant cum eo discípuli ejus, & turba copiósa. Cùm autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 98. de verbis Evangelii aliàs 44. Cap. 4.

VIdeámus quid Christus nos díscere vóluit in tribus mórtuis quos suscitávit. Resuscitávit fíliam mórtuam Archisynagógi, ad quam ægrotántem petebátur, ut eam de ægritúdine liberáret.... Excitávit & hunc júvenem víduæ fílium, de quo nunc admóniti sumus, ut hinc ista quæ ipse largíri dignátur, cum vestra charitáte loquerémur. Modò audístis quómodo excitátus est. Appropinquábat Dóminus civitáti: & ecce efferebátur mórtuus jam extra portam. Misericórdiâ commótus quòd flebat mater vídua, & destitúta único fílio, fecit quod

audístis, dicens: Adoléscens, tibi dico, Surge. Surréxit ille mórtuus, cœpit loqui; & réddidit illum matri suæ. Excitávit & Lázarum de sepúlchro.

℟. Magnus es, Dómine, in ætérnum, & in ómnia sæcula: quóniam dedúcis ad ínferos & redúcis: * Confitémini Dómino, filii Israel, & in conspéctu géntium laudáte eum. ℣. Cum essémus mórtui peccátis convivificávit nos Deus in Christo, cujus grátiâ estis salváti. * Confitemini. *Tob.* 13. 1. 2. 3. *Ephes.* 2. 5.

Lectio viij. Cap. 5.

Ista tria génera mortuórum, sunt tria génera peccatórum, quos hodieque suscitat Christus. Illa enim mórtua fília Archisynagógi intùs erat in domo; nondum erat de secrétis pariétibus eláta in públicum. Ibi intùs suscitáta est, viva paréntibus réddita. Iste autem jam quidem non in domo, sed tamen nondum in sepúlchro; pariétibus elátus erat, terræ mandátus non erat. Qui suscitávit mórtuam nondum elátam, suscitávit mórtuum jam elátum, nondum sepúltum. Tértium restábat, ut & sepúltum suscitáret: & hoc fecit in Lázaro.

℟. Tuus, Dómine, sermo sanat ómnia: * Tu es enim qui vitæ & mortis habes potestátem, & dedúcis ad portas mortis, & redúcis. ℣. Beátus & solus potens, Rex regum, & Dóminus dominántium, * Tu es enim. *Sap.* 16. 12. 13. 1. *Tim.* 6. 15.

Lectio ix.

Sunt ergo qui peccátum intùs in corde habent, in facto nondum habent... Alii post consénsum eunt in factum, tamquam efferéntes mórtuum; ut quod latébat in secréto, appáreat in público. Numquid jam isti, quia in factum processérunt, desperáti sunt? Nonne & illi júveni dictum est: Tibi dico, Surge? Nonne & ille rédditus est matri suæ? Sic ergo & qui jam fécerit, si fortè commonitus & commótus verbo veritátis ad Christi vocem resúrgit, vivus rédditur. Pótuit ad tempus prógredi, in ætérnum períre non pótuit. Qui autem faciéndo quod malum est, étiam malâ consuetúdine se implicant ut ipsa consuetúdo mali non eos sinat vidére quia malum est, fiunt defensóres malórum factórum suórum. Tales consuetúdine malignâ pressi, tamquam sepúlti sunt.

℟. Qui fáciunt peccátum, & iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. * Converímini ítaque, peccatóres, & fácite justítiam coram Deo: credéntes † Quòd fáciat vobíscum misericórdiam suam. ℣. Si confiteámur peccáta nostra; fidélis est, & justus,

ut remíttat nobis peccáta nostra, & emúndet nos ab omni iniquitáte. * Convértímini. Glória. ✝ Quòd fáciat. *Tob.* 12. 10. & 13. 8. 1. *Joan.* 1. 9.

Ad Bened. *Ant.* t. 7. *C.* Resédit qui erat mórtuus, & cœpit loqui; & dedit illum matri suæ. *Luc.* 7. 15.

Oratio.

Ecclésiæ tuæ, Dómine, lácrymas & preces benígnus exáudi; ut quæ de suórum contristátur spirituáli morte filiórum, de eórum ad grátiæ vitam resurrectióne lætétur; Per, &c.

CANON.

Ex Concílio Lateranénsi quarto.

An. 1215. *Can.* 62.

Statúimus ut antíquæ Relíquiæ ámodò extra capsam non ostendántur; nec exponántur venáles. Prælati verò non permittant illos qui ad eórum Ecclésias, causâ veneratiónis, accédunt, vanis figméntis, aut falsis décipi documéntis.

Ad Magnif. *Ant.* t. 6. *f.* Accépit omnes timor; & magnificábant Deum, dicéntes: Quia Prophéta magnus surréxit in nobis. *Luc.* 7. 16.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 8.

Post hæc verò, cùm esset dies festus Dómini, & factum esset prándium bonum in domo Tobíæ, dixit fílio suo: Vade, & adduc áliquos de tribu nostra, timéntes Deum, ut epuléntur nobíscum. Cùmque abiísset, revérsus nuntiávit ei unum ex fíliis Israel jugulátum jacére in platéa. Statímque exíliens de accúbitu suo, relínquens prándium, jejúnus pervénit ad corpus; tolléns que illud portávit ad domum suam occúltè, ut, dum sol occubuísset, cautè sepelíret eum. Cùmque occultásset corpus, manducávit panem cum luctu & tremóre, mémorans illum sermónem, quem dixit Dóminus per Amos Prophétam: Dies festi vestri converténtur in lamentatiónem & luctum. Cùm verò sol occubuísset, ábiit, & sepelívit eum.

℟. Fílii Israel, *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 204.

Lectio ij. v. 8. *ad* 13.

Arguébant autem eum omnes próximi ejus, dicéntes: Jam hujus rei causâ intérfici jussus es, & vix effugísti mortis impérium, & íterum sépelis mórtuos? Sed Tobías plus timens Deũ, quàm regem, rapiébat córpora occisórum, & occultábat in domo sua, & médiis nóctibus sepeliébat ea: Cóntigit autem ut quâdam die fatigátus à sepultúra, véniens in domum suam, jactásset se juxta paríetem, & obdormísset,

obdormísset, & ex nido hirúndinum dormiénti illi cálida stércora incíderent super óculos ejus, fierétque cæcus. Hanc autem tentatiónem ideò permísit Dóminus evenire illi, ut pósteris darétur exémplum patiéntiæ ejus, sicut & sancti Job.

℟. Filii sanctórum, *pag.* 204.

Lectio iij. v. 15. *ad finem.*

NAm sicut beáto Job insultábant reges, ita isti paréntes & cognáti ejus irridébant vitam ejus, dicéntes: Ubi est spes tua, pro qua eleemósynas & sepultúras faciébas? Tobías verò increpábat eos, dicens: Nolite ita loqui: quóniam filii sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam numquam mutant ab eo. Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrínum quotídie, & de labóre mánuum suárum victum, quem cónsequi póterat, deferébat. Unde factum est, ut hœdum caprárum accípiens detulísset domi; cujus cùm vocem balántis vir ejus audísset, dixit: Vidéte, ne fortè furtívus sit, réddite eum dóminis suis; quia non licet nobis aut édere ex furto áliquid, aut contíngere. Ad hæc uxor ejus iráta, respóndit: Manifésté vana facta est spes tua, & eleemósynæ tuæ modò apparuérunt. Atque his & áliis hujuscémodi verbis exprobrábat ei.

℟. Quando, *pag.* 204.

CANON

Ex Concílio Ravennénsi.

An. 1311. *Can.* 5.

SAnctórum Relíquiæ de quibus nulla certitúdo potest habéri, in altáribus vel álibi, sicut visum fúerit, recondántur, nec de cætero pópulis exponántur.

FERIA TERTIA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

TUnc Tobías ingémuit, & cœpit oráre cum lácrymis, dicens: Justus es, Dómine, & ómnia judícia tua justa sunt, & omnes viæ tuæ, misericórdia, & véritas, & judícium. Et nunc, Dómine, memor esto mei, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. Quóniam non obedívimus præcéptis tuis, ídeò tradíti sumus in direptiónem, & captivitátem, & mortem, & in fábulam, & in impropérium ómnibus natiónibus, in quibus dispersísti nos. Et nunc, Dómine, magna judícia tua, quia non égimus secúndùm præcépta tua, & non ambulávimus sincériter coram te. Et nunc, Dómine, secúndùm voluntátem tuam fac mecum, & præcipe in pace récipi spíritum meum: éxpedit enim mihi mori magis quàm vívere.

℟. Justus, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 205.

Lectio ij. Cap. 4. v. 1. ad 8.

IGitur cùm Tobías putáret oratiónem suam exaudíri ut mori potuísset, vocávit ad se Tobíam fílium suum, dixítque ei: Audi, fili mi, verba oris mei, & ea in corde tuo quasi fundaméntum cónstrue. Cùm accéperit Deus ánimam meam, corpus meum sépeli; & honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ ejus: memor enim esse debes, quæ & quanta perícula passa sit propter te in útero suo. Cùm autem & ipsa compléverit tempus vitæ suæ, sepélias eam circa me. Omnibus autem diébus vitæ tuæ in mente habéto Deum; & cave ne aliquándo peccáto conséntias, & prætermíttas præcépta Dómini Dei nostri. Ex substántia tua fac eleemósynam, & noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere; ita enim fiet, ut nec à te avertátur fácies Dómini.

℟. Audíte, *pag.* 205.

Lectio iij. v. 16. ad finem.

QUod ab álio óderis fíeri tibi, vide ne tu aliquándo álteri fácias. Panem tuum cum esuriéntibus & egénis cómede, & de vestiméntis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum super sepultúram justi constítue, & noli ex eo manducáre & bíbere cum peccatóribus. Consílium semper à sapiénte perquíre. Omni témpore bénedic Deum; & pete ab eo, ut vias tuas dírigat, & ómnia consília tua in ipso permáneant. Indico étiam tibi, fili mi, dedísse me decem talénta argénti, dum adhuc infántulus esses, Gabélo, in Rages civitáte Medórum, & chirógraphum ejus apud me hábeo; & ídeò perquíre quómodo ad eum pervénias, & recípias ab eo suprà memorátum pondus argénti, & restítuas ei chirógraphum suum. Noli timére, fili mi; páuperem quidem vitam gérimus, sed multa bona habébimus si timuérimus Deum, & recessérimus ab omni peccáto, & fecérimus bene.

℟. Non est, *pag.* 206.

CANON

Ex Concílio Reménsi.

An. 1582. *Num.* 3.

PAúperes quibus ádeò ténues fuére facultátes, ut própriis impénsis humári néqueant, gratìs, & honéstè tamen sepéliant Paroeci, alióqui pœnas arbitrárias exsolutúri.

FERIA QUARTA.

De libro Tobiæ.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 9.

TUnc respóndit Tobías patri suo, & dixit: Omnia quæcúmque præcepísti mihi fáciam, pater. Quómodo autem pecúniam hanc requíram, ignóro. Ille me nescit, & ego eum ignóro: quod signum dabo ei? Sed neque viam per quam pergátur illuc, aliquándo co-

cognóvi. Tunc pater suus respóndit illi, & dixit: Chirógraphum quidem illíus penes me hábeo: quod dum illi osténderis, statim restítuet. Sed perge nunc, & inquíre tibi áliquem fidélem virum, qui eat tecum, salvâ mercéde suâ; ut, dum adhuc vivo, recípias eam. Tunc egréssus Tobías, invénit júvenem spléndidum, stantem præcínctum, & quasi parátū ad ambulándum. Et ignórans quòd Angelus Dei esset, salutávit eum, & dixit: Unde te habémus, bone júvenis? At ille respóndit: Ex filiis Israel. Et Tobías dixit ei: Nosti viam quæ ducit in regiónem Medórum? Cui respóndit: Novi: & ómnia itínera ejus frequénter ambulávi, & mansi apud Gabélum fratrem nostrum, qui morátur in Rages civitáte Medórum, quæ pósita est in monte Ecbátanis.

℟. Magnus, *ex 3. Noct. Dom. pag.* 207.

Lectio ij. Cap. 6. v. 1. ad 10.

PRoféctus est autem Tobías, & canis secútus est eum, & mansit primâ mansióne juxta flúvium Tigris. Et exívit ut laváret pedes suos; & ecce piscis immánis exívit ad devorándum eum. Quem expavéscens Tobías, clamávit voce magnâ, dicens: Dómine, invádit me. Et dixit ei Angelus: Apprehénde bránchiam ejus, & trahe eum ad te. Quod cùm fecísset, attráxit eum in siccum, & palpitáre cœpit ante pedes ejus. Tunc dixit ei Angelus: Exéntera hunc piscem; & cor ejus, & fel, & jecur repóne tibi; sunt enim hæc necessária ad medicaménta utíliter. Quod cùm fecisset, assávit carnes ejus, & secum tulérunt in via; cætera saliérunt, quæ sufficerent eis, quoúsque pervenírent in Rages civitáte Medórum. Tunc interrogávit Tobías Angelum, & dixit ei: Obsecro te, Azária frater, ut dicas mihi, quod remédium habébunt ista, quæ de pisce serváre jussísti? Et respóndens Angelus, dixit ei: Cordis ejus partículam si super carbónes ponas, fumus ejus extrícat omne genus dæmoniórum, sive à viro, sive à mulíere, ita ut ultrà non accédat ad eos. Et fel valet ad ungéndos óculos, in quibus fúerit albúgo, & sanabúntur.

℟. Tuus, *pag.* 207.

Lectio iij. v. 10. *ad* 18.

ET dixit ei Tobías: Ubi vis ut maneámus? Respondénsque Angelus, ait: Est hîc Ráguel nómine, vir propínquus de tribu tua, & hic habet filiam nómine Saram; sed neque másculum, neque fœminam ullam habet áliam præter eam. Tibi debétur omnis substántia ejus, & opórtet eam te accípere conjugem. Pete ergo eam à patre ejus, & dabit tibi eam in uxórem. Tunc respóndit

Tobías, & dixit: Audio quia trádita est septem viris, & mórtui sunt: sed & hoc audívi, quia dæmónium occídit illos. Tímeo ergò, ne fortè & mihi hæc evéniant: & cùm sim únicus paréntibus meis, depónam senectútem illórum cum tristítia ad ínferos. Tunc Angelus Ráphael dixit ei: Audi me, & osténdam tibi qui sunt, quibus prævalére potest dæmónium. Hi namque qui conjúgium ita suscípiunt, ut Deum à se & à sua mente exclúdant, & suæ libídini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intelléctus: habet potestátem dæmónium super eos.

℟. Qui fáciunt, *pag.* 207.

CANON

Ex Concílio Reménsi.

An. 1583. *Tit. de Sepult. Num.* 1. *&* 2.

PArœci in hanc Offícii sui partem diligénter incúmbant, ut piórum funera Christiánæ simplicitátis ac modéstiæ límites non excédant. Id autem fiet, si ipsi primùm mercéde consuétâ & honéstâ conténti; deínde supérfluas expénsas quæ propter ambitiónem & fastum fiunt, vel hærédibus relínqui, vel paupéribus erogári suádeant.

FERIA QUINTA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap 7. *v.* 1. *ad* 11.

INgréssi sunt ad Raguélē; & suscépit eos Ráguel cum gáudio. Intuénsque Tobíam Ráguel, dixit Annæ uxóri suæ: Quàm símilis est júvenis iste consobríno meo! Et cùm hæc dixísset, ait: Unde estis, júvenes fratres nostri? At illi dixérunt: Ex tribu Néphthali sumus, ex captivitáte Nínive. Dixítque illis Ráguel: Nostis Tobíam fratrem meum? Qui dixérunt: Nóvimus. Cùmque multa bona loquerétur de eo, dixit Angelus ad Raguélem: Tobías, de quo intérrogas, pater istíus est. Et misit se Ráguel, & cum lácrymis osculátus est eum; & plorans supra collum ejus, dixit: Benedíctio sit tibi, fili mi, quia boni & óptimi viri fílius es. Et Anna uxor ejus, & Sara ipsórum fília, lacrymátæ sunt. Postquam autem locúti sunt, præcépit Ráguel occídi aríetem, & parári convívium. Cùmque hortarétur eos discúmbere ad prándiū, Tobías dixit: Hîc ego hódie non manducábo, neque bibam, nisi priùs petitiónem meam confírmes, & promíttas mihi dare Sarā filiā tuam.

℟. Filii Israel, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 204.

Lectio ij. v. 13. *ad finem.*

TUnc dixit Ráguel: Non dúbito quòd Deus preces & lácrymas meas in conspéctu suo admíserit; & credo quóniam ídeò fecit vos veníre ad me, ut ista conjungerétur cognatióni suæ secúndùm legem Móysi; &

nunc noli dúbium gérere, quòd tibi eam tradam. Et apprehéndens déxteram fíliæ suæ, dextræ Tobíæ trádidit, dicens: Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Jacob vobíscum sit, & ipse conjúngat vos, impleátque benedictiónem suam in vobis. Et accéptâ chartâ, fecérunt conscriptiónem conjúgii. Et post hæc epulári sunt, benedicéntes Deum. Vocavítque Ráguel ad se Annam uxórem suam, & præcépit ei ut præparáret álterum cubículum. Et introdúxit illuc Saram fíliam suam, & lacrymáta est. Dixítque ei: Forti ánimo esto, fília mea: Dóminus cœli det tibi gáudium pro tædio quod perpéssa es.

℟. Filii sanctórum, *pag.* 204.

Lectio ij. Cap. 8. v. 4. ad 11.

TUnc hortátus est vírginem Tobías, dixítque ei: Sara, exúrge, & deprecémur Deum hódie, & cras, & secúndum cras; quia his tribus nóctibus Deo júngimur; tértiâ autem transáctâ nocte, in nostro érimus conjúgio: filii quippe sanctórum sumus, & non póssumus ita conjúngi, sicut gentes quæ ignórant Deum. Surgéntes autem páriter, instánter orábant ambo simul, ut sánitas darétur eis. Dixítque Tobías: Dómine Deus patrum nostrórum, benedícant te cœli & terræ, mareque & fontes, & flúmina, & omnes creatúræ tuæ quæ in eis sunt. Tu fecísti Adam de limo terræ, dedistíque ei adjutórium Evam. Et nunc, Dómine, tu scis, quia non luxúriæ causâ accípio sorórem meam cónjugem, sed solâ posteritátis dilectióne, in qua benedicátur nomen tuũ in sæcula sæculórum. Dixit quoque Sara: Miserére nobis, Dómine, miserére nobis, & consenescámus ambo páriter sani.

℟. Quando, *pag.* 204.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi.

An. 1536. *Part.* 7. *C.* 29.

CAvénda summópere post exéquias delicáta convívia, crápulæ ac commessatiónes, ne Deus placándus magis irritétur.

FERIA SEXTA.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 9. v. 1. ad 8.

TUnc vocávit Tobías Angelum ad se, quem quidem hóminem existimábat, dixítque ei: Azária frater, peto ut auscúltes verba mea. Si meípsum tradam tibi servum, non ero condígnus providéntiæ tuæ. Tamen óbsecro te, ut assúmas tibi animália sive servítia, & vadas ad Gabélum in Rages civitátem Medórum; reddásque ei chirógraphum suum, & recípias ab eo pecúniam, & roges eum veníre ad núptias meas. Scis enim ipse quóniam númerat pater meus dies; & si tardavero unâ die plus, contristátur ánima e-

jus. Et certè vides quómodo adjurávit me Ráguel, cujus adjuraméntum spérnere non possum. Tunc Ráphael assúmens quátuor ex servis Raguélis, & duos camélos, in Rages civitátem Medórum perréxit: & invéniens Gabélum, réddidit ei chirógraphum suum, & recépit ab eo omnem pecúniam. Indicavítque ei de Tobía filio Tobíæ, ómnia quæ gesta sunt; fecítque eum secum veníre ad núptias.

℟. Justus, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 205.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 7.

CUm verò moras fáceret Tobías, causâ nuptiárum, sollícitus erat pater ejus Tobías, dicens: Putas quare morátur fílius meus, aut quare deténtus est ibi? Putásne Gabélus mórtuus est, & nemo reddet illi pecúniam? Cœpit autem contristári nimis ipse, & Anna uxor ejus cum eo; & cœpérunt ambo simul flere, eò quòd die statúto mínimè reverterétur fílius eórum ad eos. Flebat ígitur mater ejus irremediabílibus lácrymis, atque dicébat: Heu, heu me, fili mi, ut quid te mísimus peregrinári, lumen oculórum nostrórum, báculum senectútis nostræ, solátium vitæ nostræ, spem posteritátis nostræ? Omnia simul in te uno habéntes, te non debúimus dimíttere à nobis. Cui dicébat Tobías: Tace, & noli turbári, sanus est fílius noster: satis fidélis est vir ille cum quo mísimus eum.

℟. Audíte, *pag.* 205.

Lectio iij. Cap. 11. *v.* 5. *ad* 16.

ANna autem sedébat secus viam quotídie in supercílio montis, unde respícere póterat de longínquo. Et dum ex eódem loco specularétur advéntum ejus, vidit à longè, & íllicò agnóvit veniéntem fílium suum; currénsque nuntiávit viro suo, dicens: Ecce venit fílius tuus. Dixítque Ráphael ad Tobíam: At ubi introíeris domum tuam, statim adóra Dóminum Deum tuum; & grátias agens ei, accéde ad patrem tuum, & osculáre eum. Statímque lini super óculos ejus ex felle isto piscis quod portas tecum: scias enim quóniam mox aperiéntur óculi ejus; & vidébit pater tuus lumen cœli, & in aspéctu tuo gaudébit. Tunc præcucúrrit canis qui simul fúerat in via; & quasi núntius advéniens, blandiménto suæ caudæ gaudébat. Et consúrgens cæcus pater ejus, cœpit offéndens pédibus cúrrere; & datâ manu púero, occúrrit óbviàm fílio suo: & suscípiens osculátus est eum cum uxóre sua, & cœpérunt ambo flere præ gáudio. Cùmque adoráSsent Deum, & grátias egíssent, consedérunt. Tunc sumens Tobías de felle piscis, linívit óculos

patris sui. Et sustínuit quasi dimídiam ferè horam: & cœpit albúgo ex óculis ejus, quasi membrána ovi, égredi: quam apprehéndens Tobías traxit ab óculis ejus, statímque visum recépit.

℟. Non est, *pag.* 206.

CANON

Ex Concílio Narbonénsi.

An. 1509. *Cap.* 24.

INtra Ecclésiam, & máximè prope altáre, non ita fácilè admittántur sepeliéndi, sed illi tantùm, quos aut dígnitas Ecclesiástica, aut nóbilis prosápia, aut virtútis laudábilis splendor commendárint: quòd si sepúlchra intra Ecclésiam constrúxerint, super soli planítiem non attollántur.

SABBATO.

De libro Tobíæ.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 6.

TUnc vocávit ad se Tobías fílium suum, dixítque ei: Quid póssumus dare viro isti sancto, qui venit tecum? Respóndens Tobías, dixit patri suo: Pater, quam mercédem dábimus ei? aut quid dignum póterit esse benefíciis ejus? Me duxit & redúxit sanum, pecúniam à Gabélo ipse recépit, uxórem ipse me habére fecit, & dæmónium ab ea ipse compéscuit, gáudium paréntibus ejus fecit, meípsum à devoratióne piscis erípuit, te quoque vidére fecit lumen cœli, & bonis ómnibus per eum repléti sumus. Quid illi ad hæc potérimus dignum dare? Sed peto te, pater mi, ut roges eum, si fortè dignábitur medietátem de ómnibus quæ allata sunt, sibi assúmere. Et vocántes eum, pater scílicet & fílius, tulérunt eum in partem, & rogáre cœpérunt, ut dignarétur dimídiam partem ómnium, quæ attúlerant, accéptam habére.

Lectio ij. v. 11. *ad* 21.

TUnc dixit eis occúltè: Maniféstò vobis veritátem, & non abscóndam à vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, & derelinquébas prándium tuum, & mórtuos abscondébas per diem in domo tua, & nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, & Saram uxórem fílii tui à dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum. Cùmque hæc audíssent, turbáti sunt, & treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis, nolíte timére. Etenim cùm essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, & cantáte illi. Videbar quidem vobíscum manducáre, & bíbere; sed ego cibo invisíbili,

& potu, qui ab homínibus vidéri non poteſt, utor. Tempus eſt ergo ut revértar ad eum qui me misit.

Lectio iij. Cap. 14. v. 5. ad 15.

IN hora autem mortis ſuæ vocávit ad ſe Tobíam filium ſuum, & ſeptem júvenes fílios ejus nepótes ſuos, dixítque eis: Propè erit intéritus Nínive; non enim éxcidit verbum Dómini: & fratres noſtri qui diſpérſi ſunt à terra Iſrael, reverténtur ad eam. Omnis autem deſérta terra ejus replébitur, & domus Dei, quæ in ea incénſa eſt, íterum reædificábitur; ibíque reverténtur omnes timéntes Deum, & relínquent gentes idola ſua, & vénient in Jeruſalem, & inhabitábunt in ea; & gaudébunt in ea omnes reges terræ, adorántes regem Iſrael. Audíte ergo, fílii mei, patrem veſtrum: Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita ſunt illi; & fíliis veſtris mandáte, ut fáciant juſtítias & eleemóſynas, ut ſint mémores Dei, & benedícant eum in omni témpore in veritáte, & in tota virtúte ſua. Nunc ergo, filii, audíte me, & nolíte manére hic; ſed quâcúmque die ſepeliéritis matrem veſtram circa me in uno ſepúlchro, ex eo dirígite greſſus veſtros ut exeátis hinc: vídeo enim quia iníquitas ejus finem dabit ei. Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ, Tobías abſcéſſit ex Nínive cum uxóre ſua, & fíliis, & filiórum fíliis, & revérſus eſt ad ſóceros ſuos.

CANON

Ex Concílio Mediolanénſi quarto.

An. 1576. *Part.* I. *Tit.* 14.

COemetéria, ut muro vel áliàs tutè úndique ſepiántur, & eórum ingréſſus béſtiis occludátur, curet Epíſcopus diligénter, in eórum médio Crux fírmiter eréсta ſit.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* Venit Aſſur in multitúdine fortitúdinis ſuæ. Dóminus autē omnípotens trádidit eū in manus fœminæ, & confódit eum. *Judith.* 16. 5. 7.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO,

Incipit liber Judith.

Lectio j. Cap. I. *v.* I. *ad* 6.

ARphaxad, rex Medórum, ſubjugáverat multas gentes império ſuo; & ipſe ædificávit civitátem potentíſſimam, quam appellávit Ecbátanis, ex lapídibus quadrátis & ſectis: fécit muros ejus in latitúdinē cubitórū ſeptuagínta, & in altitúdinē cubitórū trigínta, turres verò ejus póſuit in altitúdinem cubitórū centum. Per quadrum verò eárum latus utrúmque vicenórum pedum ſpátio tendebátur; poſuítque portas ejus in alti-

tudinem túrrium: & gloriabátur quasi potens in poténtia exércitûs sui, & in glória quadrigárum suárum. Anno ígitur duodécimo regni sui, Nabuchodónosor rex Assyriórum, qui regnábat in Nínive civitáte magna, pugnávit contra Arphaxad, & obtínuit eum.

℟. Dómine, qui confídunt in multitúdine sua, & in cúrribus suis, & in sagíttis suis gloriántur, * Nésciunt quia tu ipse es Deus noster, qui cónteris bella ab inítio, & Dóminus nomen est tibi. ℣. Evanuérunt in cogitatiónibus suis, & obscurátum est insípiens cor eórum. * Nésciunt. *Judith.* 9. 9. 10. *Rom.* 1. 21.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 7.

ANno tértio décimo Nabuchodónosor regis, vigésimâ & secúndâ die mensis primi, factum est verbum in domo Nabuchodónosor regis Assyriórum, ut defénderet se. Vocavítque omnes majóres natu, omnésque duces, & bellatóres suos, & hábuit cum eis mystérium consílii sui: dixítque cogitatiónem suam in eo esse, ut omnem terram suo subjugáret império. Quod dictum cùm placuísset ómnibus, vocávit Nabuchodónosor rex Holoférnem príncipem milítiæ suæ, & dixit ei: Egrédere advérsùs omne regnum Occidéntis, & contra eos præcípuè qui contempsérunt impérium meum. Non parcet óculus tuus ulli regno, omnémque urbem munítam subjugábis mihi.

℟. Non in multitúdine est virtus tua, Dómine, nec supérbi ab inítio placuérunt tibi: sed * Humílium & mansuetórum semper tibi plácuit deprecátio. ℣. Omnis qui se exáltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur. * Humílium. *Judith.* 9. 16. *Luc.* 18. 14.

Lectio iij. Cap. 4. *v.* 1. *ad* 8.

TUnc audiéntes hæc filii Israel, qui habitábant in terra Juda, timuérunt valdè à fácie ejus. Tremor & horror invásit sensus eórum, ne hoc fáceret Jerúsalem & templo Dómini, quod fécerat céteris civitátibus [illegible] plis eárum. Et mise[illegible] omnem Samaríam per [illegible] tum usque Jéricho, & præoccupavérunt omnes vértices móntium: & muris circumdedérunt vicos suos, & congregavérunt fruménta in præparatiónem pugnæ. Sacérdos étiam Elíachim scripsit ad univérsos qui erant contra Esdrelon, quæ est contra fáciem campi magni juxta Dóthain, & univérsos per quos viæ tránsitus esse póterat, ut obtinérent ascénsus móntium, per quos via esse póterat ad Jerúsalem, & illic custodírent, ubi angústum iter esse póterat inter montes. Et fecérunt filii Israel secúndùm quod consti

tituerat eis Sacérdos Dómini Elíachim.

℟. Reputántes peccátis nostris hæc ipsa supplícia minóra esse, * Flagélla Dómini, quibus corrípimur, ad emendatiónem, & non ad perditiónem nostram evenísse credámus. ℣. A Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur. * Flagélla. *Judith.* 8. 27. 1. *Cor.* 11. 32.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Elía & jejúnio.

Lectio iv. Cap. 9.

Poténtes vinum prohibéntur bíbere, ne cùm bíberint, obliviscántur sapiéntiam. Bibébant vinum [illegible]áte poténtes, qui [illegible] príncipi milítiæ [illegible]yriórum se trádere [illegible]nt: sed non bibébat fœmina Judith, jejúnans ómnibus diébus viduitátis suæ, præter festórum diérum solemnitátes. His armis muníta procéssit, & omnem Assyriórum circúmvenit exércitum. Sóbrii vigóre consílii, ábstulit Holoférnis caput, servávit pudicítiam, victóriam reportávit. Hæc enim succíncta jejúnio, in castris prætendébat aliénis: ille vino sepúltus jacébat, ut ictum vúlneris sentíre non posset. Itaque uníus mulíeris jejúnium innúmeros stravit exércitus Assyriórum.

℟. Deus cœli & terræ, réspice ad nostram humilitatem: * Osténde quóniam non derelínquis præsuméntes de te: & præsuméntes de se, & de sua virtúte gloriántes humílias. ℣. Locúti sunt contra Deum peccatóres ímpii: os eórum lóquitur supérba. * Osténde. *Judith.* 6. 15. *Judæ* 15. 16.

Lectio v.

Esther quoque púlchrior facta est jejúnio; Dóminus enim grátiam sóbriæ mentis augébat. Omne genus suum, id est, totum pópulum Judæórum à persecutiónis acerbitátibus liberávit; ita ut regem sibi fáceret esse subjéctum, non libídinis ardóre flammátum, sed cœlésti miseratióne convérsum; ita ut pœna retorquerétur in ímpium, & honor sacris redderétur altáribus. Itaque illa quæ tríduo jejunávit contínuo, & corpus suum aquâ lavit, plus plácuit, & vindíctam rétulit. Aman autem dum se regáli jactat convívio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietátis exólvit. Est ergo jejúnium reconciliatiónis sacrifícium, virtútis increméntum, quod fecit étiam fœminas fortióres augménto grátiæ.

℟. Meménto, Dómine, & osténde te nobis in témpore tribulatiónis nostræ, & da mihi fidúciam, Dómine Rex deórum, & univérsæ potestátis. * Adjuva me, nullum áliud auxílium habéntem, nisi te, Dómine. ℣. Se-

ſúndùm expectatiónem & ſpem meam, quia in nullo confúndar. * Adjuva me. *Eſther.* 14. 12. 14. *Philip.* 1. 20.

Lectio vj. Cap. 10.

NOn omnis fames acceptábile jejúnium fácit; ſed fames quæ Dei timóre ſuſcípitur. Non ſola fames quæritur, ſed planè diſciplína jejúnii. Aliis dícitur; In diebus jejuniórum veſtrórum invenítis voluntátes veſtras, & omnes súbditos veſtros ſtimulátis. Non tale jejúnium ego elégi, dicit Dóminus. Quod jejúnium improbétur, audívimus: nunc audiámus quod ſit probábile. Sed ſolve omnem colligatiónem injuſtítiæ tuæ: diſsólve obligatiónes violentárum commutatiónum: dimítte confráctos in remiſſiónem, & omnem conſcriptiónẽ iníquam dirúmpe: frange eſuriénti panem tuum; & egénos non habéntes tectum, induc in domum tuam: & ſi víderis nudum, coóperi eum, & doméſticos séminis tui non deſpícias.

℟. Quia pátiens Dóminus eſt, in hoc ipſo pœniteámus: * Humiliémus illi ánimas noſtras, & † Expectémus húmiles conſolatiónem ejus. ℣. In Spíritu ſancto orántes, expectántes miſericórdiam Dñi noſtri, * Humiliémus. Glória. † Expectémus. *Judith.* 8. 14. 16. 20. *Juda.* 20. 21.

IN III. NOCTURNO.

Léctio ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 14. *v.* 1.

IN illo témpore; Cùm intráret Jeſus in domum cujúſdam príncipis Phariſæórum ſábbato manducáre panem, & ipſi obſervábant eum: & ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et reliqua.

Homilia ſancti Gregórii Papæ.

Lib. 16. *Mor. in Job. Cap.* 23. & 24.

QUantálibet ſit juſtítia óperis, apud intérnum júdicem nulla eſt, ſi hanc élevat tumor mentis. Qui enim humiliátus fúerit, erit in glória; & qui inclináverit óculos ſuos, ipſe [illegible]bitur. Quæ nimírum ſen[illegible]tia à Veritátis ore non diſcrepat, dicéntis: Omnis qui ſe exáltat, humiliábitur; & qui ſe humíliat, exaltábitur. Unde & per Salomónem dícitur: Antequam conterátur, exaltátur cor hóminis; & ántequam gloriétur, humiliátur. Rectè autem dícitur: Qui inclináverit óculos ſuos, ipſe ſalvábitur; quia quantùm per membrórum miniſtérium deprehéndi poteſt, prima ſupérbiæ oſténſio eſſe in óculis ſolet.. Oculos ergo inclináre, eſt nullum reſpiciéndo deſpícere, ſed ſe minórem atque ímparem cunctis quos áſpicit æſtimáre. Salvábitur qui ér-

culos inclinat; quia qui falsũ supérbiæ vérticẽ déserit, veritátis altitúdinẽ ascéndit.

℟. Indulgéntiam Dei fusis lácrymis postulémus, in spíritu constitúti humiliáto serviéntes illi: * Ut sicut conturbátum est cor nostrum in supérbia eorum, ita etiã de nostra humilitáte gloriémur. ℣. Nihil per inánẽ glóriam, sed in humilitate superióres sibi invicem arbitrántes, * Ut sicut. *Judith.* 8. 14. 16. 17. *Philip.* 2. 3.

Lectio viij. Homil. 7. in Evang. n. 4.

Restat ergo ut in omne mens sese déprimat, ne quod virtus sciéntiæ cóngregat, ventus elatiónis tollat. Cùm bona, fratres, ágitis, semper ad memóriam malè acta revocáte; ut dum cautè culpa conspícitur, numquam de bono ópere incáutè ánimus lætétur. Superióres ínvicem, eos máximè qui vobis commíssi non sunt, próximos vestros atténdite; quia & quos ágere áliqua prava conspícitis, quæ in eis látcant bona nescítis. Magnus ergo unusquísque esse stúdeat, sed tamen áliquo modo esse se nésciat: ne dum sibi magnitúdinem arrogánter tríbuit, amíttat. Hinc étenim per Prophétam dícitur: Væ, qui sapiéntes estis in óculis vestris, & coram vobis metípsis prudéntes. Hinc Paulus ait: Nolíte prudéntes esse apud vosmetípsos. Hinc contra superbiéntem Saül dícitur: Cùm esses párvulus in óculis tuis, caput in tríbubus Israel factus es. Ac si apértè diceré-tur: Cùm tu te párvulum conspíceres, ego te præ cæteris magnum feci. Quia verò tu te magnum cónspicis, à me parvus æstimáris.

℟. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, & omnes reges terræ glóriam tuã; quia dóminus * Respéxit in oratiónem humílium, & non sprevit precem eórum. ℣. Qui potens est, dispérsit supérbos, & exaltávit húmiles. * Respéxit. *Ps.* 101. 16. 18. *Luc.* 1. 49. 51. 52.

Lectio ix.

Si ergo sancti viri, étiam cùm agunt fórtia, de semetípsis vília séntiunt; quid in sua excusatióne dictúri sunt, qui sine ópere virtútis intuméscunt? Sed etsi quælibet bona adsint ópera, nulla sunt, nisi ex humilitáte condiántur. Miránda quippe áctio cum elatióne non élevat, sed gravat. Qui enim sine humilitáte virtútes cóngregat, in ventum púlverem portat, & unde áliquid ferre cérnitur, inde detérius cæcátur. In cunctis ergo quæ ágitis, fratres mei, radícem boni óperis humilitátem tenéte; nec quibus jam superióres, sed quibus inferióres estis, aspícite; ut dum melióurm vobis exémpla propónitis, ad majóra semper

ascéndere ex humilitáte valeátis.

℟. Quantò magnus es, humília te in ómnibus, * Et coram Deo invénies grátiam: † Quóniam magna poténtia Dei solíus, & ab humílibus honorátur. ℣. Tu fide stas: noli altum sápere, sed time. * Et coram. Glória. † Quóniam. *Eccli.* 3. 20. 21. *Rom.* 11. 20.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Cùm invitátus fúeris ad núptias, recúmbe in novíssimo loco; ut, cùm vénerit qui te invitávit, dicat tibi: Amice, ascénde supérius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbéntibus. *Luc.* 14. 8. 10.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui supérbis resístis, & grátiam præstas humílibus: tribue, quæsumus, ut non indignatiónem tuam provocémus eláti; sed propitiatiónis tuæ capiámus dona subjecti; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* 1. *C.* 131.

SEcúndùm Dómini senténtiam, domus ejus domus oratiónis vocánda est: omnes ígitur ab otiósis sermocinatiónibus audítum páriter castígent & linguam, & in Ecclésia cum timóre & veneratióne stantes, aut orent, aut cantent, aut legant, aut áudiant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *G.* Omnis qui se exáltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur. *Luc.* 14. 11.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro Judith.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 4. *ad* 9.

ERat Judith relícta vídua jam annis tribus, & ménsibus sex. Et in superióribus domûs suæ fecit sibi secrétum cubículum, in quo cum puéllis suis clausa morabátur. Et habens super lumbos suos cilícium, jejunábat ómnibus diebus vitæ suæ, præter Sábbata, & Neoménias, & festa domûs Israel. Erat autem elegánti aspéctu nimis; cui vir suus relíquerat divítias multas, & famíliam copiósam, ac possessiónes arméntis boum & grégibus óvium plenas. Et erat hæc in ómnibus famosíssima, quóniam timébat Dóminum valdè; nec erat qui loquerétur de illa verbum malum.

℟. Dómine, ex 1. *Noct.* *Dom. pag.* 217.

Lectio ij. Cap. 10. *v.* 11. *ad* 18.

FActum est autem, cùm descénderet montem circa ortum diéi, occurrérunt ei exploratóres Assyriorum, & tenuerunt eam, dicéntes: Unde venis? aut quò vadis? Quæ respóndit: Fília sum Hebræórum, ídeò ego fugi à fácie eórum, quóniam futúrum agnóvi, quòd dentur vobis in deprædatiónem,

pro eo quòd contemnéntes vos, noluérunt ultrò trádere seípsos, ut invenírent misericordiã in conspéctu vestro. Hac de causa cogitávi mecum, dicens: Vadam ad fáciem príncipis Holoférnis, ut índicem illi secréta illórum, & osténdam illi quo áditu possit obtinére eos, ita ut non cadat vir unus de exércitu ejus. Et cùm audíssent viri illi verba ejus, considerábant fáciem ejus, & erat in óculis eórum stupor, quóniam pulchritúdinem ejus mirabántur nimis. Et dixérunt ad eam: Conservásti ánimam tuam, eò quòd tale reperísti consílium, ut descénderes ad Dóminum nostrum. Hoc autem scias, quóniam cùm stéteris in conspéctu ejus, bene tibi fáciet, & eris gratíssima in corde ejus. Duxerúntque illam ad tabernáculum Holoférnis, annuntiántes eam. Cùmque intrásset ante fáciem ejus, statim captus est in suis óculis Holoférnes.

℟. Non in, *pag.* 217.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 3. *ad* 10.

Erátque Judith sola in cubículo. Porrò Holoférnes jacébat in lecto, nímiâ ebrietáte sopítus. Dixítque Judith puéllæ suæ, ut staret foris ante cubículum, & observáret. Stetítque Judith ante lectum, orans cum lácrymis, & labiórum motu in siléntio, dicens: Confírma me, Dómine Deus Israel, & réspice in hac hora ad ópera mánuum meárum, ut, sicut promisísti, Jerúsalem civitátem tuam érigas; & hoc quod credens per te posse fíeri cogitávi, perfíciam. Et cùm hæc dixísset, accéssit ad colúmnam quæ erat ad caput lécțuli ejus, & pugiónem ejus, qui in ea ligátus pendébat, exólvit. Cùmque evagináſſet illum, apprehéndit comam cápitis ejus, & ait: Confírma me, Dómine Deus, in hac hora, & percússit bis in cervícem ejus, & abscídit caput ejus.

℟. Reputántes, *pag.* 218.

CANON

Ex Concílio Senonénsi.

An. 1528. *C.* 15.

Cessent in Ecclésiis quæcúmque possunt divínum perturbáre Officium, aut óculos divínæ majestátis offéndere: ne, ubi peccatórum est vénia postulánda, ibi peccándi detur occásio, aut deprehendántur peccáta commítti.

FERIA TERTIA.

De libro Judith.

Lectio. j. Cap. 15. *v.* 1. *ad* 5.

Cum omnis exércitus decollátum Holoférnem audísset, fugit mens & consílium ab eis, & solo tremóre & metu agitáti, fugæ præsídium sumunt; ita ut nullus loquerétur cum próximo suo, sed inclináto cápite, relíctis ómnibus, evádere festinábant Hebræos

quos armátos super se veníre audiébant, fugiéntes per vias campórum & sémitas cóllium. Vidéntes ítaque fílii Israel fugiéntes, secúti sunt illos; descendéruntque clangéntes tubis & ululántes post ipsos. Et quóniam Assyrii non adunáti, in fugam ibant præcipites: filii autem Israel uno ágmine persequéntes, debilitábant omnes quos invenire potuíssent.

℟. Deus, ex 2. Noct. Dom. pag. 218.

Lectio ij. v. 9. ad 14.

JOacim autem summus póntifex, de Jerúsalem venit in Bethúliam cum univérsis presbyteris suis, ut vidéret Judith. Quæ cùm exísset ad illum, benedixérunt eam omnes unâ voce, dicéntes: Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri; quia fecísti viríliter & confortátum est cor tuum, eò quòd castitátem amáveris, & post virum tuum, álterum nescíeris: ídeò & manus Dómini confortávit te, & ídeò eris benedícta in ætérnum. Et dixit omnis pópulus: Fiat, fiat. Per dies autem trigínta, vix collécta sunt spólia Assyriórum à pópulo Israel.

℟. Meménto, pag. 218.

Lectio iij. Cap. 16. v. 22. ad 30.

ET factum est post hæc, omnis pópulus post victóriam venit in Jerúsalem adoráre Dóminum: & mox ut purificáti sunt, obtulérunt omnes holocáusta, & vota, & repromissiónes suas. Porrò Judith, univérsa vasa béllica Holoférnis quæ dedit illi pópulus, & conopéum, quod ipsa sustúlerat de cubíli ipsius, obtulit in anathéma oblivionis. Erat autem pópulus jucúndus secúndùm fáciem Sanctórum, & per tres menses gáudium hujus victóriæ celebrátum est cum Judith. Post dies autem illos unusquísque rédiit in domum suam; & Judith magna facta est in Bethúlia, & præclárior erat univérsæ terræ Israel. Erat étiam virtúti cástitas adjúncta, ita ut non cognósceret virum ómnibus diébus vitæ suæ, ex quo defúnctus est Manásses vir ejus. Erat autem diébus festis procédens cum magna glória. Mansit autem in domo viri sui annos centum quinque, & dimísit Abram suam líberam, & defúncta est ac sepúlta cum viro suo in Bethúlia. Luxítque illam omnis pópulus diébus septem.

℟. Quia, pag. 219.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi, An. 816. C. 132.

CUm ad Ecclésiam vel ad divínæ laudis débita solvénda, vel ad agénda Missárum solémnia intrámus, semper Angélicæ præséntiæ

mémores, cum timóre & veneratióne competénti cœléste compleámus Offícium, ne si, quod absit, id negligénter, aut inhonéstè, vel tépidè explevérimus, in senténtiam quâ dícitur, Maledíctus homo qui opus Dei fécerit negligénter, miserabíliter labámur.

FERIA QUARTA.

Incipit liber Esther.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

IN diébus Assuéri, (qui regnávit ab India usque Æthiópiam, super centum vigínti septem províncias) quando sedit in sólio regni sui; Susan cívitas regni ejus exórdium fuit. Tértio ígitur anno impérii sui fecit grande convívium cunctis princípibus, & púeris suis fortíssimis Persárum, & Medórum ínclytis, & præféctis provinciárum coram se, ut osténderet divítias glóriæ regni sui, ac magnitúdinem, atque jactántiam poténtiæ suæ, multo témpore, centum vidélicet & octogínta diébus.

℟. Indulgéntiam, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 220.

Lectio ij. v. 9. *ad* 13.

VAsthi quoque regina fecit convívium fœminárum, in palátio, ubi rex Assuérus manére consuéverat. Itaque die séptimo, cùm rex esset hilárior, & post nímiam potatiónem incaluísset mero, præcépit Maūmam, & Bázatha, & Harbóna, & Bágatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunúchis, qui in conspéctu ejus ministrábant, ut introdúcerent regínam Vasthi coram rege, pósito super caput ejus diadémate, ut osténderet cunctis pópulis & princípibus pulchritúdinem illíus; erat enim pulchra valdè. Quæ rénuit, & ad regis impérium, quod per eunúchos mandáverat, veníre contémpsit.

℟. Timébunt, *pag.* 220.

Lectio iij. Cap. 2. *v.* 5. *ad* 9.

ERat vir Judæus in Susan civitáte, vocábulo Mardochæus, fílius Jaïr, fílii Séme, fílii Cis, de stirpe Jémini, qui translátus fúerat de Jerúsalem eo témpore, quo Jechoníam regem Juda Nabuchodónosor rex Babylónis transtúlerat, qui fuit nutrítius fíliæ fratris sui Edíssæ, (quæ áltero nómine vocabátur Esther) & utrúmque paréntem amíserat; pulchra nimis, & decóra fácie. Mórtuísque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptávit in fíliam. Cúmque percrebuísset regis impérium, & juxta mandátum illíus multæ pulchræ vírgines adduceréntur Susan, & Egéo traderéntur eunúcho; Esther quoque inter cæteras puéllas ei trádita est, ut servarétur in número fœminárum. Quæ plácuit ei, & invénit

venit grátiam in conspéctu illíus.

℟. Quantò, pag. 221.

CANON

Ex Concílio Tolosánò.

QUæ sacris divinárum rerum úsibus erunt comparáta, numquam prophánis úsibus inserviéndis mútuò concedántur, nec promíscuâ sæculárium attrectatióne polluántur.

FERIA QUINTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 2. v. 15. ad 18.

EVolúto témpore per órdinem, instábat dies quo Esther fília Abíhail fratris Mardochæi; quam sibi adoptáverat in fíliam, debéret intrare ad regem. Quæ non quæsívit mulíebrem cultum, sed quæcúmque vóluit Egéus eunúchus custos vírgium, hæc ei ad ornátum dedit. Erat enim formósa valdè, & incredíbili pulchritúdine, ómnium óculis gratiósa & amábilis videbátur. Ducta est ítaque ad cubículum regis Assuéri mense décimo; qui vocátur Tebeth, séptimo annò regni ejus. Et adamávit eam rex plus quàm omnes mulíeres; habuítque grátiam & misericórdiam coram eo super omnes mulíeres; & pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre in loco Vasthi.

℟. Dómine, ex 1. Noct. Dom. pag. 217.

Lectio ij. Cap. 3. v. 1. ad 7.

POst hæc rex Assuérus exaltávit Aman fílium Amadáthi, qui erat de stirpe Agag; & pósuit sólium ejus super omnes príncipes, quos habébat. Cunctíque servi regis, qui in fóribus palátii versabántur; flectébant génua; & adorábant Aman; sic enim præceperat eis imperátor: solus Mardochæus non flectébat genu, neque adorábat eum. Cui dixérunt púeri regis; qui ad fores palátii præsidébant: Cur præter cæteros non obsérvas mandátum regis? Cùmque hoc crébriùs dícerent, & ille nollet audíre; nuntiavérunt Aman, scire cupiéntes utrùm perseveráret in senténtia: díxerat enim eis se esse Judæum. Quod cùm audísset Aman; & experiménto probásset quòd Mardochæus non fléteret sibi genu, nec se adoráret, irátus est valdè; & pro níhilo duxit in unum Mardochæum míttere manus suas: audíerat enim quòd esset gentis Judææ; magísque voluit omnem Judæórum, qui erant in regnò Assuéri, pérdere natiónem.

℟. Non, pag. 217.

Lectio iij. Cap. 4. v. 1. ad 6.

QUæ cùm audísset Mardochæus, scidit vestiménta sua, & indutus est sacco, spargens cínerem cápiti: & in platea médiæ civitátis, voce magnâ clamabat, osténdens amaritúdinem ánimi

sui, & hoc ejulátu usque ad fores palátii grádiens. Non enim erat lícitum indútum sacco aulam regis intráre. In ómnibus quoque provínciis, óppidis, ac locis, ad quæ crudéle regis dogma pervénerat, planctus ingens erat apud Judæos, jejúnium, ululátus, & fletus, sacco & cínere multis pro strato uténtibus. Ingréssæ autem sunt puéllæ Esther & eunúchi, nuntiavéruntque ei. Quod áudiens consternáta est: & vestem misit, ut abláto sacco induérent eum: quam accípere nóluit. Accitóque Athach eunúcho, quem rex minístrum ei déderat, præcépit ei ut iret ad Mardochæum, & dísceret ab eo cur hoc fáceret.

℟. Reputántes, *pag.* 218.

CANON

Ex Concílio Cameracénsi. *An.* 1565. *Cap.* 6.

CÆremóniæ omnes quæ signácula sunt pietátis, & religiónis Christiánæ, quasque vel ab Apóstolis, vel ab Ecclésiæ Cathólicæ traditióne, quasi per manum accépimus, ut piè & sanctè sunt invéntæ, sic religiósè servéntur in Ecclésiis. Novæ autem nullæ recipiántur sine Epíscopi judício.

FERIA SEXTA.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 6.

DIe autem tértio indúta est Esther regálibus vestiméntis, & stetit in átrio domûs regiæ, quod era
térius, contra basílican
gis: at ille sedébat supe
lium suum in consistóric
látii contra óstium do
Cùmque vidísset Esther
gínam stantem, plácuit
lis ejus, & exténdit co
eam virgam áuream, q
tenébat manu. Quæ a
dens, osculáta est sumn
tem virgæ ejus. Dixítqu
eam rex: Quid vis, E
regína? Quæ est petítio
etiámsi dimídiam parten
gni petíeris, dábitur
At illa respóndit: Si
placet, óbsecro ut vénia
me hódie, & Aman tec
ad convívium quod pa
Statímque rex, Vocáte
quit, citò Aman, ut E
obédiat voluntáti. Vené
ítaque rex & Aman ad
vívium, quod eis regín
ráverat.

℟. Deus, *ex* 2. *Noct.* 1
pag. 218.

Lectio ij. Cap. 6. *v.* 1. *a*

NOctem illam duxit
insómnem, jussi
sibi afférri históriás & a
les priórum témporum.
cùm illo præsénte lege
tur, ventum est ad illun
cum ubi scriptum erat,
modo nūtiásset Mardoch
insídias Bágathan & Th
eunuchórum, regem A
rum juguláre cupiénti
Quod cùm audísset rex,
Quid pro hac fide hono
præmii Mardochæus co
cútus est? Dixérunt ei s

filíus ac minístri: Nihil omníno mercédis accépit. Statímque rex, Quis est, inquit, in átrio? Aman quippe intérius átrium domûs régiæ intráverat, ut suggéreret regi, & jubéret Mardochæum affígi patíbulo, quod ei fúerat præparátum. Respondérunt púeri: Aman stat in átrio. Dixítque rex: Ingrediátur.

℟. Meménto, *pag.* 218.

Lectio iij. v. 6. ad 12.

CUmque esset ingréssus, ait illi: Quid debet fíeri viro, quem rex honoráre desíderat? Cógitans autem in corde suo Aman, & réputans quòd nullum álium rex, nisi se, vellet honoráre, respóndit: Homo, quem rex honoráre cupit, debet índui véstibus régiis, & impóni super equum qui de sella regis est, & accipere régium diadéma super caput suum, & primus de régiis princípibus ac tyránnis téneat equum ejus, & per platéam civitátis incédens, clamet, & dicat: Sic honorábitur, quemcúmque volúerit rex honoráre. Dixítque ei rex: Festína, & sumptâ stolâ & equo, fac, ut locútus es, Mardochæo Judæo, qui sedet ante fores palátii. Cave ne quidquam de his, quæ locútus es, prætermíttas. Tulit ítaque Aman stolam & equum, indutúmque Mardochæum in platéa civitátis, & impósitum equo præcedébat, atque clamábat: Hoc honóre condígnus est, quemcúmque rex volúerit honoráre.

℟. Quia, *pag.* 219.

CANON

Ex Concílio Bituricénsi.

An. 1584. *Tit.* 12. *Can.* 14.

SIt Magíster Cæremoniárum in síngulis Ecclésiis Cathedrálibus & Collegiátis; aut si desit, álius instituátur.

SABBATO.

De libro Esther.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 7.

INtrávit ítaque rex & Aman, ut bíberent cum regína. Dixítque ei rex étiam secúndâ die, postquam vino incalúerat: Quæ est petítio tua, Esther, ut detur tibi? & quid vis fíeri? etiámsi dimídiam partem regni mei petíeris, impetrábis. Ad quem illa respóndit: Si invéni grátiam in óculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi ánimam meam, pro qua rogo, & pópulum meum, pro quo óbsecro. Tráditi enim sumus ego & pópulus meus, ut conterámur, jugulémur, & pereámus. Atque útinam in servos & fámulas venderémur; esset tolerábile malum, & gemens tacérem: nunc autem hostis noster est, cujus crudélitas redúndat in regem. Respondénsque rex Assuérus ait: Quis est iste, & cujus poténtiæ, ut hæc áudeat fácere? Dixítque Esther: Hostis & inimícus nos-

rer péssimus iste est Aman. Quod ille áudiens, íllico obstúpuit, vultum regis ac regínæ ferre non sústinens.

Lectio ij. Cap. 7. v. 9. ad finem, & Cap. 8. v. 1. ad 3.

DIxítque Harbóna, unus de eunúchis, qui stabant in ministério regis: En lignum, quod paráverat Mardochæo qui locútus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitúdinis quinquagínta cúbitos. Cui dixit rex: Appéndite eum in eo. Suspénsus est itaque Aman in patíbulo quod paráverat Mardochæo; & regis ira quiévit. Die illo dedit rex Assuérus Esther regínæ domum Aman adversárii Judæórum, & Mardochæus ingréssus est ante fáciem regis. Conféssa est enim ei Esther quòd esset pátruus suus. Tulítque rex ánnulum, quem ab Aman récipi júsferat, & trádidit Mardochæo. Esther autem constítuit Mardochæũ super domum suam.

Lectio iij. Cap. 9. v. 1. ad 5.

IGitur duodécimi mensis, quem Adar vocári antè jam díximus, tértiâ décimâ die, quando cunctis Judæis interféctio parabátur, & hostes eórum inhiábant sánguini, versâ vice Judæi superióres esse cœpérunt, & se de adversáriis vindicáre. Congregatíque sunt per síngulas civitátes, óppida & loca, ut exténderent manum contra inimícos & persecutóres suos. Nullúsque ausus est resístere, eò quòd omnes pópulos magnitúdinis eórum formído penetráverat. Nam & provinciárum júdices, & duces, & procuratóres, omnísque dígnitas quæ síngulis locis ac opéribus præerat, extollébant Judæos timóre Mardochæi, quem príncipem esse palátii, & plúrimùm posse cognóverant: fama quoque nóminis ejus crescébat quotídie, & per cunctórum ora volitábat.

CANON
Ex Concílio Reménsi.
An. 1583. Tit. de Curatis, Num. 1.

STatuímus ... ut Curáti obsérvent diligentíssimè, quod dictum est de celebrándis Divínis Offíciis, certo pulsu, statísque horis, ita custódiant, nec pro cujúsque arbítrio mutent.

Ad Magnif. *Ant.* *t.* 1. *&* Oránte Esdrâ, & flente, & jacénte ante templum Dei, colléctus est ad eum de Israel cœtus grandis, & flevit pópulus fletu multo. 1. *Esdr.* 10. 1.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber primus Esdræ.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 8.

IN anno primo Cyri regis Persárum, ut compleétur verbum Dómini ex ore

Jeremiæ, suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis Persárum; & tradúxit vocem in omni regno suo, étiam per scriptúram, dicens: Hæc dicit Cyrus rex Persárum: Omnia regna terræ dedit mihi Dóminus Deus cœli, & ipse præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem, quæ est in Judæa. Quis est in vobis de univérso pópulo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascéndat in Jerúsalem, quæ est in Judæa, & ædificet domum Dómini Dei Israel, ipse est Deus qui est in Jerúsalem. Et omnes réliqui in cunctis locis ubicúmque hábitant, ádjuvent eum viri de loco suo, argénto & auro, & substántiâ, & pecóribus, excépto quod voluntárie ófferunt templo Dei, quod est in Jerúsalem. Et surrexérunt príncipes patrum de Juda, & Bénjamin, & Sacerdótes, & Levítæ, & omnis cujus Deus suscitávit spíritum, ut ascénderent ad ædificándum templum Dómini, quod erat in Jerúsalem. Universíque qui erant in circúitu, adjuvérunt manus eórum in vasis argénteis & áureis, in substántia & juméntis, in supelléctili, excéptis his quæ spontè obtúlerant. Rex quoque Cyrus prótulit vasa templi Dómini, quæ túlerat Nabuchodónosor de Jerúsalem, & posúerat ea in templo dei sui.

℟. Benedíctus Dóminus * Deus patrum nostrórum, dedit hoc in corde regis, ut glorificáret domum Dómini, quæ est in Jerúsalem. ℣. Huic concórdant verba Prophetárum, sicut scriptum est: Post hæc revértar, & reædificábo tabernáculum David, quod décidit. * Deus patrum. 1. *Esdr.* 7. 27. *Act.* 15. 15. 16.

Lectio j. *Cap.* 3. *v.* 1. *ad* 6.

Jamque vénerat mensis séptimus, & erant fílii Israel in civitátibus suis: congregátus est ergo pópulus quasi vir unus in Jerúsalem. Et surréxit Jósue fílius Jósedec, & fratres ejus sacerdótes, & Zoróbabel fílius Saláthiel, & fratres ejus; & ædificavérunt altáre Dei Israel, ut offérrent in eo holocautómata, sicut scriptum est in lege Móysi viri Dei. Collocavérunt autem altáre Dei super bases suas, deterréntibus eos per circúitum pópulis terrárum; & obtulérunt super illud holocáustum Dómino manè & véspere: fecerúntque solemnitátem tabernaculórum, sicut scriptum est, & holocáustũ diébus síngulis per órdinem secúndùm præcéptum, opus diéi in die suo. Et post hæc holocáustum juge, tam in Caléndis quàm in univérsis solemnitátibus Dómini, quæ erant consecrátæ, & in ómnibus in quibus ultrò offerebátur munus Dómino.

℟. Manus Dei nostri est super omnes, qui quærunt

eum in bonitáte : * Et impérium ejus, & furor ejus super omnes, qui derelínquunt eum. ℣. Reddet iis, qui secúndùm patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam : iis autem, qui non acquiéscunt veritáti, ira & indignátio. * Et impérium. 1. *Esdr.* 8. 22. *Rom.* 2. 6. 7. 8.

Lectio iij. v. 10. *ad finem.*

FUndáto ígitur à cæmentáriis templo Dómini, stéterunt Sacerdótes in ornátu suo cum tubis : & Levítæ fílii Asaph in cymbalis, ut laudárent Deum per manus David regis Israel. Et concinébant in hymnis & confessióne Dómino : Quóniam bonus, quóniam in ætérnum misericórdia ejus super Israel. Omnis quoque pópulus vociferabátur clamóre magno in laudándo Dóminum, eò quòd fundátum esset templum Dómini. Plúrimi étiam de Sacerdótibus & Levítis, & príncipes patrum & senióres, qui víderant templum priùs cùm fundátum esset, & hoc templum in óculis eórum, flebant voce magnâ : & multi vociferántes in lætítia, elevábant vocem. Nec póterat quisquam agnóscere vocem clamóris lætántium, & vocem fletûs pópuli : commíxtim enim pópulus vociferabátur clamóre magno, & vox audiebátur procul.

℟. Suscitávit Dóminus spíritum Cyri regis, & tradúxit vocem in omni regno suo, dicens : Deus cœli præcépit mihi ut ædificárem ei domum in Jerúsalem : * Quis est in vobis de univérso pópulo ejus ? † Ascéndat, & ædíficet domum Dei Israel. ℣. Scriptum est : Dirúta ejus reædificábo, ut requírant cæteri hóminum Dóminũ. * Quis est. Glória. † Ascéndat. 1. *Esdr.* 1. 1. 2. 3. *Act.* 15. 15. 16. 17.

IN II. NOCTURNO.

Ex enarratióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

Lectio iv. in Psalm. 64. *n.* 1.

CAptivátus pópulus Israel, ex civitáte Jerúsalém ductus est in servitútem Babylóniæ : prophetávit autem Jeremías sanctus, post septuagínta annos reditúrum pópulum de captivitáte, & instauratúrum civitátem ipsam Jerúsalem, quam devictam ab hóstibus plánxerat. Illo autem témpore fuérunt Prophétæ in illa captivitáte pópuli constitúti in Babylónia, inter quos erat & Ezéchiel Prophéta. Expectábat autem ille pópulus, donec impleréntur témpora septuagínta annórum, secúndùm Prophetíam Jeremíæ. Factum est, complétis septuagínta annis, restitútum est templum quod dejéctum erat. Sed quóniam, dicit Apóstolus, Hæc in figúra contingébant illis, scripta

sunt autem propter nos, in quos finis sæculórum obvénit; debémus & nos nosse priùs captivitátem nostram, deínde liberatiónem nostrã; debémus nosse Babylóniam in qua captívi sumus, & Jerúsalem ad cujus réditum suspirámus.

℟. Servi sumus, & * In servitúte nostra non derelíquit nos Deus noster, sed inclinávit super nos misericórdiam, ut daret nobis vitam. ℣. Nescítis quóniam servi estis ejus, cui obedítis, sive peccáti ad mortem, sive obeditiónis ad justítiam? * In servitúte. 1. *Esdr.* 9. 9. *Rom.* 6. 16.

Lectio v.

Istæ quippe duæ civitátes, secúndùm lítteram revéra duæ civitátes. Et illa quidem Jerúsalem modò à Judæis non incólitur. Post crucifíxum enim Dóminum, vindicátum est in illos flagéllo magno: & eradicáti ab eo loco, ubi ímpiâ libertáte furiósi, advérsùs médicum insaníerant, dispérsi sunt per omnes gentes, & data est illa terra Christiánis: impletúmque est quod eis díxerat Dóminus: Proptérea auferétur à vobis regnum, & dábitur genti faciénti justítiam. Cùm autem vidérent tunc multas turbas ire post Dóminum prædicántem regnum cœlórum, dixérunt príncipes illíus civitátis: Si dimisérimus eum, omnes ibunt post illum, & vénient Románi, & tollent nobis locum & gentem. Ne locum pérderent, Dóminum occidérunt; & ídeò perdidérunt, quia occidérunt.

℟. Quæso, Dómine Deus, qui custódis pactum & misericórdiam cum his qui te díligunt: * Coram te hódie confíteor pro peccátis filiórum Israel. Vanitáte sedúcti sumus, non custodívimus mandátum tuum: óbsecro, Dómine, sit auris tua atténdens ad oratiónem servórum tuórum, qui volunt timére nomen tuum. ℣. Quóniam tristítia mihi magna est, & contínuus dolor cordi meo. * Coram te. 2. *Esdr.* 1. 5. 6. 7. 11. *Rom.* 9. 2.

Lectio vj. n. 1. & 2.

Civitas ergo illa terréna cujúsdam civitátis ætérnæ in cœlis umbram gerébat: at ubi cœpit illa, quæ significabátur, evidéntiùs prædicári, umbra quâ significabátur, dejécta est: proptérea ibi modò templum non est, quod fabricátum fúerat in imáginem futúri córporis Dómini. Tenémus lucem, umbra transívit; tamen adhuc in quadam captivitáte sumus: Quámdiu sumus, inquit, in córpore, peregrinámur à Dómino. Et vidéte nómina duárum istárum civitátum, Babylónis & Jerúsalem. Bábylon, Confúsio interpretátur; Jerúsalem, Vísio pacis. Inténdite

nunc civitátem confusionis, ut intelligatis visiónem pacis: istam toleretis, ad illam suspirétis.

℟. Deus noster magne, ne avértas a facie tua omnem laborem qui invenit nos: justus es in omnibus quæ venerunt super nos: nos autem impiè égimus: * Super omnibus ergo his nos ipsi percútimus fœdus ℣. Convérsi ad Deum à simulacris, servire Deo vivo & vero. * Super. Gloria. * Super. 2. *Esdr.* 9. 32. 33. 38. 1. *Thess.* 1. 9.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22. 34.

IN illo tempore; Pharisæi audiéntes quòd siléntium imposuisset Jesus Sadducæis, convenerunt in unum; & interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandátum magnum in lege? Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 71. *in Matth. aliàs* 72. *n.* 1.

CUm Sadducæis siléntium impósitum fuisset, Pharisæi rursus aggrediúntur. Cùm oportuísset enim inde quiéscere, illi rursus concértant, & legis perítum oppónunt: non quòd díscere, sed quòd tentare cúperent: & interrogant: Quod est mandátum primum? Quia enim primum illud erat: Diliges Dóminum Deum tuum, sperántes illum ansam præbitúrum, corrigéndo scílicet ipsum, ut se quoque Deum esse osténderet, sic intérrogant. Quid ergo Christus? ut osténdat qua de causa vénerint, quòd nullam habérent charitátem, quòd invidiâ tabescerent, quòd livóre caperéntur, ait: Díliges Dóminum Deum tuũ: hoc primum & magnum est mandatum. Secúndum autem símile huic: Díliges próximum tuum sicut teipsum. Cur símile huic? Quia hoc ad illud viam parat, & ab illo rursus munitur.

℟. Nunc, Israel, quid Dóminus Deus tuus petit à te? nisi, * Ut díligas eum, ac servias Dómino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota ánima tua: quia Dominus Deus vester, ipse est Deus deorum, & Dominus dominantium. ℣. Hoc est máximum, & primum mandátum. * Ut díligas. *Deuter.* 10. 12. 17. *Matth.* 22. 38.

Lectio viij.

SI ergo dilígere Deum, dilígere proximum est; (nam ait: Si díligis me, Petre, pasce oves meas:) dilígere autem próximum facit ut mandata custódias, jure ait: In his tota lex pendet & Prophétæ. Ideò quod ántea fecit, id & nunc facit. Etenim ibi interrogatus de modo resurrectiónis & quid sit resurréctio, plus dócuit

quàm petébant, ut illos institúeret. Et hîc étiam de primo mandáto interrogatus, secúndum récitat, primo non multùm inférius: secúndum enim est & primo símile: subíndicans ipsis, unde interrogátio facta sit, nempe ex inimicítia. (Cháritas enim non æmulatur.) Hinc se osténdit & legi & Prophétis óbsequi.

℟. Diligámus Deum, quóniã Deus prior diléxit nos: * Et hoc mandátum habémus à Deo; ut qui díligit Deum, díligat & fratrem suum. ℣. Dílige próximum, & conjúngere fide cum illo. * Et hoc mandatum. 1. *Joan.* 4. 19. 21. *Eccli.* 27. 18.

Lectio ix.

In Joan. Homil. 20. *aliàs.* 19. *ad finem.*

Ecquis ita furiósus est, ut Dóminum suum non amet? Hoc & ego dico; scióque nostrûm síngulos non áliter verbo, saltem & mente sensátos esse. Sed non verbo tantùm, sed étiam opéribus vult is qui amátur amórem exhibéri. Nam si ita quidem loquámur, neque præstémus id quod amantes solent, ridícula sanè res est, non apud Deum tantùm, sed étiam apud hómines. Quóniam ígitur verbis tantùm confiteri, & rebus contrária præstáre, non inútile modò, sed étiam perniciósum est, rogo, confessionẽ per ópera exhibeámus, ut ipse nos confiteátur illo die, quando apud Patrem, quinam digni sint confitébitur.

℟. Fortis est ut mors diléctio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum: * Si déderit homo omnem substántiam domûs suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. ℣. Nunc manent fides, spes, cháritas; tria hæc: major autem horum est cháritas. * Si déderit. Glória. * Si déderit. *Cantic.* 8. 6. 7. 1. *Cor.* 13. 13.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *C.* Primum ómnium mandátum est: Audi, Israel: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo. Majus áliud mandátum non est. *Marc.* 12. 29. 30. 31.

Oratio.

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti: infúnde córdibus nostris tui amóris affectum; ut te in ómnibus & super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Arelaténsi sexto.

An. 813. *C.* 16.

Ne in Domínicis diébus pública mercatúra, neque causatiónes, disceptationésque exerceántur, & pénitùs à rurâli & servíli ópere cessétur; iis solúmmodo peráctis, quæ ad Dei cultum

& [illegible]

Ad Magnif. Ant. 6. f. Si quis dixerit, quóniam díligo Deum, & fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non díligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quómodo potest díligere? 1. Joan. 4. 20.

Oratio ut supra in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libro primo Esdræ.

Lectio j Cap. 4. v. 1. ad 6.

AUdiérunt hostes Judæ & Benjamin, quia filii captivitátis ædificárent templum Dómino Deo Israel; & accedéntes ad Zorobabel, & ad príncipes patrū, dixérunt eis: Ædificémus vobíscum, quia ita ut vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolávimus víctimas à diébus Asor Haddan regis Assur, qui addúxit nos huc. Et dixit eis Zoróbabel, & Jósue, & réliqui príncipes patrum Israel: Non est vobis & nobis ut ædificémus domum Deo nostro, sed nos ipsi soli ædificábimus Dómino Deo nostro, sicut præcépit nobis Cyrus rex Persárum. Factum est ígitur, ut pópulus terræ impedíret manus pópuli Judæ, & turbáret eos in ædificándo. Conduxérunt autem advérsùs eos consiliatóres, ut destrúerent consílium eórum ómnibus diébus Cyri regis Persárum, & usque ad regnum Dárii regis Persarum.

℟. Benedictus, ex 1. Noct. Dom. pag. 229.

Lectio ij. Cap. 4. v. ultimo, & Cap. 5. v. 1. ad 6.

TUnc intermíssum est opus domus Dómini in Jerusalem, & non fiebat usque ad annum secundum regni Darii regis Persarum. Prophetavérunt autem Aggæus prophéta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Judæos qui erant in Judæa & Jerusalem, in nómine Dei Israel. Tunc surrexérunt Zorobabel filius Salathiel, & Jósue filius Josedec, & cœpérunt ædificare templum Dei in Jerúsalem, & cum eis prophétæ Dei adjuvántes eos. In ipso autem témpore venit ad eos Thathánaï, qui erat dux trans flumen, & Stharbuzánaï, & consiliárii eórum; sicque dixérunt eis: Quis dedit vobis consilium ut domum hanc ædificarétis, & muros ejus instaurarétis? Ad quod respóndimus eis, quæ essent nómina hóminum auctórum ædificatiónis illius. Oculus autem Dei eórum factus est super senes Judæórum, & non potuérunt inhibére eos. Placuítque ut res ad Dárium referrétur, & tunc satisfácerent advérsùs accusatiónem illam.

℟. Manus, pag. 229.

Lectio iij. Cap. 6. v. 1. ad 8.

TUnc Dárius rex præcépit: & recensuérunt in bibliothéca librórum qui erant repóſiti in Babylóne, & invéntum eſt in Ecbátanis, quod eſt caſtrum in Medéna província, vólumen unum; talíſque ſcriptus erat in eo commentárius: Anno primo Cyri regis, Cyrus rex decrévit ut domus Dei ædificarétur, quæ eſt in Jerúſalem, in loco ubi ímmolent hóſtias, & ut ponant fundaménta ſupportántia altitúdinem cubitórum ſexagínta, & latitúdinem cubitórum ſexagínta; órdines de lapídibus impolítis tres, & ſic órdines de lignis novis: ſumptus autem de domo regis dabúntur. Sed & vaſa templi Dei áurea & argéntea, quæ Nabuchodónoſor túlerat de templo Jerúſalem, & attúlerat ea in Babylónem, reddántur, & referántur in templum in Jerúſalem in locum ſuum, quæ & póſita ſunt in templo Dei. Nunc ergo Thathánaï dux regiónis, quæ eſt trans flumen, Stharbuzánaï, & conſiliárii veſtri Apharſachæi, qui eſtis trans flumen, procul recédite ab illis; & dimíttite fíeri templum Dei illud à duce Judæórum, & à ſenióribus eórum, ut domum Dei illam ædíficent in loco ſuo.

℟. Suſcitávit, *pag.* 230.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ss. 5. Cap. 2. de Reform.

QUicúmque Parochiáles Eccléſias óbtinent.... diébus ſaltem Domínicis & Feſtis ſolémnibus plebes ſibi commíſſas paſcant ſalutáribus verbis, docéndo ea quæ ſcire ómnibus neceſſárium eſt ad ſalútem, annuntiándoque eis cum brevitáte & facilitáte ſermónis, vítia, quæ eos declináre, & virtútes, quas ſectári opórteat.

FERIA TERTIA.

De libro primo Eſdræ.

Lectio j. Cap. 6. v. 13. ad 19.

IGitur Thathánaï dux regiónis trans flumen, & Stharbuzánaï, & conſiliárii ejus, ſecúndùm quod præcéperat Dárius rex, ſic diligénter execúti ſunt. Senióres autem Judæórum ædificábant, & proſperabántur juxta prophetíam Aggæi prophétæ, & Zacharíæ filii Addo; & ædificavérunt, & conſtruxérunt, jubénte Deo Iſrael, & jubénte Cyro, & Dário, & Artaxérxe, regibus Persárum; & complevérunt domum Dei iſtam, uſque ad diem tértium menſis Adar, qui eſt annus ſextus regni Dárii regis. Fecérunt autem fílii Iſrael, Sacerdótes & Levítæ, & réliqui filiórum tranſmigratiónis, dedicatiónem domûs Dei in gáudio. Et obtulérunt in dedicatiónem domûs Dei vítulos centum, aríetes ducéntos,

agnos quadringéntos, hircos caprárum pro peccáto totíus Isfrael duódecim, juxta númerum tríbuum Isfrael. Et statuérunt Sacerdótes in ordínibus suis, & Levítas in vícibus suis super ópera Dei in Jerúsalem, sicut scriptum est in libro Moysi.

℟. Servi, *ex 2. Noct. Dom. pag. 231.*

Lectio ij. v. 19. ad finem.

FEcérunt autem filii Isfrael transmigratiónis Pascha, quartâ décimâ die mensis primi. Purificáti enim fúerant Sacerdótes & Levítæ quasi unus: omnes mundi ad immolándum Pascha univérsis filiis transmigratiónis, & frátribus suis Sacerdótibus, & sibi. Et comedérunt filii Isfrael qui revérsi fúerant de transmigratióne, & omnes qui se separáverant à coinquinatióne géntium terræ ad eos, ut quærerent Dóminum Deum Isfrael. Et fecérunt solemnitátem azimórum septem diébus in lætítia, quóniam lætificáverat eos Dóminus, & convérterat cor regis Assur ad eos, ut adjuváret manus eórum in ópere domûs Dómini Dei Isfrael.

℟. Quæso, *pag. 231.*

Lectio iij. Cap. 9. v. 1. ad 6.

POstquam autem hæc compléta sunt, accessérunt ad me príncipes, dicéntes: Non est separátus pópulus Isfrael, Sacerdótes & Levítæ, à pópulis terrárum, & abominatiónibus eórum, Chananæi vidélicet, & Hethæi, & Pherezæi, & Jebusæi, & Ammonitárum, & Moabitárum, & Ægyptiórum, & Amorrhæórum; tulérunt enim de filiábus eórum sibi & filiis suis, & commiscuérunt semen sanctum cum pópulis terrárum: manus étiam príncipum & magistrátuũ fuit in trangressióne hâc primâ. Cùmque audíssem sermónem istum, scidi pállium meum & túnicam, & evélli capíllos capitis mei & barbæ, & sedi mœrens. Convenérunt autem ad me omnes, qui timébant verbum Dei IsrAel, pro trangressióne eórum qui de captivitáte vénerant, & ego sedébam tristis usque ad sacrifícium vespertínum; & in sacrifício vespertíno surréxi de afflictióne mea, & scisso pállio & túnicâ, curvávi génua mea, & expándi manus meas ad Dóminum Deum meum.

℟. Deus, *pag. 232.*

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Ss. 24. Cap. 4.

EPíscopi, saltem Domínicis & áliis festívis diébus, púeros in síngulis Paróchiis fídei rudiménta, & obediéntiam erga Deum & paréntes, diligénter ab iis, ad quos spectábit, docéri curábunt; &, si opus sit, étiam per censúras Ecclesiásticas compéllent.

FERIA QUARTA.

De libro primo Esdræ.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 1. *ad* 7.

SIc ergo orante Esdrâ, & implorante eo, & flente, & jacénte ante templum Dei, colléctus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virórũ, & mulíerum, & puerórum; & flevit pópulus fletu multo. Et respóndit Sechénias fílius Jéhiel de fíliis Ælam, & dixit Esdræ: Nos prævaricáti sumus in Deum nostrum, & dúximus uxóres alienígenas de pópulis terræ: & nunc, si est pœniténtia in Israel super hoc, percutiámus fœdus cum Dómino Deo nostro, ut projiciámus univérsas uxóres, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntátem Dómini, & eórum qui timent præcéptum Dómini Dei nostri, secúndùm legem fiat. Surge, tuum est decérnere; nosque érimus tecum: confortare, & fac. Surréxit ergò Esdras, & adjurávit príncipes Sacerdótum & Levitárum, & omnem Israel, ut fácerent secúndùm verbum hoc, & juravérunt. Et surréxit Esdras ante domum Dei, & ábiit ad cubículum Johanan filii Eliasib; & ingréssus est illuc, panem non comédit, & aquam non bibit: lugébat enim transgressiónem eórum qui vénerant de captivitáte.

℟. Nunc, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 232.

Lectio ij. v. 7. *ad* 12.

ET missa est vox in Juda, & in Jerúsalem ómnibus fíliis transmigratiónis, ut congregaréntur in Jerúsalem; & omnis qui non vénerit in tribus diebus juxta consílium príncipum & seniórum, auferétur univérsa substántia ejus, & ipse abjiciétur de cœtu transmigratiónis. Convenérunt ígitur omnes viri Juda & Benjamin in Jerúsalem tribus diébus, ipse est mensis nonus, vigésimo die mensis: & sedit omnis pópulus in platéa domûs Dei, treméntes pro peccáto, & plúviis. Et surréxit Esdras Sacérdos, & dixit ad eos: Vos transgréssi estis, & duxístis uxóres alienígenas, ut adderétis super delíctum Israel. Et nunc date confessiónem Dómino Deo patrum vestrórum, & fácite plácitum ejus, & separámini à pópulis terræ, & ab uxóribus alienígenis.

℟. Diligámus, *pag.* 233.

Lectio iij. v. 12. *ad* 18.

ET respóndit univérsa multitúdo, dixítque voce magnâ: Juxta verbum tuum ad nos, sic fiat. Verúmtamen quia pópulus multus est, & tempus plúviæ, & non sustinémus stare foris, & opus non est diéi unius vel duórum (veheménter quippe peccávimus in sermóne isto) constituántur príncipes in univérsa multitúdine; & omnes in civitá-

tibus nostris qui duxérunt uxóres alienígenas, véniant in tempóribus statútis, & cum his senióres per civitátem & civitátem, & júdices ejus, donec avertátur ira Dei nostri à nobis super peccáto hoc. Igitur Jónathan fílius Azahel, & Jaázia fílius Thécue, steterúnt super hoc, & Mesóllam & Sebéthaï Levítes adjuvérunt eos: fecerúntque sic fílii transmigratiónis. Et abiérunt Esdras Sacérdos, & viri príncipes familiárum in domos patrum suórum, & omnes per nómina sua, & sedérunt in die primo mensis décimi ut quærerent rem. Et consummáti sunt omnes viri qui dúxerant uxóres alienígenas usque ad diem primam mensis primi.

℟. Fortis, *pag.* 233.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

An. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 5.

MOneant Párochi frequénter patresfamílias, ut fílios & fámulos, quos in béstiis pascéndis óccupant, saltem diébus festis Missæ júbeant interésse.

FERIA QUINTA.

Incipit liber Nehémiæ, qui & Esdræ secúndus dícitur.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

VErba Nehémiæ fílii Hélchiæ. Et factum est in mense Casleu, anno vigésimo, & ego eram in Susis castro. Et venit Hánani unus de frátribus meis, ipse & viri ex Juda: & interrogávi eos de Judæis qui remánserant & superérant de captivitáte, & Jerúsalem. Et dixérunt mihi: Qui remansérunt, & relícti sunt de captivitáte ibi in província, in afflictióne magna sunt, & in oppróbrio; & murus Jerúsalem dissipátus est, & portæ ejus combústæ sunt igni. Cúmque audíssem verba hujuscémodi, sedi, & flevi, & luxi diébus multis; jejunábam, & orábam ante fáciem Dei cœli. Et dixi: Quæso, Dómine Deus cœli, fortis, magne atque terríbilis, qui custódis pactum & misericórdiam cum his qui te díligunt, & custódiunt mandáta tua: fiant aures tuæ auscultántes, & óculi tui apérti, ut áudias oratiónem servi tui, quam ego oro coram te hódie, nocte & die, pro fíliis Israel servis tuis: & confíteor pro peccátis filiórum Israel, quibus peccavérunt tibi: ego & domus patris mei peccávimus.

℟. Benedíctus, *ex* 1. *Noct.* *Dom. pag.* 229.

Lectio ij. Cap. 1. *ad ultima verba, & Cap.* 2. *v.* 1. *ad* 7.

EGo enim eram pincérna regis. Factum est autem in mense Nisan, anno vigésimo Artaxérxis regis: & vinum erat ante eum, & levávi vinum, & dedi regi; & eram

quasi lánguidus ante fáciem ejus. Dixítque mihi rex : Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrótum non vídeã? non est hoc frustrà, sed malum néscio quod in corde tuo est. Et timui valdè ac nimis ; & dixi regi : Rex, in ætérnum vive ; quare non mœreat vultus meus, quia cívitas domûs sepulchrórum patris mei desérta est, & portæ ejus combústæ sunt igni? Et ait mihi rex: Pro quâ re póstulas? Et orávi Deum cœli, & dixi ad regem : Si vidétur regi bonum, & si placet servus tuus ante fáciem tuam, ut mittas me in Judæam, ad civitátem sepúlchri patris mei, & ædificábo eam. Dixítque mihi rex, & regína quæ sedébat juxta eum : Usque ad quod tempus erit iter tuum, & quando revertéris? Et plácuit ante vultum regis, & misit me : & constítui ei tempus.

℟. Manus, *pag.* 229.

Lectio iij. v. 11. *ad* 19.

ET veni Jerúsalem, & eram ibi tribus diébus, & surréxi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicávi cuíquam quid Deus dedísset in corde meo ut fácerem in Jerúsalem ; & juméntum non erat mecum, nisi ánimal, cui sedébam. Et egréssus sum per portam Vallis nocte, & ante fontem dracónis, & ad portam stercoris, & considerábam murum Jerúsalem dissipatum, & portas ejus consúmptas igni. Et transívi ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus juménto cui sedébam, ut transíret. Et ascéndi per torréntem nocte, & considerábam murum ; & revérsus, veni ad portam Vallis, & rédii. Magistrátus autem nesciébant quò abiíssem, aut quid ego fácerem : sed & Judæis & Sacerdótibus, & optimátibus, & magistrátibus, & réliquis qui faciébant opus, usque ad id loci nihil indicáveram. Et dixi eis : Vos nostis afflictiónem in qua sumus ; quia Jerúsalem desérta est, & portæ ejus consúmptæ sunt igni : veníte, & ædificémus muros Jerúsalem, & non simus ultrà oppróbrium. Et indicávi eis manum Dei mei, quòd esset bona mecum, & verba regis, quæ locútus esset mihi, & áio : Surgámus, & ædificémus. Et confortátæ sunt manus eórum in bono.

℟. Suscitávit, *pag.* 235.

CANON

Ex Concílio Rotomagénsi.

An. 1581.

ADmonére debent Sacerdótes plebes súbditas sibi, ut pastóres vel aratóres qui in agro assíduè commorántur, vel in sylvis, & ideò more pécudum vivunt, in Domínicis & áliis diébus festis, saltem ad Missam fáciant vel permíttant veníre ; nam & hos Christus

pretióso sánguine suo redémit.

FERIA SEXTA.

De libro Nehemiæ.

Lectio j. Cap. 4. v. 1. ad 6.

FActum est, cùm audisset Sanabállat quòd ædificarémus murum, irátus est valdè: & motus nimis, subsannávit Judæos, & dixit coram frátribus suis, & frequéntiâ Samaritanórum: Quid Judæi fáciunt imbecílles? Num dimittent eos gentes? Num sacrificábunt, & complébunt in una die? Numquid ædificáre póterunt lápides de acervis púlveris, qui combústi sunt? Sed & Tobías Ammanítes próximus ejus, ait: Ædificent; si ascénderit vulpes, transíliet murum eórum lapídeum. Audi, Deus noster, quia facti sumus despéctui: convérte oppróbrium super caput eórum, & da eos in despectiónem in terra captivitátis. Ne opérias iniquitátem eórum, & peccátum eórum coram facie tua non deleátur, quia irrisérunt ædificántes.

℟. Servi, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 231.

Lectio ij. v. 7. ad. 12.

FActum est autem, cùm audísset Sanabállat, & Tobías, & Arabes, & Ammonítæ, & Azótii, quòd obdúcta esset cicátrix muri Jerúsalem, & quòd cœpíssent interrúpta conclúdi, iráti sunt nimis. Et congregáti sunt omnes páriter, ut venírent, & pugnárent contra Jerúsalem, & molieréntur insídias. Et orávimus Deum nostrum, & posúimus custódes super murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Judas: Debilitáta est fortitúdo portántis, & humus nímia est, & nos non potérimus ædificáre murum. Et dixérunt hostes nostri: Nésciant, & ignórent, donec veniámus in médium eórum, & interficiámus eos, & cessáre faciámus opus.

℟. Quæso, *pag.* 231.

Lectio iij. v. 14. ad 19.

ET perspéxi atque surréxi: & áio ad optimátes, & magistrátus, & ad réliquam partem vulgi: Nolíte timére à fácie eórum. Dómini magni & terríbilis memen tóte, & pugnáte pro frátribus vestris, fíliis vestris, & filiábus vestris, & uxóribus vestris, & dómibus vestris. Factum est autem, cùm audíssent inimíci nostri nuntiátum esse nobis, dissipávit Deus consílium eórum. Et revérsi sumus omnes ad muros, unusquísque ad opus suum. Et factum est à die illa, média pars júvenum eórum faciébat opus, & média paráta erat ad bellum, & lánceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & príncipes post eos in omni domo Juda, ædificántium in muro, & portántium ónera, & imponéntiũ: unâ manu suâ faciébat opus, &

& alterâ tenébat gládium; ædificántium enim unusquísque gládio erat accínctus renes. Et ædificábant, & clangébant búccinâ juxta me.

℟. Deus, *pag.* 232.

CANON

Ex Concílio Aquénsi.

An. 1585. *Tit. de Fest. cultu.*

DOceántur pópuli, ut, præter Missam, quæ diébus Domínicis & festívis sine gravíssimi peccáti culpa prætermítti non potest, præter Vésperas item, quibus fidélem quemque, nisi impedítum, interésse maximè cónvenit, in doctrínæ Christiánæ rudiméntis omnes, tam mares, quam fœminæ, tam viri quàm púeri, vel perdiscéndis si ignórent, vel álios perdocéndis versséntur.

SABBATO.

De libro Nehémiæ.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 7.

ET vénerat mensis séptimus; fílii autem Israel erant in civitátibus suis. Congregatúsque est omnis pópulus, quasi vir unus, ad platéam quæ est ante portam aquárum: & dixérunt Esdræ scribæ, ut afférret librum legis Móysi, quam præcéperat Dóminus Israéli. Attulit ergo Esdras Sacérdos legem coram multitúdine virórum & mulíerum, cunctísque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apértè in platéa quæ erat ante portam aquárum, de manè usque ad médiam diem, in conspéctu virórum & mulíerum, & sapiéntium; & aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum. Stetit autem Esdras scriba super gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum: & stetérunt juxta eum, Mathathías, & Seméïa, & Ania, & Uria, & Hélcia, & Maásia, ad déxteram ejus: & ad sinístram, Phadáïa, Mísael, & Mélchia, & Hasum, & Hasbadana, Zacharía, & Mosóllam. Et apéruit Esdras librum coram omni pópulo: super univérsum quippe pópulum eminébat; & cùm aperuísset eum, stetit omnis pópulus. Et benedíxit Esdras Dómino Deo magno: & respóndit omnis pópulus: Amen, amen: élevans manus suas; & incurváti sunt, & adoravérunt Deum proni in terram.

Lectio ij. v. 9. *ad* 13.

DIxit autem Nehémias (ipse est Athérsatha) & Esdras sacérdos & scriba, & Levítæ interpretántes univérso pópulo: Dies sanctificátus est Dómino Deo nostro: nolíte lugére, & nolíte flere. Flebat enim omnis pópulus cùm audíret verba legis. Et dixit eis: Ite, comédite pínguia, & bíbite mulsum, & míttite partes his qui non præparavérunt sibi: quia sanctus dies Dómini est, & nolíte contrist-

tári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra. Levítæ autem siléntium faciébant in omni pópulo, dicéntes: Tacéte, quia dies sanctus est, & nolíte dolére. Abiit ítaque omnis pópulus ut comméderet & bíberet, & mítteret partes, & fáceret lætítiam magnam: quia intelléxerant verba, quæ docúerat eos.

Lectio iij. Cap. 13. v. 23. ad 30.

SEd & in diébus illis, vidi Judæos ducéntes uxóres Azótidas, Ammonítidas, & Moabítidas. Et filii eórum ex média parte loquebántur Azóticè, & nesciébant loqui Judáicè, & loquebántur juxtá linguam pópuli & pópuli. Et objurgávi eos, & maledíxi. Et cecídi ex eis viros, & decalvávi eos, & adjurávi in Deo, ut non darent fílias suas fíliis eórum, & non accíperent de filiábus eórum fíliis suis, & sibimetipsis, dicens: Numquid non in hujuscémodi re peccávit Sálomon rex Israel? & certè in géntibus multis non erat rex símilis ei, & diléctus Deo suo erat, & pósuit eum Deus regem super omnem Israel: & ipsum ergo duxérunt ad peccátum mulíeres alienígenæ. Numquid & nos inobediéntes faciémus omne malum grande hoc, ut prævaricémur in Deo nostro, & ducámus uxóres peregrínas? De fíliis autem Joiada fílii Elíasib Sacerdótis magni, gener erat Sanabállat Horonítes, quem fugávi à me. Recordáre, Dómine Deus meus, advérsùm eos qui pólluunt sacerdótium, jusque Sacerdotále & Levíticum.

CANON

Ex Concílio Lateranénsi tértio.

An. 1179. *Can.* 18.

NE paupéribus, qui paréntum ópibus juvári non possunt, legéndi & proficiéndi opportúnitas subtrahátur, per unamquámque Ecclésiam Cathedrálem magístro, qui Cléricos ejúsdem Ecclésiæ, & scoláres páuperes dóceat, cómpetens áliquod benefícium assignétur, quo docéntis necéssitas sublevétur, & discéntibus via páteat ad doctrínam.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *A.* Multi de pópulo Israel elegérunt magis mori, quàm cibis coinquinári immúndis: & noluérunt infríngere legem Dei sanctam, & trucidáti sunt. 1. *Machab.* 1. 65. 66.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incípiunt libri Machabæórũ.

Lib. 1.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 10.

ET factum est, postquam percússit Alexánder Philíppi Mácedo, (qui primus

regnávit in Græcia, egréssus de terra Cethim,) Dárium regem Persárum & Medórum; constítuit prælia multa, & obtínuit ómnium munitiónes, & interfécit reges terræ, & pertránsiit usque ad fines terræ; & accépit spólia multitúdinis Géntium; & siluit terra in conspéctu ejus. Et congregávit virtútem, & exércitum fortem nimis; & exaltátum est, & elevátum cor ejus; & obtínuit regiónes Géntium, & tyránnos: & facti sunt illi in tribútum. Et post hæc décidit in lectum, & cognóvit quia morerétur. Et vocávit púeros suos nóbiles, qui secum erant nutríti à juventúte; & divísit illis regnum suum, cùm adhuc víveret. Et regnávit Alexánder annis duódecim, & mórtuus est. Et obtinuérunt púeri ejus regnum, unusquísque in loco suo.

℟. Miserére plebi tuæ, Dómine, super quam invocátum est nomen tuum; & Israel quem coæquásti primogénito tuo. * Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, civitáti requiéi tuæ; ℣. Ut requírant cæteri hóminum Dóminum; * Miserére. *Eccli.* 36. 14. 15. *Act.* 15. 17.

Lectio ij. v. 11. ad 17.

Et éxiit ex eis radix peccátrix, Antíochus illústris, fílius Antíochi regis, qui fúerat Romæ obses: & regnávit in anno centésimo trigésimo séptimo regni Græcórum. In diébus illis exiérunt ex Israel filii iníqui, & suasérunt multis, dicéntes: Eámus, & disponámus testaméntum cum Géntibus, quæ circa nos sunt: quia ex quo recéssimus ab eis, invenérunt nos multa mala. Et bonus visus est sermo in óculis eórum. Et destináverunt áliqui de pópulo, & abiérunt ad regem: & dedit illis potestátem ut fácerent justítiam Géntium. Et ædificavérunt gymnásium in Jerosólymis secúndùm leges natiónum: & fecérunt sibi præpútia, & recessérunt à testaménto sancto, & juncti sunt natiónibus, & venúmdati sunt ut fácerent malum.

℟. In áliis natiónibus, Dóminus patiénter expéctat, ut eas, cùm judícii dies advénerit, in plenitúdine peccatórum púniat: * Corrípiens verò in advérsis, pópulum suum non derelínquit. ℣. Iníquos in diem judícii resérvat cruciándos: * Corrípiens verò. 2. *Machab.* 6. 14. 16. 2. *Petr.* 2. 9.

Lectio iij. v. 17. ad 21.

Et parátum est regnum in conspéctu Antíochi, & cœpit regnáre in terra Ægypti, ut regnáret super duo regna. Et intrávit in Ægyptum in multitúdine gravi, in cúrribus, & elephántis, & equítibus, & copiósâ návium multitúdine: & constítuit

bellum advérsus Ptolemæum regem Ægypti, & véritus est Ptolemæus à fácie ejus, & fugit, & cecidérunt vulneráti multi. Et comprehéndit civitátes munítas in terra Ægypti: & accépit spólia terræ Ægypti.

℟. Fácile est conclúdi multos in manus paucórum: * Et non est differéntia in conspéctu Dei cœli, liberáre in multis & in paucis: † Quóniam non in multitúdine exercitûs victória belli, sed de cœlo fortitúdo est. ℣. Quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. * Et non est. Glória. † Quóniam. 1. Machab. 3. 18. 19. 1. Cor. 1. 25.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de Civitáte Dei.

Lectio iv. Lib. 18. Cap. 36.

APud Judæos restitúto templo, non reges, sed príncipes fuérunt usque ad Aristóbolum: quorum supputátio témporum, non in Scriptúris sanctis, quæ Canónicæ appellántur, sed in áliis invenítur, in quibus sunt & Machabæórum libri, quos non Judæi, sed Ecclésia pro Canónicis habet, propter quorúmdam Mártyrum passiónes veheméntes atque mirábiles, qui, ántequam Christus venísset in carnem, usque ad mortem pro Dei lege certavérunt, & mala gravíssima atque horribília pertulérunt.

℟. Ingémuit Eleázarus, & dixit: Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, * Maniféstè tu scis, quia, cùm à morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres: secúndùm ánimam verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Ob quam causam pátior, sed non confúndor. Scio enim cui crédidi. * Maniféstè. 2. Machab. 6. 30. 2. Tim. 1. 12.

Lectio v. Cap. 45.

POsteaquam gens Judæa cœpit non habére prophétas, procul dúbiò detérior facta est, eo scílicet témpore quo se sperábat, instauráto templo, post captivitátem, futúram esse meliórem. Sic quippe intelligébat pópulus ille carnális, quod prænuntiátum est per Aggæum prophétam, dicéntem: Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plus quàm primæ. Quod de novo Testaménto dictum esse, paulò supérius demonstrávit, ubi ait apértè Christum promíttens: Et movébo omnes gentes: & véniet Desiderátus cunctis géntibus... Propter hoc ergo nec prophétas ex illo témpore hábuit illa gens; & multis cládibus afflícta est ab alienígenis régibus, ipsísque Románis, ne hanc Aggæi prophetíam in illa instauratióne templi opinarétur implétam. Non multò post enim, adveniénte Ale-

[illegible]ndro subjugáta est.

℟. Septem fratres unà cum matre ínvicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes: * Dóminus Deus aspíciet veritátem, & in servis suis consolábitur. ℣. Omnis disciplína in præsénti quidem vidétur esse mœróris: póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam reddet justítiæ. * Dóminus. 2. *Machab.* 7. 1. 5. 6. *Hebr.* 12. 11.

Lectio vj.

DEinde Ptolemæus Lagi filius, post Alexándri mortem, captívos inde in Ægyptum tránstulit, quos ejus succéssor Ptolemæus Philadélphus benevolentíssimè inde dimísit: per quem factum est ut septuagínta Intérpretum Scriptúras haberémus. Deínde Judæi contríti sunt bellis, quæ in Machabæórum libris explicántur. Post hæc capti à rege Alexandríæ Ptolemæo, qui est appellátus Epíphanes, inde ab Antíocho rege Syriæ multis & gravíssimis malis ad idóla colénda compúlsi: templúmque ipsum replétum sacrílegis superstitiónibus géntium; quod tamen dux eórum Judas, qui étiam Machabæus dictus est, Antíochi dúcibus pulsis, ab omni illa idololatríæ contaminatióne mundávit.

℟. Supra modum mater mirábilis, voce pátriâ fórtiter, dixit ad eos: * Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, & spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vos metípsos despícitis propter leges ejus. ℣. Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere. * Mundi. Glória. * Mundi. 2. *Machab.* 7. 20. 21. 22. 23. *Matth.* 10. 28.

IN III. NOCTURNO:

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9. *v.* 1.

IN illo témpore; Ascéndens Jesus in navículam, transfretávit, & venit in civitátem suam. Et ecce offerébant ei paralyticum jacéntem in lecto. Et videns Jesus fidem illórum, dixit paralytico: Confíde, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et réliqua.

Homília sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 50.

CHristum in humánis áctibus divína gessísse mystéria, & in rebus visibílibus invisibília exercuísse negótia, léctio hodiérna monstrávit. Nonne ipse est, qui fugátis flúctibus, maris profúnda nudávit, ut Israelíticus pópulus inter stupéntes undas sicco vestígio velut móntium cóncava pertransíret? Nonne hic est qui Petri pédibus marínos vórtices inclinávit, ut inter líquidum, humánis gréssibus sólidum præbéret

obséquium? Et quid est quod ipse sibi maris sic déneget servitútem, ut brevíssimi lácûs tránsitum sub náutica mercéde transfretáret? Quid mirum, fratres? Christus venit suscípere infirmitátes nostras, & suas nobis conférre virtútes: humána quærere, præstáre divína; accípere injúrias, réddere dignitátes; ferre tædia, referre sanitátes; quia médicus qui non fert infirmitátes, curáre nescit; & qui non fúerit cum infírmo infirmátus, infírmo non potest conférre sanitátem.

℞. Spíritus timéntium Deum quæritur, & in respéctu illíus benedicétur: * Spes enim illórum in salvántem illos, & óculi Dei in diligéntes se. ℣. Ecce offerébant Jesu paralyticum; & videns Jesus fidem illórum, ait paralytico: Confíde, fili, * Spes enim. *Eccli.* 34. 14. 15. *Matth.* 9. 2.

Lectio viij.

Ecce offerébant ei paralyticum jacéntem in lecto; & respíciens Jesus fidem illórum, dixit paralytico: Confíde, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Audit véniam, & tacet paralyticus, nec ullam respóndet grátiã; quia plus córporis quàm ánimæ tendébat ad curam, & temporáles ærúmnas resolúti córporis sic deflébat, ut ætérnas pœnas resolutiónis ánimæ non defléret, gratiórem sibi præséntem vitam júdicans, quàm futúram. Méritò Christus operántium fidem réspicit, & vecórdiam réspicit sic jacéntis, ut fídei aliénæ suffrágio paralytici ánima antè curarétur quàm corpus. Cérnitis in hoc loco, fratres, Deum non interrogáre insipiéntium hóminum voluntátes, non expectáre ignorántium fidem, non infirmórum stulta desidéria perscrutári; sed ad altérius fidem subveníre, quod per solam grátiam conferébat, cùm quidquid divínæ voluntátis est, non negáret.

℞. Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo; * In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndùm divítias grátiæ ejus. ℣. Verè languóres nostros ipse tulit, & pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrûm. * In quo. *Ephes.* 1. 6. 7. *Is.* 53. 4. 6.

Lectio ix.

Et revéra, fratres, quando médicus languéntiũ aut quærit aut réspicit voluntátes; cùm semper cóntrária desíderet, aut requírat infírmus? Hinc est quòd nunc ferrum, nunc ignem, nunc amára pócula íngerit, & appónit invítis, ut curam sani séntiant, quam non póterant sentíre ægrotántes. Et si homo injúrias déspicit, maledícta contémnit, ut sauciitis morbo sponte vitam

cónferat & salútem : quantò magis Christus médicus bonitáte divínâ, morbis sáucios peccatórum, & phrenesi críminum laborántes, ad salútem étiam invítos attrahit, & noléntes? O si velímus, fratres! ô si velímus omnem mentis nostræ parálysim pervidére, ánimam nostram virtútibus destitútam jacére in vitiórum stratis cernerémus! Lucéret nobis quemádmodum Christus & nostras quotídie nóxias réspicit voluntátes, & ad salutária nos remédia pértrahit, & perúrget invítos.

℟. Bénedic, * Anima mea, Dómino: noli oblivísci omnes retributiónes ejus; qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; † Qui sanat omnes infirmitátes tuas; qui rédimit de intéritu vitam tuam. ℣. Lex spíritûs vitæ in Christo Jesu liberávit me à lege peccáti & mortis. * Anima mea. Glória. † Qui sanat. *Ps.* 102. 2. 3. 4. *Rom.* 8. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 5. *A.* Ait Jesus paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surréxit, & ábiit in domum suam. *Matth.* 9. 6. 7.

Oratio.

DEus infinítæ misericórdiæ, & bonitátis imménsæ, propitiare iniquitátibus nostris, & ómnibus animárum nostrárum medére languóribus; ut peccatórum nostrórum remissióne percéptâ, semper in nóminis tui benedictióne lætémur; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Reménsi.

An. 1564. *Cong.* 5.

QUóniam à primæva Breviárii institutióne id antíqui Patres voluísse vidéntur; ut síngulis Hebdómadis totum Psaltérium recitarétur; in Breviário, Davídici Psalmi ita per dies síngulos dispónántur, ut totus Psalmórum liber in unâquâque Hebdómada recitétur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 2. *D.* Vidéntes turbæ timuérunt, & glorificavérunt Deum, qui dedit potestátem talem homínibus. *Matth.* 9. 8.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. *Cap.* 3. *v.* 1. *ad* 8.

IGitur cùm sancta cívitas habitarétur in omni pace, leges étiam adhuc óptimè custodiréntur, propter Oníæ pontíficis pietátem, & ánimos ódio habéntes mala, fiébat ut & ipsi reges & príncipes locum summo honóre dignum dúcerent, & templum máximis munéribus illustrárent; ita ut Seleúcus Asiæ rex de reddítibus suis præstáret omnes sumptus ad ministérium sacrificiórum pertinéntes. Simon autem de tribu Bénjamin præpósitus templi constitútus, contendé-

bat, obsisténte sibi príncipe Sacerdótum, iníquum áliquid in civitáte molíri. Sed cùm víncere Oníam non posset, venit ad Apollónium Tharsææ fílium, qui eo témpore erat dux Cœlesyriæ, & Phœnícis; & nuntiávit ei, pecúniis innúmerabílibus plenum esse ærárium Jerosólymis, & commúnes cópias imménsas esse, quæ non pértinent ad ratiónem sacrificiórum: esse autem possíbile sub potestáte regis cádere univérsa. Cùmque retulísset ad regem Apollónius de pecúniis quæ delátæ erant ille accítum, Heliodórum, qui erat super negótia ejus, misit cum mandátis, ut prædíctam pecúniam transportáret.

℟. Miserére, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 243.

Lectio ij. v. 23. ad 28.

HEliodórus autem quod decréverat, perficiébat eódem loco ipse cum satellítibus circa ærárium præsens. Sed Spíritus omnipoténtis Dei magnam fecit suæ ostensiónis evidéntiam; ita ut omnes, qui ausi fúerant parére ei, ruéntes Dei virtúte, in dissolutiónem & formídinem converteréntur. Appáruit enim illis quidam equus terríbilem habens sessorem, óptimis operiméntis adornátus: isque cum ímpetu Heliodóro prióres calces elísit: qui autem ei sedébat, videbátur arma habére áurea. Alii étiam apparuérunt duo júvenes virtúte decóri, óptimi glóriâ, speciosíque amíctu; qui circumstetérunt eum, & ex utrâque parte flagellábant, sine intermissióne multis plagis verberántes. Súbitò autem Heliodórus cóncidit in terram, eúmque multâ calígine circumfúsum rapuérunt, atque in sella gestatória pósitum ejecérunt.

℟. In áliis. *pag.* 243.

Lectio iij. v. 32. ad 36.

COnsíderans autem summus Sacérdos, ne fortè rex suspicarétur malítiam áliquam ex Judæis circa Heliodórum consummátam, óbtulit pro salúte viri hóstiam salutárem. Cùmque summus Sacérdos exoráret, iídem júvenes eísdem véstibus amícti, astántes Heliodóro, dixérunt: Oníæ sacerdóti grátias age; nam propter eum, Dóminus tibi vitam donávit. Tu autem à Deo flagellátus, núntia ómnibus magnália Dei, & potestátem. Et his dictis, non comparuérunt. Heliodórus autem, hóstiâ Deo oblátâ, & votis magnis promíssis ei qui vívere illi concéssit, & Oníæ grátias agens, recépto exércitu, repedábat ad regem.

℟. Fácile, *pag.* 244.

C A N O N

Ex Concílio Narbonénsi.

An. 589. *Can.* 2.

HOc definítum est, ut in psalléndis ordínibus,

per quemque Psalmum, glória dicatur omnipoténti Deo: per majóres verò Psalmos, prout prolíxiùs fúerint, pausatiónes fiant; & per quamcúmque pausatiónem, glória Trinitátis Dómino decantétur.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 4. v. 1. ad 7.

SImon prædíctus pecuniárum & pátriæ delátor, malè loquebátur de Onía, tamquam ipse Heliodórum instigásset ad hæc, & ipse fuísset incéntor malórum: provisorémque civitátis, ac defensórem gentis suæ, & æmulatórem legis Dei, audébat insidiatórem regni dícere. Sed, cùm inimicítiæ in tantum procéderent, ut étiam per quosdam Simónis necessários homicídia fíerent: consíderans Onías perículum contentiónis, & Apollónium insaníre, útpote ducem Cœlesyriæ & Phœnícis, ad augéndam malítiam Simónis, ad regem se cóntulit, non ut cívium accusátor, sed commúnem utilitátem apud semetípsum univérsæ multitúdinis consíderans. Videbat enim sine regáli providéntia impossíbile esse pacem rebus dari, nec Simónem posse cessare à stultítia sua.

℟. Ingémuit, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 244.

Lectio ij. v. 7. ad 12.

SEd post Seleúci vitæ excéssum, cùm suscepísset regnum Antíochus, qui Nóbilis appellabátur, ambiébat Jàson frater Oníæ summum sacerdótium: adíto rege, promíttens ei argénti taléntá trecénta sexagínta, & ex reddítibus áliis taléntá octogínta, super hæc promittébat & alia centum quinquagínta, si potestáti ejus concederétur gymnásium & ephébiam sibi constitúere, & eos, qui in Jerosólymis erant, Antiochénos scríbere. Quod cùm rex annuísset, & obtinuísset principátum, statim ad gentílem ritum contríbules suos transférre cœpit. Et amótis his, quæ humanitátis causâ Judæis à régibus fúerant constitúta, per Joánnem patrem Eupólemi, qui apud Romános de amicítia & societate functus est legatióne legítimâ, cívium jura destítuens, prava institúta sanciébat.

℟. Septem, *pag.* 245.

Lectio iij. v. 23. ad medium 27.

ET post triénnii tempus misit Jason Menélaum, supra dicti Simónis fratrem, portántem pecúnias regi, & de negótiis necessáriis respónsa perlatúrum. At ille commendátus regi, cùm magnificásset fáciem potestátis ejus, in semetípsum retórsit summum sacerdótium, superpónens Jasóni taléntá

argénti trecénta. Acceptísque à rege mandátis venit, nihil quidem habens dignum sacerdótio; ánimos verò crudélis tyránni, & feræ béllüæ iram gerens. Et Jason quidem, qui próprium fratrem captiváverat, ipse decéptus profugus in Ammanítem expúlsus est regiónem. Menélaus autem principátum quidem obtínuit.

℟. Supra, pag. 245.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. Part. 2. Cap. 6.

CUm olim à sanctis Pátribus institútum sit, ut solæ Scriptúræ sacræ in Ecclésia recitaréntur, nescímus quâ incúriâ accíderit, ut in eárum locum succésserint ália cum his neútiquam comparánda; atque ínterim históriæ Sanctórum tam incúltæ, ut nec auctoritátem habére videántur nec gravitátem. Vidébimur ergo óperæ prétium factúri, si amputátis supérfluis, & quæ superstitiósius invécta vidéri possunt, ea tantùm quæ dignitáti Ecclésiæ, & príscis institútis consentánea fúerint relinquántur.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. Cap. 1. v. 21. ad 27.

COnvértit Antíochus, postquam percússit Ægyptum in centésimo & quadragésimo tértio anno: & ascéndit ad Israel, & ascéndit Jerosólymam in multitúdine gravi. Et intrávit in sanctificatiónem cum supérbia, & accépit altáre áureum, & candelábrum lúminis, & univérsa vasa ejus, & mensam propositiónis, & libatória, & phíalas, & mortaríola áurea, & velum, & corónas, & ornaméntum áureum, quod in fácie templi erat: & comminúit ómnia. Et accépit argéntum, & aurum, & vasa concupiscibília: & accépit thesáuros occúltos, quos invénit: & sublátis ómnibus ábiit in terram suam. Et fecit cædem hóminum, & locútus est in supérbia magna. Et factus est planctus magnus in Israel, & in omni loco eórum.

℟. Spíritus, ex 3. Noct. Dom. pag. 246.

Lectio ij. v. 43. ad 53.

ET scripsit rex Antíochus omni regno suo, ut esset omnis pópulus, unus: & relínqueret unusquísque legem suam. Et consensérunt omnes Gentes secúndùm verbum regis Antíochi: & multi ex Israel consensérunt servitúti ejus, & sacrificavérunt idólis, & coinquinavérunt sábbatum. Et misit rex libros per manus nuntiórum in Jerúsalem, & in omnes civitátes Juda: ut sequeréntur leges Géntium terræ, & prohibérent holocáusta, & sacrifícia, & placatiónes fíeri in templo Dei,

& prohibérent celebrári sábbatum, & dies solémnes: & jussit coinquinári sancta, & sanctum pópulum Israel. Et jussit ædificári aras, & templa, & idóla, & immolári carnes suíllas, & pécora commúnia, & relínquere fílios suos incircumcísos, & coinquinári ánimas eórum in ómnibus immúndis, & abominatiónibus, ita ut oblivisceréntur legem, & immutárent omnes justificatiónes Dei. Et quicúmque non fecíssent secúndùm verbum regis Antíochi, moreréntur.

℟. Gratificávit, *pag.* 246.

Lectio iij. v. 57. *ad* 64.

Die quintâ décimâ mensis Casleu, quinto & quadragésimo & centésimo anno, ædificávit rex Antíochus abominándum idólum desolatiónis super altáre Dei, & per univérsas civitátes Juda in circúitu ædificavérunt aras: & ante jánuas domórum, & in platéis incendébant thura, & sacrificábant: & libros legis Dei combussérunt igni, scindéntes eos: & apud quemcúmque inveniebántur libri testaménti Dómini, & quicúmque observábat legem Dómini, secúndùm edíctum regis trucidábant eum. In virtúte sua faciébant hæc pópulo Israel, qui inveniebátur in omni mense & mense in civitátibus. Et quintâ & vigésimâ die mensis sacrificábant super aram quæ erat contra altáre, Et mulíeres, quæ circumcidébant fílios suos, trucidabántur secúndùm jussum regis Antíochi.

℟. Bénedic, *pag.* 247.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi primo.

An. 1565. *Part.* 2. *Tit.* 21.

Qui sacris initiáti benefícium Ecclesiásticum non habent, si divínum prætermíserint Offícium, præter grave peccátum quod commíttunt, gráviter étiam ab Epíscopis in eos animadvertátur.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. *Cap.* 6. *v.* 18. *ad* 23.

Eleázarus unus de primóribus Scribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, apérto ore hians compellebátur carnē porcínam manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad supplícium. Intuens autem, quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. Hi autem qui astábant, iníquâ miseratióne cōmóti, propter antíquam viri amicítiam, tolléntes eum secrétò rogábant afférri carnes, quibus vesci ei licébat, ut simularétur manducásse,

sicut rex imperáverat, de sacrifícii cárnibus; ut, hoc facto à morte liberarétur: & propter véterem viri amicítiam, hanc in eo faciébant humanitátem.

℟. Miserére, ex 1. Noct. Dom. pag. 243.

Lectio ij. v. 23. ad 29.

AT ille cogitáre cœpit ætátis ac senectútis suæ eminéntiam dignam, & ingénitæ nobilitatis caníties, atque à púero óptimæ conversatiónis actus: & secúndum sanctæ & à Deo cónditæ legis constitúta, respóndit citò, dicens, præmítti se velle in inférnum. Non enim ætáti nostræ dignum est, inquit, fíngere: ut multi adolescéntium, arbitrántes Eleázarum nonagínta annórum transisse ad vitam alienigenárum; & ipsi propter meam simulatiónem & propter módicũ corruptíbilis vitæ tempus decipiántur; & per hoc máculam, atque execratiónem meæ senectúti conquíram. Nam, etsi in præsénti témpore suppliciis hóminum erípiar, sed manum Omnipoténtis, nec vivus nec defúnctus effúgiam. Quamóbrem fórtiter vitâ excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo; adolescéntibus autem exémplum forte relínquam, si prompto ánimo, ac fórtiter pro gravíssimis ac sanctíssimis légibus honéstâ morte perfúngar. His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur.

℟. In áliis, pag. 243.

Lectio iij. v. 29. ad finem.

HI autem, qui eum ducébant, & paulò ante fúerant mitióres, in iram convérsi sunt propter sermónes ab eo dictos, quos illi per arrogántiam prolatos arbitrabántur. Sed cùm plagis perimerétur, ingémuit, & dixit: Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, maniféstè tu scis, quia, cùm à morte possem liberari, duros córporis sustíneo dolóres; secúndùm ánimam verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. Et iste quidem hoc modo vitâ decéssit, non solùm juvénibus, sed & univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens

℟. Facile, pag. 244.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. Part. 3. Cap. 2.

SAcérdos Clericúsve sacris initiátus, aut Ecclesiásticum benefícium óbtinens, horárum Canonicárum Offício cùm astríctus sit: si quando córporis infirmitáte affé ctus est, ipse pro sua consciéntia rectè vídeat quid præstáre possit, ac ne omitténdo gráviter peccet, & beneficii, quod habet, fructus suos non fáciat.

FERIA SEXTA.
De libris Machabæórum.
Lectio j. Lib. 2. Cap. 7. v. 1. ad 10.

Contigit autem & septem fratres unà cum matre sua apprehénsos, compélli à rege édere contra fas carnes porcínas, flagris & táureis cruciátos. Unus autem ex illis qui erat primus, sic ait: Quid quæris, & quid vis díscere à nobis? Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricári. Irátus ítaque rex, jussit sartágines & ollas æneas succéndi: quibus statim succénsis, jussit ei qui prior fúerat locútus, amputári linguam; &, cute cápitis abstráctâ, summas quoque manus & pedes ei præscíndi, cæteris ejus frátribus & matre inspiciéntibus. Et, cùm jam per ómnia inútilis factus esset, jussit ignem admovéri, & adhuc spirántem torréri in sartágine: in qua cùm diu cruciarétur, cæteri unà cum matre ínvicem se hortabántur mori fórtiter, dicéntes: Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis; quemádmodum in protestatióne Cántici declarávit Móyses: Et in servis suis consolábitur. Mórtuo ítaque illo primo, hoc modo, sequéntem deducébant ad illudéndum; & cute cápitis ejus cum capíllis abstráctâ, interrogábant, si manducáret priùsquam toto córpore per membra síngula puniréntur. At ille respóndens pátriâ voce, dixit: Non fáciam. Propter quod & iste, sequénti loco, primi torménta suscépit; & in último spíritu constitútus, sic ait: Tu quidem, sceleſtíssime, in præsénti vita nos perdis; sed Rex mundi defúnctos nos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit.

℟. Ingémuit, *ex 2. Noct. Dom. pag. 244.*

Lectio ij. v. 10. ad 20.

Post hunc tértius illúditur, & linguam postulátus citò prótulit, & manus constánter exténdit: & cum fidúcia ait: E cœlo ista possídeo, sed propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipsó me ea recepturum spero; ita ut rex, & qui cum ipso erant, miraréntur adolescéntis ánimum, quòd tamquam níhilum dúceret cruciátus. Et hoc ita defúncto, quartum vexábant simíliter torquéntes. Et cùm jam esset ad mortem, sic ait: Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, íterum ab ipso resuscitándos; tibi enim resurréctio ad vitam non erit. Et cùm admovíssent quintum, vexábant eum. At ille respíciens in eum, dixit: Potestátem inter hómines habens, cùm sis corruptíbilis, facis quod vis: noli autem putáre genus

nostrum à Deo esse derelíctum : tu autem patiénter sústine, & vidébis magnam potestátem ipsius, quáliter te & semen tuum torquébit. Post hunc ducébant sextum, & is mori incípiens, sic ait: Noli frustrà erráre : nos enim propter nosmetípsos hæc pátimur, peccántes in Deum nostrum, & digna admiratióne facta sunt in nobis : tu autem ne exístimes tibi impúnè futúrum, quòd contra Deum pugnáre tentáveris.

℟. Septem, *pag.* 245.

Lectio iij. v. 20. ad 24.

SUpra modum autem mater mirábilis, & bonórũ memóriâ digna, quæ pereúntes septem filios sub unius diéi témpore conspíciens, bono ánimo ferébat propter spem quam in Deum habébat : síngulos illórum hortabátur voce pátriâ fórtiter, repléta sapientiâ; & fœmíneæ cogitatióni masculínum ánimum ínserens, dixit ad eos : Néscio quáliter in útero meo apparuístis; neque enim ego spíritum, & ánimam donávi vobis & vitam, & singulórum membra non ego ipsa compégi; sed enim mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit orígimem, & spíritum vobis íterum cum misericórdia reddet & vitam, sicut nunc vosmetípsos despícitis propter leges ejus.

℟. Supra, *pag.* 245.

CANON

Ex Concílio Treviréns secúndo.

An. 1549. *Cap.* 6.

OMnes qui Horis Canónicis persolvéndis deputáti sunt, dent óperam, ut, colléctis ánimis, quoad fieri potest, débitum pensum absólvant : nec ita se hábeant, ut dum voce psallunt, quidvis pótiùs quàm Deum ánimo cogitáre videántur.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 7. v. 24. ad 27.

ANtíochus contémni se arbitrátus, simul & exprobrántis voce despéctâ, cùm adhuc adolescéntior superésset, non solùm verbis hortabátur, sed & cum juraménto affirmábat, se dívitem, & beátum factúrum, & translátum à pátriis légigus amícum habitúrum, & res necessárias ei præbitúrum. Sed ad hæc cùm adoléscens nequáquam inclinarétur, vocávit rex matrem, & suadébat ei ut adolescénti fieret in salútem. Cùm autem multis eam verbis esset hortátus, promísit suasúram se filio suo.

Lectio ij. v. 27. ad 30.

ITaque inclináta ad illum, irrídens crudélem tyránnum, ait pátriâ voce : Fili mi, miserére meî, quæ te

in útero novem ménsibus portávi, & lac triénnio dedi & álui, & in ætátem istam perdúxi. Peto, nate, ut aspícias ad cœlum & terram, & ad ómnia quæ in eis sunt; & intélligas, quia ex níhilo fecit illa Deus, & hóminum genus: ita fiet, ut non tímeas carníficem istum; sed dignus frátribus tuis effèctus párticeps, súscipe mortem, ut in illa miseratióne cum frátribus tuis te recípiam.

Lectio iij. v. 30. ad 42.

CUm hæc illa adhuc díceret, ait adoléscens: Quem sustinétis? non obédio præcépto regis, sed præcépto legis quæ data est nobis per Móysen. Tu verò, qui invéntor omnis malítiæ factus es in Hebræos, non effúgies manum Dei. Nos enim pro peccátis nostris hæc pátimur: & si nobis propter increpatiónem & correptiónem Dóminus Deus noster módicùm irátus est; sed iterum reconciliábitur servis suis. Tu autem, ó sceléste, & ómnium hóminum flagitiosíssime, noli frustrà extólli vanis spebus in servos ejus inflammátus; nondum enim omnipoténtis Dei & ómnia inspiciéntis, judícium effugisti. Nam fratres mei, modico nunc dolóre sustentáto, sub testaménto ætérnæ vitæ effécti sunt: tu verò judício Dei justas supérbiæ tuæ pœnas exsólves. Ego autem, sicut & fratres mei, ánimam & corpus meum trado pro pátriis légibus, invocans Deum matúriùs genti nostræ propítium fíeri, teque cum torméntis & verbéribus confitéri quòd ipse est Deus solus. In me verò & in frátribus meis désinet Omnipoténtis ira, quæ super omne genus nostrum justè superdúcta est. Tunc rex accénsus irâ, in hunc super omnes crudéliùs desævit, indígnè ferens se derísum. Et hic itaque mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. Novíssimè autem post filios & mater consúmpta est.

CANON

Ex Concílio Trevirénsi secúndo.

An. 1549. Cap. 6.

QUi extra Chorum Horas privátim legunt, neque somnoléntè, aut truncátis verbis, aut intra fauces compresso spíritu, preces demurmuráre videántur; sed articulátè, distínctè, disértè, & cum attentióne integrè ómnia pronúntient.

Ad Magnif. *Ant. t. 7.* C. Simon Mathathiæ fílius, & fratres ejus dedérunt se perículo, & restitérunt adversáriis gentis suæ, ut starent sancta ipsórum, & lex: & glóriâ magnâ glorificavérunt gentem suam. 1. *Machab.* 14. 29.

Oratio, ut infrà in Laudibus

DOMINICA XIX.
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO.
De libris Machabæórum.
Lectio j. Lib. I. *Cap.* 2. *v.* I. *ad* 14.

IN diébus illis surréxit Mathathías filius Joannis, filii Simeónis, sacérdos ex filiis Jóarib ab Jerúsalem, & consédit in monte Modin: & habébat filios quinque; Joánnem, qui cognominabátur Gaddis; & Simónem, qui cognominabátur Thasi; & Judam, qui vocabatur Machabæus; & Eleázarum, qui cognominabátur Abaron; & Jónathan, qui cognominabátur Apphus. Hi vidérunt mala quæ fiébant in pópulo Juda, & in Jerúsalem. Et dixit Mathathías: Væ mihi, ut quid natus sum vidére contritiónem pópuli mei, & contritiónem civitátis sanctæ, & sedére illic, cùm datur in mánibus inimicórum? Sancta in manu extraneórum facta sunt; templum ejus sicut homo ignóbilis. Vasa glóriæ ejus captiva abdúcta sunt: trucidati sunt senes ejus in platéis, & júvenes ejus cecidérunt in gládio inimicórum. Quæ gens non hæreditávit regnum ejus, & non obtínuit spólia ejus? Omnis composítio ejus abláta est. Quæ erat libera, facta est ancilla. Et ecce sancta nostra, & pulchritúdo nostra, & cláritas nostra desoláta est, & coinquinavérunt ea gentes. Quò ergo nobis adhuc vívere?

℟. Dixit Mathathías filiis suis: Nunc confortáta est supérbia, & castigátio, & tempus eversiónis. * Nunc ergo, ô filii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras, pro testaménto patrum vestrórum. ℣. Mementóte præpositórum vestrórum, quorum intuéntes éxitum, imitámini fidem. * Nunc ergo. I. *Machab.* 2. 49. 50. *Hebr.* 13. 7.

Lectio ij. v. 14. *ad* 19.

ET scidit vestiménta sua Mathathías, & filii ejus; & operuérunt se cilíciis, & planxérunt valdè. Et venérunt illuc qui missi erant à rege Antíocho, ut cógerent eos qui confúgerant in civitátem Modin, immoláre, & accéndere thura, & à lege Dei discédere. Et multi de pópulo Israel consentiéntes accessérunt ad eos; sed Mathathías, & filii ejus constánter stetérunt. Et respondéntes qui missi erant ab Antíocho, dixérunt Mathathíæ: Princeps, & claríssimus, & magnus es in hac civitáte, & ornátus filiis & frátribus: ergo accéde prior, & fac jussum regis, sicut fecérunt omnes gentes, & viri Juda, & qui remansérunt in Jerúsalem; & eris tu, & filii tui inter amicos regis, & amplificátus auro, & argénto, & munéribus multis.

℟. Cogitáte per generatiónem

tiónem & generatiónem: quia omnes qui sperant in Deum, non infirmántur. * A verbis viri peccatóris ne timuéritis; quia glória ejus vermis est. Vos ergo, fílii, viríliter ágite in lege: quia in ipsa glorióſi éritis. ℣. Obedíre opórtet Deo magis, quàm homínibus. * A verbis. 1. *Machab.* 2. 61. 62. 64. *Act.* 5. 29.

Lectio iij. v. 19. *ad* 27.

ET respóndit Mathathías, & dixit magnâ voce: Et si omnes gentes regi Antíocho obédiunt, ut discédat unusquísque à servitute legis patrum suórum, & conséntiat mandátis ejus; ego, & fílii mei, & fratres mei obediémus legi patrum nostrórum. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem, & justítias Dei; non audiémus verba regis Antíochi, nec sacrificábimus transgrediéntes legis nostræ mandáta, ut eámus álterâ viâ. Et ut cessávit loqui verba hæc, accéssit quidam Judæus in ómnium óculis sacrificáre idólis super aram in civitáte Modin, secúndùm jussum regis: & vidit Mathathías, & dóluit, & contremuérunt renes ejus, & accénsus est furor ejus secúndùm judícium legis; & insíliens trucidávit eum super aram: sed & virum quem rex Antíochus míserat, qui cogébat immoláre, occídit in ipso témpore & aram destrúxit, & zelátus est legem, sicut fecit Phinees Zamri fílio Salomi.

℟. Illi quidem armis confídunt simul & audáciâ: * Nos autem in omnipoténte Dómino, qui potest & veniéntes advérsùm nos, & univérsum mundum uno nutu delére, confídimus. ℣. Hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. * Nos autem. Glória.* Nos. 2. *Machab.* 8. 18. 1. *Joan.* 5. 4.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iv. in Psalm. 43.

MAchabæi, cùm invasísset Judæam Antíochus, qui dictus est Epíphanes, & ómnia devastásset, & multos qui tunc erant, à pátriis institútis resilíre coegísset, permansérunt illæsi ab illis tentatiónibus. Et quando grave quidem bellum ingruébat, nec quidquam póterant fácere quod prodésset, se abscondébant; nam hoc quoque fecérunt Apóstoli. Non enim semper præséntes in média irruébant perícula; sed nonnúmquam fugiéntes & laténtes cedébant. Postquam autem parum respiráverant, tamquàm generósi quidam leúnculi, ex antris exiliéntes, & è látebris emergéntes, statuébant se non ámpliùs solos serváre, sed álios quoscúmque possent: & civitátem, & omnem regiónem obeún-

tes, collegérunt quotquot invenérunt adhuc sanos & íntegros: & multos étiam qui laborábant & corrúpti erant, in statum prístinum redegérunt, eis persuadéntes redíre ad legem pátriam.

℟. Machabæus, & fratres ejus * Præliabántur prælium Israel cum lætítia: dilatávit glóriam pópulo suo: omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt: & diréćta est salus in manu ejus. ℣. Fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum. * Præliabántur. 1. *Machab.* 3. 1. 2. 3. 6. *Hebr.* 11. 34.

Lectio v.

DEum enim dicébant esse benígnum & cleméntem, nec umquam adímere salútem quæ profiscíscitur ex pœniténtia. Hæc autem dicéntes, habuérunt deléctum fórtium virórum. Non enim pro uxóribus, líberis, & ancíllis patriæque eversióne, & captivitáte, sed pro lege, & pátria república pugnábant. Eórum autem dux erat Deus. Cùm ergo áciem dirígerent, & próprias expónerent ánimas, fundébant adversários, non armis fidéntes; sed loco omnis armatúræ pugnæ causam sufficere ducéntes. Ad bellum autem eúntes, non tragœdias excitábant; non pæána canébant, sicut nonnúlli fáciunt: non adsciscébant tibícines, ut fit in áliis castris; sed Dei supérnè auxílium invocábant; ut adésset, opem ferret, & manum prætéret, propter quem bellum gerébant, pro cujus glória decertábant.

℟. Quid faciémus? Sancta tua conculcáta sunt, sacerdótes tui facti sunt in luctum: ecce natiónes convenérunt advérsùm nos. *Quómodo poterimus subsístere ante fáciem eórum, nisi tu, Deus, ádjuves nos? ℣. Omnem tribulatiónem passi sumus: foris pugnæ, intus timóres. * Quómodo. 1. *Mach.* 3. 50. 51. 52. 53. 2. *Cor.* 7. 5.

Lectio vj.

VIdeámus ergo quid hæc castra Dei loquántur, quæ sunt spirituáli muníta auxílio, cùm sunt hostes aggressúra. Deus, áuribus nostris audívimus. Quia enim nonnúlli eórum qui cum ipsis stabant in ácie, Antíochi multitúdinem, instrúctam áciem, & victóriam vidéntes, quòdque ómnia primo ímpetu cepísset, propriámque imbecillitátem & paucitátem consideràntes, mollióres erant & imbecillióres; eórum ánimos spiritúsque éxcitans, & osténdens in Dei ductu univérsum situm esse, & absque exércitu, si is opem ferat, posse parári victóriam, instar precatiónis compósitam suasiónem & exhortationem effert ad commilitónes, & Deum álloquens, eos promptióres red-

dit & alacrióres. Sed tamquam hæc eis deéssent quæ jure afférre possent, nec fidúciam ex suis factis habérent, ad ea quæ Deus majóribus illórum fécerat confúgiunt... Prompti autem & álacris ánimi sui non parvam hinc quoque causam státuunt.

℟. Ne timuéritis multitúdinem eórum, & ímpetum eórum ne formidétis. Mementóte quáliter salvi facti sunt patres nostri.* Et nunc clamémus in cœlum; & miserébitur nostri Dóminus, & † Scient omnes gentes, quia est qui líberet Israel. ℣. Gentes éxpulit Deus à fácie patrum nostrórum. * Et nunc. Glória † Scient. 1. *Mach.* 4. 8. 9. 10. 11. *Act.* 7. 45.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22. *v.* 1.

IN illo témpore; Respóndens Jesus, dixit íterum in parábolis Princípibus Sacerdótum, & Pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 38. *in Evang. hab. in Basil. S. Clementis. N.* 3.

INtélligit cháritas vestra, quis est iste Rex, Regis Fílii Pater; Ille nimírum cui Psalmísta dicit: Deus, judícium tuum Regi da, & justítiam tuam Filio Regis. In hoc Pater regi Filio núptias fecit, quòd ei per Incarnatiónis mystérium sanctam Ecclésiam sociávit. Uterus autem genitrícis Vírginis, hujus sponsi thálamus fuit. Unde & Psalmísta dicit: In sole pósuit tabernáculum suum, & ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo. Tamquam sponsus quippe de thálamo suo procéssit, quia ad conjungéndam sibi Ecclésiam incarnátus Deus de incorrúpto útero Vírginis exívit. Misit ergo servos suos ut ad istas núptias amícos invitárent. Misit semel, misit íterum; quia Incarnatiónis Domínicæ prædicatóres, & priùs Prophétas, & póstmodum Apóstolos fecit.

℟. Demus glóriam Deo: quia venérunt núptiæ Agni, & uxor ejus præparávit se. Et datum est illi, ut coopériat se byssíno splendénti: byssínum enim * Justificatiónes sunt Sanctórum: beáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt. ℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis áureis circumamícta varietátibus. * Justificatiónes. *Apoc.* 19. 7. 8. 9. *Ps.* 44. 14. 15.

Lectio viij. n. 5. *&* 6.

SEquitur: Illi autem neglexérunt, & abiérunt, álius in villam suam, álius verò in negotiatiónem suam. In villam quippe ire, est la-

bóri terréno immoderátè incúmbere: in negotiatiónem verò ire, est actiónum sæculárium lucris inhiáre. Quia enim álius inténtus labóri terréno, álius verò mundi hujus actiónibus déditus, mystériũ Incarnatiónis Domínicæ pensáre, & secúndùm illud vívere dissímulat, quasi ad villam vel negótium pergens, veníre ad regis núptias recúsat. Et plerúmque, quod est grávius, nonnúlli vocántis grátiam, non solùm réspuunt, sed étiam persequúntur. Sed is qui invitántem se contémni consp icit, Regis Filii sui núptias vácuas non habébit.

℞. Mittébat Dóminus Deus ad illos per manum nuntiórum suórum, quotídie commonens. * At illi subsannábant núntios Dei, & parvi pendébant sermónes ejus. ℣. Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo: & misit servos suos vocáre invitátos ad núptias. * At illi. *2. Paral.* 36. 15. 16. *Matth.* 22. 2. 3.

Lectio ix. n. 6. 7. & 9.

EGréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes quos invenérunt, malos & bonos, & implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Ecce jam ipsâ qualitáte conviváutium apértè osténditur quia per has regis núptias præsens Ecclésia designátur, in qua cum bonis & mali convéniunt. Si ergo boni estis, quámdiu in hac vita subsístitis, æquanímiter tolerá te malos. Intrávit autem rex ut vidéret discumbéntes: & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Quid debémus intellígere per nuptiálem vestem, nisi charitatem? Intrat enim ad núptias, sed cum nuptiáli veste non intrat, qui in sancta Ecclésia assístens, fidem habet, sed charitatem non habet. Rectè enim cháritas, nuptiális vestis vocátur; quia hanc in se Cónditor noster hábuit, dum ad sociándæ sibi Ecclésiæ núptias venit. Solâ quippe dilectióne Dei actũ est, ut ejus Unigénitus mentes sibi electórum hóminum uníret. Unde & Joánnes dicit: Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret pro nobis.

℞. Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuerunt digni. * Ite ergo ad éxitus viárum, & † Quoscúmque inveneritis, vocáte ad núptias. ℣. Sapiéntia propósuit mensam suam; misit ancillas suas ut vocárent ad arcem. * Ite ergo. Glória. † Quoscúmque. *Matth.* 22. 8. 9. *Prov.* 9. 2. 3.

Ad Bened. Ant. t. 8. C. Vidit ibi rex hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vest-

tem nuptiálem? At ille obmútuit. *Matth.* 22. 11. 12.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, de cujus múnere venit, ut tibi à fidélibus tuis dignè & laudabíliter serviátur; purífica, quæsumus, corda nostra, ut justítiâ tuâ quasi veste nuptiáli indúti, ad ætérnas Agni núptias admítti mereámur; Per.

CANON

Ex Concílio Bituricénsi.
An. 1584. *Tit.* 12. *de Celebr. Div. Off. Can.* 2.

In ómnibus Ecclésiis Cathedrálibus & Collegiátis, dato signo, & cóngruâ pulsatióne præmíssâ, débitis horis, secúndùm antíquam cujúsque loci consuetúdinem, tractìm, distínctè, & articulátè decanténtur Divínæ laudes, & preces ab Ecclésia præscríptæ, ita ut Solémne à Feriáli Officio omnes audiéntes fácilè discérnant.

Ad Magnif. Ant. t. 3. *A.* Dixit rex minístris: Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres: ibi erit fletus, & stridor déntium. *Matth.* 22. 13.
Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. *Cap.* 2. *v.* 27. *ad* 38.

Exclamávit Mathathías voce magnâ in civitáte, dicens: Omnis qui zelum habet legis, státuens testaméntū, éxeat post me. Et fugit ipse, & fílii ejus in montes, & reliquérunt quæcúmque habébant in civitáte. Tunc descendérunt multi quæréntes judíciū, & justítiam, in desértum: & sedérunt ibi ipsi, & fílii eórum, & mulíeres eórum, & pécora eórum; quóniam inundavérunt super eos mala. Et renuntiátum est viris regis, & exercítui, qui erat in Jerúsalem civitáte David, quóniam discessíssent viri quidam qui dissipavérunt mandátum regis, in loca occúlta in desérto, & abiíssent post illos multi. Et statim perrexérunt ad eos, & constituérunt advérsùs eos prælium in die sabbatórum, & dixérunt ad eos: Resístitis & nunc adhuc? Exite, & fácite secúndùm verbum regis Antíochi, & vivétis. Et dixérunt: Non exíbimus, neque faciémus verbum regis, ut polluámus diem sabbatórum. Et concitavérunt advérsùs eos prælium. Et non respondérunt eis, nec lápidem misérunt in eos, nec oppilavérunt loca occúlta, dicéntes: Moriámur omnes in simplicitáte nostra; & testes erunt super nos cœlum, & terra, quòd injústè pérditis nos.

℟. Dixit, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 256.

Lectio ij. v. 49. *ad* 55.

Et appropinquavérunt dies Mathathíæ moriéndi, & dixit fíliis suis: Nunc

confortáta est supérbia, & castigátio, & tempus eversiónis, & ira indignatiónis. Nunc ergo, ô filii, æmulatóres estóte legis, & date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum, & mementóte óperum patrum, quæ fecérunt in generatiónibus suis; & accipiétis glóriam magnam, & nomen ætérnum. Abraham nonne in tentatióne invéntus est fidélis, & reputátum est ei ad justítiam? Joseph in témpore angústiæ suæ custodívit mandátum, & factus est dóminus Ægypti. Phínees pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni.

℟. Cogitáte, *pag.* 256.

Lectio iij. v. 64. ad finem.

VOs ergo, filii, confortámini, & viríliter ágite in lege; quia in ipsa glorióſi éritis. Et ecce Simon frater vester, scio quòd vir consílii est: ipsum audíte semper, & ipse erit vobis pater. Et Judas Machabæus fortis víribus à juventúte sua, sit vobis princeps milítiæ; & ipse aget bellum pópuli. Et adducétis ad vos omnes factóres legis: & vindicáte vindíctam pópuli vestri. Retribúite retributiónẽ Géntibus, & inténdite in præcéptum legis. Et benedíxit eos, & appósitus est ad patres suos. Et defúnctus est anno centésimo & quadragésimo sexto; & sepultus est à filiis suis in sepúlchris patrum suórum in Modin, & planxérunt eum omnis Israel planctu magno.

℟. Illi, *pag.* 257.

CANON

Ex Concílio Senonénsi.

An. 1528. *Cap.* 18. *Decret. Morum.*

HOras Canónicas dictúri, cùm in Choro fúerint, gravitátem servent quã locus & offícium expóscunt: non cum áliis confabulántes, seu colloquéntes, aut lítteras, seu scriptúras álias legéntes: sed omnes in Psalmis, Hymnis, & Cánticis Deo alácriter moduléntur.

FERIA TERTIA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. Cap. 3. v. 1. ad 13.

SUrréxit Judas, qui vocabátur Machabæus, fílius ejus pro eo; & adjuvábant eum omnes fratres ejus, & univérsi qui se conjúnxerant patri ejus, & præliabántur prælium Israel cum lætítia. Et dilatávit glóriam pópulo suo, & índuit se loricam sicut gigas, & succínxit se arma béllica sua in prǽliis, & protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, & sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos: & qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis; & repúlsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, & om-

nes operárii iniquitátis conturbáti sunt; & dirécta est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in opéribus suis, & in sæculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, & pérdidit ímpios ex eis, & avértit iram ab Israel. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ, & congregávit pereúntes. Et congregávit Apollónius Gentes, & à Samaría virtútem multam & magnam, ad bellándum contra Israel. Et cognóvit Judas, & exiit óbviàm illi, & percússit, & occídit illum; & cecidérunt vulneráti multi, & réliqui fugérunt; & accépit spólia eórum, & gládiū Apollónii ábstulit Judas, & erat pugnans in eo ómnibus diébus.

℟. Machabæus, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 258.

Lectio ij. v. 42. *ad* 49.

ET vidit Judas, & fratres ejus, quia multiplicáta sunt mala, & exercitus applicábant ad fines eórum: & cognovérunt verba regis, quæ mandávit pópulo fácere in intéritum & consummatiónem; & dixérunt unusquísque ad próximum suum: Erigámus dejectiónem pópuli nostri, & pugnémus pro pópulo nostro, & sanctis nostris. Et congregátus est convéntus ut essent paráti in prælium, & ut orárent, & péterent misericórdiam, & miseratiónes. Et Jerúsalem non habitabatur, sed erat sicut desértum: non erat qui ingrederétur & egrederétur de natis ejus; & sanctum conculcabátur: & filii alienigenárum erant in arce, ibi erat habitátio Géntium: & abláta est volúptas à Jacob, & defécit ibi tíbia & cíthara. Et congregáti sunt, & venérunt in Maspha contra Jerúsalem; quia locus oratiónis erat in Maspha antè in Israel. Et jejunavérunt illâ die, & induérunt se cilíciis, & cínerem imposuérunt cápiti suo; & discidérunt vestiménta sua: & expandérunt libros legis de quibus scrutabántur Gentes similitúdinem simulacrórum suórum.

℟. Quid, *pag.* 258.

Lectio iij. v. 55. *ad finem.*

ET post hæc constítuit Judas duces pópuli, tribúnos, & centurióes, & pentacontárchos, & decurióes. Et dixit his qui ædificábant domos, & sponsábant uxóres, & plantábant víneas, & formidolósis, ut redírent unusquísque in domum suam secúndùm legem. Et movérunt castra, & collocavérunt ad Austrum Emmaum. Et ait Judas: Accingímini, & estóte fílii poténtes; & estóte paráti in manè, ut pugnétis advérsùs natiónes has quæ convenérunt advérsùs nos, dispérdere nos, & sancta nostra; quóniam

mélius est nos mori in bello, quàm vidére mala gentis nostræ & sanctórum. Sicut autem fúerit volúntas in cœlo, sic fiat.

℟. Ne timuéritis, *pag.* 259.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. *Part.* 3. *Cap.* 5.

CUm psalléndi grátiâ, conveniátur in Ecclésiam, muta aut clausa lábia nemo tenúerit; sed omnes páriter, senes cum junióribus, laudent nomen Dómini, in Psalmis, Hymnis, & Cánticis, Deo alácriter modulántes.

FERIA QUARTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 1. *Cap.* 4. *v.* 6. *ad* 15.

CUm dies factus esset, appáruit Judas in campo cum tribus míllibus virórum tantùm; qui teguménta & gládios non habébant: & vidérunt castra Géntium válida, & loricátos, & equitátus in circúitu eórum, & hi docti ad prælium. Et ait Judas viris qui secum erant: Ne timuéritis multitúdinem eórum, & ímpetum eórum ne formidétis. Mementóte quáliter salvi facti sunt patres nostri in mari rubro, cùm sequeréntur eos Phárao cum exércitu multo. Et nunc clamémus in cœlum; & miserébitur nostrî Dóminus, & memor erit testaménti patrum nostrórum, & cónteret exércitum istum ante fáciem nostram hodie: & scient omnes gentes, quia est qui rédimat & líberet Israel. Et elevavérunt alienígenæ óculos suos, & vidérunt eos veniéntes ex advérso. Et exiérunt de castris in prælium, & tubâ cecinérunt hi qui erant cum Juda. Et congréssi sunt: & contrítæ sunt Gentes, & fugérunt in campum.

℟. Demus, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 259.

Lectio ij. v. 36. *ad* 44.

DIxit autem Judas, & fratres ejus: Ecce contríti sunt inimíci nostri: Ascendámus nunc mundáre sancta, & renováre. Et congregátus est omnis exércitus, & ascendérunt in montem Sion. Et vidérunt sanctificatiónem desértam, & altáre profanátum, & portas exústas, & in átriis virgúlta nata sicut in saltu vel in móntibus, & pastophória díruta. Et scidérunt vestiménta sua, & planxérunt planctu magno, & imposuérunt cínerem super caput suum: & cecidérunt in fáciem super terram, & exclamavérunt tubis signórum, & clamavérunt in cœlum. Tunc ordinávit Judas viros, ut pugnárent advérsùs eos qui erant in arce, donec emundárent sancta. Et elégit sacerdótes sine mácula, voluntátem habéntes in lege

Dei: & mundavérunt sancta.

℟. Mittébat, pag. 260.

Lectio iij. v. 53. ad 59.

ET obtulérunt sacrifícium secúndùm legem super altáre holocaustórum novum quod fecérunt. Secúndùm tempus & secúndùm diem, in qua contaminavérunt illud Gentes, in ipsa renovátum est in cánticis, & cítharis, & cínyris, & in cymbalis. Et cécidit omnis pópulus in fáciem, & adoravérunt, & benedixérunt in cœlum eum qui prosperávit eis. Et fecérunt dedicatiónem altáris diébus octo, & obtulérunt holocáusta cum lætítia, & sacrifícium salutáris & laudis. Et ornavérunt fáciem templi corónis áureis & scútulis; & dedicavérunt portas, & pastophória, & imposuérunt eis jánuas. Et facta est lætítia in pópulo magna valdè, & avérsum est oppróbrium Géntium. Et statuit Judas, & fratres ejus, & univérsa ecclésia Israel, ut agátur dies dedicatiónis altáris in tempóribus suis, ab anno in annum.

℟. Núptiæ, pag. 260.

C A N O N

Ex Concílio Senonénsi.

An. 1528. Cap. 18. Decret. Morum.

NEmo, cùm Horæ in commúni cantántur, legat, vel dicat privatim Offícium: nam non solùm Offícium, cui obnóxius est, Choro súbtrahit, sed & álios psalléntes pertúrbat... Horum transgressóres, illíus Horæ, in qua circa prædícta excessérunt, vel áliâ majóri, prout transgressiónis grávitas exegerit, plectátur pœnâ.

FERIA QUINTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 9. v. 1. ad 8.

EOdem témpore Antíochus inhonestè revertebátur de Pérside. Intráverat enim in eam quæ dícitur Persépolis, & tentávit expoliáre templum, & civitátem opprímere: sed multitúdine ad arma concurrénte, in fugam versi sunt; & ita cóntigit ut Antíochus post fugam túrpiter redíret. Et cùm venísset circa Ecbátanam, recognóvit quæ erga Nicánorem & Timótheum gesta sunt. Elátus autem in ira, arbitrabátur se injúriam illórum qui se fugáverant, posse in Judæos retorquére: ideóque jussit agitári currum suum, sine intermissióne agens iter, cœlésti eum judício perurgénte, eò quòd ita supérbè locútus est se ventúrum Jerosólymam, & congériem sepúlchri Judæórum eam factúrum. Sed qui univérsa cónspicit Dóminus Deus Israel, percússit eum insanábili & invisíbili plagâ. Ut enim finívit hunc ipsum sermónem, apprehéndit eum dolor dirus víscerum, & a-

mara internórum torménta: & quidem satis justè, quippe qui multis & novis cruciatibus aliórum tórserat víscera, licèt ille nullo modo à sua malítia cessáret. Super hoc autem supérbiâ replétus, ignem spirans ánimo in Judæos, & præcípiens accelerári negótium, contigit illum ímpetu eúntem de curru cádere, & gravi córporis collisióne membra vexári.

℟. Dixit, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 256.

Lectio ij. v. 8. *ad* 13.

ISque qui sibi videbátur étiam flúctibus maris imperáre, supra humánum modum supérbiâ replétus, & móntium altitúdines in statéra appéndere, nunc humiliátus ad terram in gestatório portabátur, manifestam Dei virtútem in semetípso contéstans: ita ut de córpore ímpii vermes scaturírent, ac viventis in dolóribus carnes ejus efflúerent, odóre étiam illíus & fœtóre exércitus gravarétur: & qui paulò antè sídera cœli contíngere se arbitrabátur, eum nemo póterat propter intolerántiam fœtóris portáre. Hinc ígitur cœpit ex gravi supérbia dedúctus ad agnitiónem suî veníre, divínâ admónitus plagâ, per moménta síngula dolóribus suis augménta capiéntibus. Et cùm nec ipse jam fœtórem suum ferre posset, ita ait: Justum est súbditum esse Deo, & mortálem non paria Deo sentíre.

℟. Cogitáte, *pag.* 256.

Lectio iij. v. 13. *ad* 19.

ORábat autem hic sceléstus Dóminum, à quo non esset misericórdiam consecutúrus. Et civitátem, ad quam festínans veniébat, ut eam ad solum dedúceret, ac sepúlchrum congestórum fáceret, nunc optat líberam réddere: & Judæos, quos nec sepultúrâ quidem se dignos habitúrum, sed ávibus ac feris diripiéndos traditúrum, & cum párvulis exterminatúrum díxerat, æquáles nunc Atheniénsibus factúrum pollicétur: templum étiam sanctum, quod priùs expoliáverat, óptimis donis ornatúrum, & sancta vasa multiplicatúrum, & pertinéntes ad sacrifícia sumptus de reddítibus suis præstatúrum: super hæc, & Judæum se futúrum, & omnem locum terræ perambulatúrum, & prædicatúrum Dei potestátem. Sed non cessántibus dolóribus (supervénerat enim in eum justum Dei judícium) despérans scripsit ad Judæos in modum deprecatiónis epístolam.

℟. Illi, *pag.* 257.

CANON

Ex Concílio Bituricénsi. *An.* 1584. *Tit.* 12. *de Celebr. Div. Off. Can.* 10.

QUicúmque in Ecclésia beneficiáti témpore di-

vini Officii, per Ecclésiam inambulándo, vel foris circa ipsam aut cum aliis colloquéndo vagántur, totíus diéi præséntiam amíttant: qui semel corréptus, non destíterit, per mensem distributiónibus cáreat; persevérans autem, gravióri pœnæ subjáceat.

FERIA SEXTA.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 10. v. 24. ad 33.

AT Timótheus, qui priùs à Judæis fúerat superátus, convocáto exércitu peregrínæ multitúdinis, & congregáto equitátu Asiáno, advénit quasi armis Judæam captúrus. Machabæus autem, & qui cum ipso erant, appropinquánte illo, deprecabántur Dóminum, caput terrâ aspergéntes, lumbósque cilíciis præcíncti, ad altáris crepídinem provolúti, ut sibi propítius, inimícis autem eórum esset inimícus, & adversáriis adversarétur, sicut lex dicit. Et ita post oratiónem, sumptis armis, lóngiùs de civitáte procedéntes, & próximi hóstibus effécti, resedérunt. Primo autem solis ortu utríque commisérunt; isti quidem victóriæ & prosperitátis sponsórem cum virtúte Dóminum habéntes: illi autem ducem belli ánimum habébant. Sed, cùm vehemens pugna esset; apparuérunt adversáriis de cœlo viri quinque in equis, frænis aureis decóri, ducátum Judæis præstántes: ex quibus duo Machabæum médium habéntes, armis suis circumséptum incólumem conservábant; in adversários autem tela & fúlmina jaciébant, ex quo & cæcitáte confúsi, & repléti perturbatióne cadébant. Interfécti sunt autem vigínti míllia quingénti, & équites sexcénti. Timótheus verò confúgit in Gázarum præsídium munítum, cui præerat Chæreas.

℟. Machabæus, *ex 2. Noct. Dom. pag. 258.*

Lectio ij. Lib. 2. Cap. 11. v. 5. ad 13.

INgréssus autem Judæam (Lysias) & appropians Bethsúræ, quæ erat in angústo loco, ab Jerosólyma intervállo quinque stadiórum, illud præsídium expugnábat. Ut autem Machabæus, & qui cum eo erant, cognovérunt expugnári præsídia, cum fletu & lácrymis rogábant Dóminum, & omnis turba simul, ut bonum Angelum mitteret ad salútem Israel. Et ipse primus Machabæus, sumptis armis, cæteros adhortátus est simul secum perículum subíre, & ferre auxílium frátribus suis. Cùmque páriter prompto ánimo procéderent, Jerosólymis appáruit præcédens eos eques in veste cándida, armis áureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixérunt misericórdem Domi-

num, & convaluérunt ánimis; non solùm hómines, sed & béstias ferocíssimas, & muros férreos paráti penetráre. Ibant ígitur prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miserántem super eos Dóminum. Leonum autem more, ímpetu irruéntes in hostes, prostravérunt ex eis úndecim míllia péditum, & équitum mille sexcéntos; univérsos autem in fugam vertérunt, plures autem ex eis vulnerati, nudi evasérunt, sed & ipse Lysias túrpiter fúgiens evásit.

℞. Quid, pag. 258.

Lectio iij. Lib. 2. Cap. 15. v. 6. ad 8. & 11. ad 18.

NIcánor quidem, cum summa supérbia eréctus, cogitáverat commúne trophæum statúere de Juda. Machabæus autem semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum: & hortabátur suos ne formidárent ad advéntum natiónum. Síngulos autem illórum armávit, non clypei & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis, & exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus: Oníam qui fúerat summus Sacérdos, virum bonum & benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, & elóquio decórum, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparúisse & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum; respondéntem verò Oníam dixísse: Hic est fratrum amátor, & pópuli Israel; hic est, qui multùm orat pro pópulo, & univérsa sancta civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendísse autem Jeremíam dextram, & dedísse Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe sanctum gládium, munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Israel. Exhortáti ítaque Judæ sermónibus bonis valdè, de quibus extólli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre.

℞. Ne timuéritis, pag. 259.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi primo.

An. 816. Cap. 137.

PSalmi in Ecclésia non cursim, & excélsis atque inordinátis seu intemperátis vócibus, sed planè, ac dilúcidè, & cum compunctióne cordis reciténtur: ut, & recitántium mens illórum dulcédine pascátur, & audiéntium aures illórum pronuntiatióne demulceántur.

SABBATO.

De libris Machabæórum.

Lectio j. Lib. 2. Cap. 15. v. 25. ad 34.

NIcánor, & qui cum ipso erant, cum tubis & cánticis admovébant. Judas

verò, & qui cum eo erant, invocáto Deo, per orationes congréssi sunt: manu quidem pugnántes, sed Dominum córdibus orántes, prostravérunt non minùs trigínta quinque míllia, præsentiâ Dei magníficè delectáti. Cùmque cessássent, & cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruisse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, & perturbatióne excitátâ, pátriâ voce omnipoténtem Dóminum benedicébant. Præcépit autem Judas, qui per ómnia córpore & ánimo mori pro cívibus parátus erat, caput Nicánoris, & manum cum húmero abscíssam, Jerosólymam pérferri. Quò cùm pervenísset, convocátis contribúlibus & sacerdótibus ad altáre, accérsiit & eos qui in arce erant. Et osténso cápite Nicánoris, & manu nefáriâ, quam exténdens contra domum sanctam omnipoténtis Dei, magníficè gloriátus est. Linguam étiam ímpii Nicánoris præcísam jussit particulátim ávibus dari; manum autem deméntis contra templum suspéndi.

Lectio ij. Lib. I. *Cap.* 9. *v.* 22. *ad* 32.

CÆtera verba bellórum Judæ, & virtútum quas fecit, & magnitúdinis ejus, non sunt descrípta; multa enim erant valdè. Et factum est, post óbitum Judæ emersérunt iníqui in ómnibus fínibus Israel, & exórti sunt omnes qui operabántur iniquitátem. In diébus illis facta est fames magna valdè, & tradidit se Bacchidi omnis régio eórum cum ipsis. Et elegit Bácchides viros ímpios, & constítuit eos dóminos regiónis: & exquirébant, & perscrutabantur amícos Judæ, & adducébant eos ad Bácchidem. Et vindicabat in illos, & illudébat. Et facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die quâ non est visus Propheta in Israel. Et congregáti sunt omnes amíci Judæ, & dixérunt Jónathæ: Ex quo frater tuus Judas defúnctus est, vir símilis ei non est qui éxeat contra inimícos nostros, Bácchidem, & eos qui inimíci sunt gentis nostræ. Nunc ítaque te hódie elégimus esse pro eo nobis in príncipem & ducem ad bellandum bellum nostrum. Et suscépit Jónathas témpore illo principátum, & surréxit loco Judæ fratris sui.

Lectio iij. Lib. I. *Cap.* 13. *v.* I. *ad* 10.

ET audívit Simon quòd congregávit Tryphon exércitum copiósum, ut veníret in terram Juda, & attéreret eam. Videns quia in tremóre pópulus est & in timóre, ascendit Jerusalem, & congregávit populum, & adhórtans dixit: Vos scitis quanta ego, & fratres mei, & domus patris mei, féci-

mus pro légibus & pro sanctis prælia, & angústias quales vídimus: horum grátiâ periérunt fratres mei omnes propter Israel, & relíctus sum ego solus. Et nunc non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis; non enim mélior sum frátribus meis. Vindicábo ítaque gentem meam, & sancta; natos quoque nostros, & uxóres; quia congregátæ sunt univérsæ gentes contérere nos inimicítiæ grátiâ. Et accénsus est spíritus pópuli simul ut audívit sermónes istos; & respondérunt voce magnâ, dicéntes: Tu es dux noster loco Judæ, & Jónathæ fratris tui: pugna prælium nostrum; & ómnia quæcúmque díxeris nobis, faciémus.

CANON

Ex Concílio Senonénsi.

An. 1528. *Decret.* 18.

IN cunctis Cathedrálibus & Collegiátis Ecclésiis, horis débitis, laudes divínæ per síngulas horas, non cursim ac festinánter, sed cessátim ac tractim, & cum pausâ decénti, præsértim in médio cujúslibet Versículi Psalmórum ... reveréntor ab ómnibus persolvántur.

Ad Magnif. *Ant. t. 6 f.* Ezéchiel vidit conspéctum glóriæ, quam osténdit illi Deus in curru Chérubim. *Eccli.* 49. 10.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA XX.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Ezechiélis Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 10.

ET factum est in trigésimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in médio captivórum juxta flúvium Chobar, apérti sunt cœli, & vidi visiónes Dei. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigratiónis regis Joáchim, factum est verbum Dómini ad Ezechiélem fílium Buzi, sacerdótem in terra Chaldæórum, secùs flumen Chobar; & facta est super eum ibi manus Dómini. Et vidi, & ecce ventus túrbinis veniébat ab Aquilóne; & nubes magna, & ignis invólvens, & splendor in circúitu ejus: & de médio ejus quasi spécies eléctri, id est, de médio ignis. Et in médio ejus similitúdo quátuor animálium, & hic aspéctus eórum, similitúdo hóminis in eis. Quátuor fácies uni, & quátuor pennæ uni. Pedes eórum, pedes recti; & planta pedis eórum quasi planta pedis vítuli; & scintíllæ quasi aspéctus æris candéntis. Et manus hóminis sub pennis eórum in quátuor pártibus: & fácies, & pennas per quátuor partes habébant. Junctæque erant pennæ eórum altérius ad álterum; non revertebántur cùm incéderent; sed u-

numquódque ante fáciem suam gradiebátur.

℟. Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, * Speculatórem dedi te dómui Israel: & áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. ℣. Noli erubéscere testimónium Dómini: sed collabóra Evangélio secúndùm virtútem Dei. * Speculatórem. *Ezech.* 3. 16. 17. 2. *Tim.* 1. 8.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 12. *ad* 16.

ET assúmpsit me spíritus, & audivi post me vocem commotiónis magnæ: Benedícta glória Dómini de loco suo; & vocem alárum animálium percutiéntium álteram ad álteram, & vocem rotárum sequéntium animália, & vocem commotiónis magnæ. Spíritus quoque levávit me, & assúmpsit me: & ábii amárus in indignatióne spíritûs mei: manus enim Dómini erat mecum, confortans me. Et veni ad transmigratiónem, ad acervum novárum frugum, ad eos qui habitábant juxta flumen Chobar, & sedi ubi illi sedébant: & mansi ibi septem diébus mœrens in médio eórum.

℟. Væ prophétis insipiéntibus, qui sequuntur spíritum suum; erit manus mea super prophetas qui vident vana, & divinant mendácium: * Eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, & non est pax. ℣. Cùm enim díxerint, Pax, & secúritas; tunc repentínus eis superveniet intéritus. * Eò quòd. *Ezech.* 13. 3. 9. 10. 1. *Thess.* 5. 3.

Lectio iij. v. 16. *ad* 22.

CUm autem pertransíssent septem dies, factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, speculatórem dedi te dómui Israel: & áudies de ore meo verbum, & annuntiábis eis ex me. Si dicénte me ad ímpium: Morte moriéris: non annuntiáveris ei, neque locútus fúeris ut avertátur à via sua ímpia, & vivat: ipse ímpius in iniquitáte sua moriétur, sánguinem autem ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris ímpio, & ille non fúerit convérsus ab impietáte sua, & à via sua ímpia: ipse quidem in iniquitáte sua moriétur, tu autem ánimam tuam liberásti. Sed & si convérsus justus à justítia sua fúerit, & fécerit iniquitátem: pònam offendículum coram eo, ipse moriétur, quia non annuntiásti ei: in peccáto suo moriétur, & non erunt in memória justitiæ ejus, quas fecit: sanguinem verò ejus de manu tua requíram. Si autem tu annuntiáveris justo ut non peccet justus, & ille non peccáverit: vivens vivet, quia annuntiásti ei, & tu ánimam tuam liberásti.

℟. Pastóres, audíte verbum Dómini: * Ecce ego

ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, & cessáre fáciam eos ut ultrà non pascant gregem: ✝ Visitábo oves meas, & liberábo eas. ℣. Reddent ratiónem ei qui parátus est judicáre vivos & mórtuos.* Ecce ego. Glória. ✝ Visitábo. *Ezech.* 34. 9. 10. 12. 1. *Pet.* 4. 5.

IN II. NOCTURNO.

De expositióne sancti Gregórii Papæ in Ezechiélem Prophétam.

Lectio iv. Homil. 11. in Cap. 3. Ezech. n. 4. & 5.

FIli hóminis, speculatórem dedi te dómui Israel. Notándum quòd eum quem Dóminus ad prædicándum mittit, speculatórem esse denúntiat. Cui enim aliéna cura commíttitur, speculátor vocátur, ut in mentis altitúdine sédeat, atque vocábulum nóminis ex virtúte actiónis trahat. Hinc Prophéta álius speculatórem ádmonet, dicens: Super montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion: ut vidélicet qui prædicatiónis locum suscepit, ad altitúdinem bonæ ascéndat actiónis, ad excélsa tránseat, & eórum qui sibi commíssi sunt ópera transcéndat: quátenus subjectórum vitam tantò subtílius vídeat, quantò & terrénis rebus quas déspicit, ánimum non suppónit. O quàm dura mihi sunt ista quæ loquor! quia memetípsum loquéndo fério, cujus neque lingua, ut dignum est, prædicatiónem tenet, neque in quantum tenére súfficit, vita séquitur linguam.

℟. Versa est mihi domus Israel in scóriam: conjurátio prophetárum in médio ejus: sacerdótes ejus pollnérunt sanctuária mea. * Quæsivi de eis virum, qui staret oppósitus contra me pro terra, ne dissipárem eam: & non invéni. ℣. Hic jam quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. * Quæsivi. *Ezech.* 22. 18. 25. 26. 30. 1. *Cor.* 4. 2.

Lectio v. n. 5. & 6.

TAcére non possum, & tamen loquéndo me feríre pertiméſco. Dicam, dicam, ut verbi Dei gládius étiam per memetípsum ad configéndum cor próximi tránseat. Dicam, dicam, ut étiam contra me sermo Dei sonet per me. Erit fortásse apud pium júdicem impetrátio véniæ, ipsa cognítio culpæ. Et quidem ... postquam cordis húmerum sárcinæ pastoráli suppósui, collígere se ad semetípsum assíduè non potest ánimus qui ad multa partítur. Cogor namque, modò quædam cívium negótia sustinére: modò de irruéntibus barbarórum gládiis gémere, & commisso gregi insidiántes lupos timére: modò rerum curam súmere, ne desint subsídia eis ipsis, quibus disciplínæ

régula

régula tenétur: modò raptóres quosdam æquanímiter pérpeti, modò eis sub stúdio servátæ charitátis obviáre. Cùm itaque ad tot & tanta cogitánda scissa ac dilaniáta mens dúcitur, quando ad semetípsam rédeat, ut totam se in prædicatióne cólligat, & à proferéndi verbi ministério non recedat?

℟. Hæc dicit Dóminus: Væ pastóribus Israel, qui pascébant semetípsos: * Nonne greges à pastóribus pascúntur? Lac comedebátis, & lanis operiebámini, gregem autem meum non pascebátis; sed cum austeritáte imperabátis eis, & cum poténtia. ℣. Hi sunt conviván-tes sine timóre, semetípsos pascéntes. * Nonne greges. *Ezech. 34. 2. 3. 4. Judæ 12.*

Lectio vj. n. 6. & 7.

QUis ergo ego, vel qualis speculátor sum, qui non in monte óperis sto, sed adhuc in valle infirmitátis jáceo? Potens verò est humáni géneris Creátor & Redémptor indígno mihi, & vitæ altitúdinem & linguæ efficáciam donáre, pro cujus amóre in ejus elóquio nec mihi parco. Esse ergo speculatóris vita & alta debet semper, & circumspécta. Ne enim terrenárum rerum amóri succúmbat, alta sit: ne occúlti hostis jáculis feriátur, ex omni látere circumspécta. Neque hoc speculatóri sufficit ut altè vivat, nisi & loquéndo assíduè ad alta auditóres suos pértrahat; eorúmque mentes ad amórem cœléstis pátriæ loquéndo succéndat. Sed tunc rectè agit, cùm lingua ejus ex vita arserit; nam lucérna quæ in semetípsa non ardet, eam rem, cui supponitur, non accéndit. Hinc enim de Joánne Véritas dicit: Ille erat lucérna ardens & lucens: ardens videlicet, per cœléste desidérium, lucens, per verbum.

℟. Ecce ego ipse requíram oves meas: & suscitábo super eas pastórem unum: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem. * Vos autem greges mei, greges páscuæ meæ, hómines estis: & † Ego Dóminus Deus vester. ℣. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. * Vos autem. Glória. † Ego. *Ezech. 34. 11. 23. 31. Joan. 10. 11.*

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 4. v. 46.

IN illo témpore; Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Et réliqua.

Homilia sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 35. in Joan. aliàs 34. n. 2.

VEniens régulus rogábat Jesum, ut sanáret fílium ejus; (incipiébat enim mori:) Quid ergo Christus

Nisi signa & prodigia vidéritis, non créditis ... Ante signum enim non admodum credébat. Quod si & venerit & rogáverit, nihil mirum. Solent enim patres, ardénti amóre ducti, non solùm eos quibus fidunt, médicos adíre, verùm étiam eos quibus non ita fidunt, ne quidpiam prætermisísse videántur. Consíderes, velim, vel ipsa verba, quantam demonstrent viri infirmitátem. Cum oportuísset enim, si non prius, saltem post reprehensiónem animi sui senténtiam, magnum quidpiam de Christo cogitáre, audi, quómodo adhuc humi serpat: Descénde, inquit, priúsquam moriátur fílius meus. Quasi non posset mórtuum suscitáre, & quasi non nosset quo statu puer esset: ideò illum coárguit, & consciéntiam perstringit, osténdens signa ánimæ causâ máximè edi: hic enim, non minùs patrem ánimo laborántem curat, quàm filium, ut nobis suádeat, non tam signis, quàm doctrínæ ejus attendendum esse.

℟. Ego pascam oves meas: quod períerat requíram, * Quod confráctum fúerat alligábo, & quod infírmum fúerat consolidábo, & scient quia ego Dóminus eórum cum eis. ℣. Ecce sanitates perficio. * Quod confractum fuerat. *Ezech.* 34. 15. 16. 30. *Luc.* 13. 32.

Lectio viij. n. 3.

CUr tamen Christus Centurióni se ultro óbtulit itúrum: hic autem ne rogátus quidem? Quia ibi fides perfécta erat, ideo se itúrum óbtulit, ut viri probitátem edisceremus: at régulus adhuc imperféctus erat. Quia ergo admodum instábat, dicens: Descénde; nondum sciébat ipsum vel absentem posse sanáre; id se posse osténdit; ut quam per se Centúrio notítiam habébat, eam régulus, non accedénte Jesu, acquíreret. Cum ítaque dicit: Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis; hoc signíficat: Congruénti fide nondum instrúcti estis, sed adhuc me ut Prophétam habétis. Quis ergo ipse sit revélans, & osténdens, étiam sine miráculis sibi credéndum esse, eadem ipsa quæ Philíppo dixit: Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Et si mihi non vultis crédere, opéribus crédite.

℟. Væ difficílibus corde, qui non credunt Deo: ideo non protegéntur ab eo. * Qui timent Dóminum, non erunt incredíbiles verbo illíus. ℣. Nisi signa & prodígia vidéritis, non créditis. * Qui timent. *Eccli.* 2. 15. 18. *Joan.* 4. 48.

Lectio ix.

QUid ergo per hæc docémur? Ne miracula expectémus, neve divinæ

poténtiæ pígnora quærámus. Hîc namque multos vídeo, qui cùm, vel fílio vel uxóre ægrotánte, áliquid solátii accepére, majórem erga Deum pietátẽ exhibuérunt. Etiámsi verò non exaudiámur, in gratiárum actióne & laude perseveráre par est. Hoc quippe fidélium servórum est, hoc diligéntium & Dóminum, ut par est, amántiũ, ut non modò in tranquillitáte, sed étiam in ærúmnis ad illum accúrrant: hæc quippe sunt Dei providéntiæ ópera: Quem enim díligit Dóminus, castígat: flagéllat autem omnem fílium quem recipit. Qui autem illum in tranquillitáte solum colit, non tanti amóris signa éxhibet, neque purè Christum amat. Ecquid de valetúdine, de ópibus loquor? quid de paupertáte, & morbo? Licèt áliud quídpiam graviſſimum audíeris, neque sic à Deo láudibus celebrándo absisténdum; sed omnia pro ejus dilectióne feréndа. Hoc fidélis servi. Hoc constántis ánimi est.

℟. Tu es, qui líberas ab omni malo. * Sanávit eos tuus, Dómine, sermo qui sanat ómnia. † Tu es enim, qui vitæ & mortis habes potestátem. ℣. Dicit Jesus régulo: Vade, fílius tuus vivit. * Sanávit eos. Glória. † Tu es. *Sapient.* 16. 8. 12. 13. *Joan.* 4. 50.

Ad Bened. *Ant.* t. 2. D. Dicit ad Jesum régulus: Dómine, descénde priusquã moriátur fílius meus. *Joan.* 4. 49.

Oratio.

Auge in nobis fidem, Dómine; ut corde perfécto in te credéntes, quod humíliter pétimus, efficáciter consequámur; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi. *An.* 1536. *Part.* 3. *Cap.* 13.

Utinam optándo à Deo óptimo máximo consequi possímus, ne quisquam, lucri causâ, Divínis interésset: alióqui non accessúrus sacra, véluti quem nummi magis quàm Dei amor in templum trahit, quæstum pietátem esse putántem: qui non dúbium ex número eórum est, de quibus Isaías dixit: Omnes díligunt múnera, sequúntur retributiónes.

Ad Magnif. *Ant.* t. 8. G. Cognovit pater, quia illa hora erat in qua dixit ei Jesus: Fílius tuus vivit: & crédidit ipse, & domus ejus tota. *Joan.* 4. 53.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 3. *ad* 7.

Emissa similitúdo manûs apprehéndit me in cincínno cápitis mei: & elevávit me spíritus inter terram & cœlum: & addúxit me in Jerúsalem in visióne Dei, juxta óstium intérius, quod respiciébat ad Aquilónem,

ubi erat statútum idólum zeli ad provocándam æmulatiónem. Et ecce ibi glória Dei Israel, secúndùm visiónem quam víderam in campo. Et dixit ad me: Fili hóminis, leva óculos tuos ad viam Aquilónis. Et levávi óculos meos ad viam Aquilónis: & ecce ab Aquilóne portæ altáris, idólum zeli in ipso intróitu. Et dixit ad me: Fili hóminis, putásne, vides tu quid isti faciunt, abominatiónes magnas, quas domus Israel facit hic, ut procul recédam à sanctuário meo? & adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres.

℟. Factum est, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 271.

Lectio ij. v. 7. ad 13.

ET introdúxit me ad óstium átrii: & vidi, & ecce forámen unum in paríete. Et dixit ad me: Fili hóminis, fode paríetem. Et cùm fodíssem paríetem, appáruit óstium unum. Et dixit ad me: Ingrédere, & vide abominatiónes péssimas, quas isti fáciunt hic. Et ingréssus vidi, & ecce omnis similitúdo reptílium & animálium, abominátio, & univérsa idóla domûs Israel depícta erant in paríete in circúitu per totum. Et septuagínta viri de senióribus domûs Israel, & Jezónias fílius Saphan stabat in médio eórum, stántium ante pictúras: & unusquísque habébat thuríbulū in manu sua: & vapor nébulæ de thure consurgébat. Et dixit ad me: Certè vides, fili hóminis, quæ senióres domûs Israel fáciunt in ténebris, unusquísque in abscóndito cubículi sui: dicunt enim: Non videt Dóminus nos, derelíquit Dóminus terram.

℟. Væ prophétis, *pag.* 271.

Lectio iij. v. 13. *ad* 18.

ET dixit ad me: Adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres quas isti fáciunt. Et introdúxit me per óstium portæ domûs Dómini, quod respiciébat ad Aquilónem: & ecce ibi mulíeres sedébant plangéntes Adónidem. Et dixit ad me: Certè vidísti, fili hóminis: adhuc convérsus vidébis abominatiónes majóres his. Et introdúxit me in átrium domûs Dómini intérius: & ecce in óstio templi Dómini inter vestíbulum & altáre, quasi vigínti quinque viri, dorsa habéntes contra templum Dómini, & fácies ad Oriéntem: & adorábant ad ortum solis. Et dixit ad me: Certè vidísti, fili hóminis: numquid leve est hoc dómui Juda, ut fácerent abominatiónes istas quas fecérunt hic: quia repléntes terram iniquitáte convérsi sunt ad irritándum me?

℟. Pallóres, *pag.* 271.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi.

An. 1534. *Part.* 3. *Can.* 13.

QUàm verò aberrant qui exístimant sese non alicújus officii exercéndi, sed quiétis tantùm & inértiæ causâ, Canonicátus esse adéptos! perinde atque satis sit, paucis quibúsdam Cléricis ádmodùm ignáris, ténui prétio condúctis, curam divíni officii commítti.

FERIA TERTIA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

FActus est sermo Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, vaticináre ad prophétas Israel, qui prophétant: & dices prophetántibus de corde suo: Audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Væ prophétis insipiéntibus, qui sequúntur spíritum suum, & nihil vident. Quasi vulpes in desértis, prophétæ tui, Israel, erant. Non ascendístis ex advérso, neque opposuístis murũ pro domo Israel, ut starétis in prælio in die Dómini. Vident vana, & divínant mendácium, dicéntes: Ait Dóminus: cùm Dóminus non míserit eos: & perseveravérunt confirmáre sermónem. Numquid non visiónem cassam vidístis, & divinatiónem mendácem locúti estis? & dícitis, ait Dóminus; cùm ego non sim locútus.

℟. Versa est, *ex* 2. *Noct.* *Dom. pag.* 272.

Lectio ij. v. 8. *ad* 13.

PRoptérea hæc dicit Dóminus Deus: Quia locúti estis vana, & vidístis mendácium: ídeò ecce ego ad vos, dicit Dóminus Deus; & erit manus mea super prophétas; qui vident vana, & divínant mendácium: in consílio pópuli mei non erunt, & in scriptúra domûs Israel non scribéntur: nec in terram Israel ingrediéntur: & sciétis quia ego Dóminus Deus. Eò quòd decéperint pópulum meum, dicéntes: Pax, & non est pax: & ipse ædificábat paríetem, illi autem liniébant eum luto absque páleis. Dic ad eos qui líniunt absque temperatúra, quòd casúrus sit: erit enim imber inúndans, & dabo lápides prægrándes désuper irruéntes, & ventum procéllæ dissipántem. Siquidem ecce cécidit páries: numquid non dicétur vobis: Ubi est litúra, quam linístis?

℟. Hæc dicit, *pag.* 273.

Lectio iij. v. 18. *ad* 22.

ET dic: Hæc dicit Dóminus Deus: Væ quæ consuunt pulvíllos sub omni cúbito manûs: & fáciunt cervicália sub cápite univérsæ ætátis ad capiéndas ánimas: & cùm cáperent ánimas pópuli mei, vivificábant ánimas eórum. Et violábant me ad pópulum meũ, propter pugíllum hórdei, & fragmen panis, ut interfícerent

ánimas quæ non moriúntur, & vivificárent ánimas quæ non vivunt, mentiéntes pópulo meo credénti mendáciis. Propter hoc hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ad pulvíllos vestros, quibus vos cápitis ánimas volántes: & dirúmpam eos de bráchiis vestris: & dimíttam ánimas quas vos cápitis, ánimas ad volándum. Et dirúmpam cervicália vestra, & liberábo pópulum meum de manu vestra, neque erunt ultrà in mánibus vestris ad prædándum: & sciétis quia ego Dóminus.

℟. Ecce ego, *pag.* 273.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi.

An. 816. *Lib.* 1. *C.* 31.

CAnónici, laudes Deo in commúne persolvéntes, pro suis, populorúmque, quorũ oblatiónibus vivunt, delíctis, Dóminum exórent. Debent quoque juxta Apóstolum, primùm ómnium ab his fíeri obsecratiónes, oratiónes, & gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, & ómnibus qui in sublimitáte sunt.

FERIA QUARTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 18. *v.* 2. *ad* 10.

QUid est quòd inter vos parábolam vértitis in provérbium istud in terra Israel, dicéntes: Patres comedérunt uvam acérbam, & dentes filiórum obstupéscunt? Vivo ego, dicit Dóminus Deus, si erit ultrà vobis parábola hæc in provérbium in Israel. Ecce omnes ánimæ, meæ sunt: ut ánima patris, ita & ánima fílii mea est: ánima quæ peccáverit, ipsa moriétur. Et vir si fúerit justus, & fécerit judícium & justítiam, in móntibus non comédérit, & óculos suos non levàverit ad idóla domûs Israel: & uxórem próximi sui non violáverit, & ad mulíerem menstruátam non accésserit: & hóminem non contristáverit: pignus debitóri reddíderit, per vim nihil rapúerit: panem suum esuriénti déderit, & nudum operúerit vestiménto: ad usúram non commodáverit, & ámpliùs non accéperit: ab iniquitáte avérterit manum suam, & judícium verum fécerit inter virum & virum: in præcéptis meis ambuláverit, & judícia mea custodíerit ut fáciat veritátem: hic justus est, vitâ vivet, ait Dóminus Deus.

℟. Ego pascam, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 274.

Lectio ij. v. 19. *ad* 23.

ET dicitis: Quare non portávit fílius iniquitátem patris? Vidélicet, quia fílius judícium & justítiam operátus est, ómnia præcépta mea custodívit, & fecit illa, vivet vitâ. Anima, quæ peccáverit, ipsa moriétur: fílius non portábit iniquitátem patris, & pater non por-

tábit iniquitátem filii: justítia justi super eum erit, & impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis, quæ operátus est, & custodíerit ómnia præcépta mea, & fécerit judícium & justítiam: vitâ vivet, & non moriétur. Omnium iniquitátum ejus, quas operátus est, non recordábor: in justitia sua, quam operátus est, vivet.

℟. Væ dissolútis, pag. 274.

Lectio iij. v. 23. ad 28.

NUmquid voluntátis meæ est mors ímpii, dicit Dóminus Deus, & non ut convertátur à viis suis, & vivat? Si autem avérterit se justus à justítia sua, & fécerit iniquitátem secúndùm omnes abominatiónes quas operári solet ímpius, numquid vivet? omnes justítiæ ejus, quas fécerat, non recordabúntur: in prævaricatióne, quâ prævaricátus est, & in peccáto suo, quod peccávit, in ipsis moriétur. Et dixístis: Non est æqua via Dómini. Audíte ergo, domus Israel: Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt? Cùm enim avérterit se justus à justítia sua, & fécerit iniquitátem, moriétur in eis: in injustítia, quam operatus est, moriétur. Et cùm avérterit se ímpius àb impietáte sua, quam operátus est, & fécerit judícium & justítiam: ipse ánimam suam vivificábit.

℟. Tu es, pag. 275.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* I. *Cap.* 115.

QUia evidénti auctoritáte liquet, Canónicam institutiónem cæteris præstáre institutiónibus; debent, necésse est, qui hujus professiónis censéntur nómine, procuráre, quáliter in semetípsis eámdem institutiónem vitâ & móribus exórnent pótiùs, quàm dehonéstent.

FERIA QUINTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 22. v. 17. ad 21.

ET factum est verbum Dómini ad me, dicens: Fili hóminis, versa est mihi domus Israel in scóriam: omnes isti æs, & stannum, & ferrum, & plumbum in médio fornácis: scória argénti facti sunt. Proptérea hæc dicit Dóminus Deus: Eò quòd versi estis omnes in scóriam, proptérea ecce ego congregábo vos in médio Jerúsalem, congregatióne argénti, & æris, & stanni, & ferri, & plumbi in médio fornácis: ut succéndam in ea ignem ad conflándum: sic congregábo in furóre meo, & in ira mea, & requiéscam: & conflábo vos.

℟. Factum est, ex I. Noct. Dom. pag. 271.

Lectio ij. v. 26. ad 31.

SAcerdótes ejus contempsérunt legem meam, & polluérunt sanctuária mea: inter sanctum & profanum non habuérunt distántiam: & inter pollútum & mundum non intellexérunt: & à sábbatis meis avertérunt óculos suos; & coinquinábar in médio eórum. Príncipes ejus in médio illíus, quasi lupi rapiéntes prædam ad effundéndum sánguinem, & ad perdéndas ánimas, & avárè ad sectánda lucra. Prophétæ autem ejus liniébant eos absque temperaménto, vidéntes vana, & divinántes eis mendácium, dicéntes: Hæc dicit Dóminus Deus, cùm Dóminus non sit locútus. Pópuli terræ calumniabántur calúmniam, & rapiébant violénter: egénum & páuperem affligébant, & ádvenam opprimébant calúmniâ absque judício. Et quæsivi de eis virum, qui interpóneret sepem, & staret oppósitus contra me pro terra, ne dissipárem eam: & non invéni.

℟. Væ prophétis, *pag.* 271.

Lectio iij. Cap. 33. v. 2. ad 7.

FIli hóminis, lóquere ad fílios pópuli tui, & dices ad eos: Terra cùm indúxero super eam gládium, & túlerit pópulus terræ virum unum, de novíssimis suis, & constitúerit eum super se speculatórem: & ille víderit gládium veniéntem super terram, & cecínerit búccinâ, & annuntiáverit pópulo: Aúdiens autem, quisquis ille est, sónitum búccinæ, & non se observáverit, venerítque gládius, & túlerit eum: sanguis ipsíus super caput ejus erit. Sonum búccinæ audívit, & non se observávit, sanguis ejus in ipso erit: si autem se custodíerit, ánimam suam salvábit. Quòd si speculátor víderit gládium veniéntem, & non insonúerit búccinâ: & pópulus se non custodíerit; venerítque gládius, & túlerit de eis ánimam: ille quidem in iniquitáte sua captus est, sánguinẽ autem ejus de manu speculatóris requíram.

℟. Pastóres, *pag.* 271.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Reform. Cap. 12.

NOn líceat Canónicis, vigóre cujúslibet statúti, aut consuetúdinis, ultra tres menses ab eísdem Ecclésiis, quólibet anno, abesse: salvis tamen eárum Ecclesiárum constitutiónibus, quæ lóngius servitii tempus requírunt.

FERIA SEXTA.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 34. v. 2. ad 7.

FIli hóminis, prophéta de pastóribus Israel: prophéta, & dices pastóribus: Hæc dicit Dóminus Deus: Væ pastóribus Israel, qui pascébant semetípsos:

nonne greges à pastóribus pascúntur? Lac comedebátis, & lanis operiebámini, & quod crassum erat occidebátis: gregem autem meum non pascebátis. Quod infírmum fuit non consolidástis, & quod ægrotum non sanástis, quod confráctum est non alligástis, & quod abjéctum est non reduxístis, & quod períerat non quæsístis; sed cum austeritáte imperabátis eis, & cum potentia. Et dispérsæ sunt oves meæ, eò quòd non esset pastor: & factæ sunt in devoratiónem ómnium bestiárum agri, & dispérsæ sunt. Erravérunt greges mei in cunctis móntibus, & in univérso colle excélso; & super omnem fáciem terræ dispérsi sunt greges mei, & non erat qui requíreret, non erat, inquam, qui requíreret.

℟. Versa est, *ex 2. Noct. Dom. pag. 272.*

Lectio ij. v. 7. ad 12.

PRoptérea, pastóres, audíte verbum Dómini: Vivo ego, dicit Dóminus Deus: quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapínam, & oves meæ in devoratiónem ómnium bestiárum agri, eò quòd non esset pastor: neque enim quæsiérunt pastóres mei gregem meum, sed pascébant pastóres semetípsos, & greges meos non pascébant: proptérea, pastóres, audíte verbum Dómini: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse super pastóres requíram gregem meum de manu eórum, & cessáre fáciam eos ut ultrà non pascant gregẽ, nec pascant, ampliùs pastóres semetípsos: & liberábo gregem meum de ore eórum, & non erit ultrà eis in escam. Quia hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, & visitábo eas.

℟. Hæc dicit, *pag. 273.*

Lectio iij. v. 17. ad 24.

VOs autẽ greges mei, hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego júdico inter pecus & pecus, arietũ & hircorum. Nonne satis vobis erat páscua bona depásci? ínsuper & relíquias pascuárum vestrárum conculcástis pédibus vestris: & cùm puríssimam aquam biberétis, réliquam pédibus vestris turbabátis. Et oves meæ his, quæ conculcáta pédibus vestris fúerant, pascebántur: & quæ pedes vestri turbáverant, hæc bibébant. Proptérea hæc dicit Dóminus Deus ad vos: Ecce ego ipse júdico inter pecus pingue & macilléntum: pro eo quòd latéribus & húmeris impingebátis, & córnibus vestris ventilabátis ómnia infírma pécora, donec dispergeréntur foràs: salvábo gregem meum, & non erit ultrà in rapínam, & judicábo inter pecus & pecus. Et suscitábo super eas pastórem unum, qui pascat eas, servum meum Da-

vid: ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastórem.

℟. Ecce ego, *pag.* 273.

C A N O N

Ex Concílio Bituricénsi. *An.* 1584 *Can.* 2. *Tit. de Canon.*

COmpellántur Canónici ab Epíscopis, aut Capítulis, intra annum à die receptionis, ubi ætatem idóneam attígerint, sacrum Subdiaconátûs Ordinem suscípere, reliquósque intra tempora sacris Canónibus constitúta adipísci.

S A B B A T O.

De Ezechiéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 36. *v.* 21. *ad* 28.

PEpérci nómini sancto meo, quòd pollúerat domus Israel in Géntibus, ad quas ingréssi sunt. Idcírco dices dómui Israel: Hæc dicit Dóminus Deus: Non propter vos ego fáciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum, quod polluístis in Géntibus, ad quas intrástis. Et sanctificábo nomen meum magnum, quod pollútum est inter Gentes, quod polluístis in médio eárum: ut sciant Gentes quia ego Dóminus, ait Dóminus exercituum, cùm sanctificátus fuéro in vobis coram eis. Tollam quippe vos de Géntibus, & congregábo vos de univérsis terris, & addúcam vos in terram vestram. Et effúndam super vos aquam mundam, & mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, & ab univérsis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, & spíritum novum ponam in médio vestri: & áuferam cor lapídeũ de carne vestra, & dabo vobis cor cárneum. Et Spíritum meum ponam in médio vestri: & fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, & judícia mea custodiátis & operémini.

Lectio ij. Cap. 37. *v.* 1. *ad* 7.

FActa est super me manus Dómini, & edúxit me in spíritu Dómini: & dimísit me in médio campi, qui erat plenus óssibus: & circumdúxit me per ea in gyro: erant autem multa valdè super fáciem campi, siccaque veheménter. Et dixit ad me: Fili hóminis, putásne vivent ossa ista? Et dixi: Dómine Deus, tu nosti. Et dixit ad me: Vaticináre de óssibus istis: & dices eis: Ossa árida, audite verbum Dómini. Hæc dicit Dóminus Deus óssibus his: Ecce ego intromíttam in vos spíritum, & vivétis. Et dabo super vos nervos, & succréscere fáciam super vos carnes, & superexténdam in vobis cutem: & dabo vobis spíritum, & vivétis, & sciétis quia ego Dóminus.

Lectio iij. v. 7. *ad* 13.

ET prophetávi sicut præcéperat mihi: factus est autem sónitus, propheténte me, & ecce commótio: & accessérunt ossa ad ossa, unumquódque ad juncturam

suam. Et vidi, & ecce super ea nervi & carnes ascénderunt: & exténta est in eis cutis désuper, & spíritum non habébant. Et dixit ad me: Vaticináre ad spíritum, vaticináre, fili hóminis, & dices ad spíritum: Hæc dicit Dóminus Deus: A quátuor ventis veni, spíritus, & insúffla super interféctos istos, & revivíscant. Et prophetávi sicut præcéperat mihi: & ingréssus est in ea spíritus, & vixérunt: steterúntque super pedes suos exércitus grandis nimis valdè. Et dixit ad me: Fili hóminis, ossa hæc univérsa, domus Israel est: ipsi dicunt: Aruérunt ossa nostra, & périit spes nostra, & abscíssi sumus. Proptéreà vaticináre, & dices ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcã vos de sepúlchris vestris, pópulus meus: & indúcam vos in terram Israel.

CANON

Ex Concílio Reménsi.

An. 1583. *de Capit. Num.* 12.

PAcis ubíque sint amántes Canónici, nec cum Epíscopis animósè contendant, vel supérbè respóndeant; sed illis honórem, & reveréntiam, cum summa modéstia exhíbeant: & si quæ lites inter se suboríri cœperint, utríque amícè compónant.

Ad Magnif. *Ant. t.* 4. *E.* Ananías & Azarías, & Mísael credéntes, liberáti sunt de flamma. Dániel in sua simplicitáte liberátus est de ore leónum. 1. *Machab.* 2. 59. 60.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXI.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit liber Daniélis, Prophétæ.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

ANno tértio regni Jóakim regis Juda, venit Nabuchodónosor rex Babylónis in Jerúsalem, & obsédit eam; & trádidit Dóminus in manu ejus Jóakim regem Juda, & partem vasórum domûs Dei; & asportávit ea in terram Sénnaar in domum dei sui, & vasa íntulit in domum thesáuri dei sui. Et ait rex Asphenez præpósito eunuchórum, ut introdúceret de fíliis Israel, & de sémine régio & tyrannórum, púeros, in quibus nulla esset mácula; decóros formâ, & erudítos omni sapiéntiâ, cautos sciéntiâ, & doctos disciplínâ, & qui possent stare in palátio regis, ut docéret eos lítteras, & linguam Chaldæórum. Et constítuit eis rex annónam per síngulos dies de cibis suis, & de vino unde bibébat ipse, ut enutríti tribus annis, póstea starent in conspéctu regis. Fuérunt ergo inter eos de fíliis Juda, Dániel, Ananías, Mísael, & Azarías.

℞. Fuérunt de filiis Juda, Daniel, Anánias, Mísael, & Azárias. * Púeris autem his dedit Deus sciéntiam, & disciplínam in omni libro & sapiéntia: Daniéli autem intelligéntiam ómnium visiónum & somniórum. ℣. Hæc ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens singulis prout vult. * Púeris. *Dan.* 1. 6. 17. 1. *Cor.* 12. 11.

Lectio ij. v. 8. ad 16.

PRopósuit autem Dániel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potûs ejus; & rogávit eunuchórum præpósitum ne contaminarétur. Dedit autem Deus Daniéli grátiam & misericórdiam in conspéctu príncipis eunuchórum. Et ait princeps eunuchórum ad Daniélem: Tímeo ego dóminum meum regem, qui constítuit vobis cibum & potum; qui, si víderit vultus vestros macilentióres præ cæteris adolescéntibus coævis vestris, condemnábitis caput meum regi. Et dixit Dániel ad Málasar, quem constitúerat princeps eunuchórum super Daniélem, Ananíam, Misaélem, & Azáriam: Tenta nos, óbsecro, servos tuos diébus decem, & dentur nobis legúmina ad vescéndum, & aqua ad bibéndum; & contemplare vultus nostros, & vultus puerórum qui vescúntur cibo régio; & sicut víderis, fácies cum servis tuis. Qui audíto sermóne hujuscemodi, tentávit eos diébus decem. Post dies autem decem, apparuérunt vultus eórum melióres & corpulentióres præ ómnibus púeris, qui vescebántur cibo régio.

℞. Doctrix est sapiéntia disciplínæ Dei, & eléctrix óperum illíus.* Sobrietátem enim, & prudéntiam docet, & justítiam, & virtútem, quibus utilius nihil est in vita homínibus. ℣. Pater glóriæ det vobis spíritum sapiéntiæ. * Sobrietátem. *Sap.* 8. 4. 7. *Eph.* 1. 17.

Lectio iij. v. 16. ad finem.

POrro Málasar tollébat cibária, & vinum potus eórum; dabátque eis legúmina: Púeris autem his dedit Deus sciéntiam & disciplínam, in omni libro & sapiéntia: Daniéli autem intelligéntiam ómnium visiónum & somniórum. Complétis ítaque diébus, post quos díxerat rex ut introduceréntur: introdúxit eos præpósitus eunuchórum in conspéctu Nabuchodónosor. Cùmque eis locútus fuísset rex, non sunt invénti tales de univérsis, ut Dániel, Anánias, Mísael, & Azárias; & stetérunt in conspéctu regis; & omne verbum sapiéntiæ & intelléctûs, quod sciscitátus est ab eis rex, invénit in eis décuplum, super cunctos aríolos & magos qui erant in univérso regno ejus. Fuit autem Dániel us-

que ad annum primum Cyri regis.

℟. Regnum, & potéstas, & magnitúdo regni, quæ est subter omne cœlum, detur pópulo sanctórum Altíssimi: * Cujus regnum, regnum sempitérnum est; & omnes reges servient ei, & obédient. ℣. Omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille sanctus est. * Cujus regnum. Glória. * Cujus regnum. *Dan.* 7. 27. 1. *Joan.* 3. 3.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Ambrósii Epíscopi.

Lectio iv. de Off. Minist. Lib. 2. Cap. 10. & 11.

DAniel ex captívis, regálium consultórum árbiter factus, consíliis suis emendávit præséntia, annuntiávit futúra. Ex his enim quæ frequénter interpretátus ostènderat veri se esse annuntium, fides ei in ómnibus deferebátur. Quis Daniélis consílium refúgeret, de quo Deus ipse dixit: Quis Daniéle sapiéntior? Aut quómodo hómines de eórum dubitáre méntibus possent, quibus Déus tantam conferébat grátiam? Quàm purus Daniélis ánimus, ut mulcéret bárbaros mores, mitigáret leónes! Quæ in illo temperántia! Quanta ánimi & córporis continéntia! Nec immérito mirábilis factus ómnibus, quando (quod vehemènter admirántur hómines) regálibus fultus amicítiis, aurum non quærébat, nec delátum sibi honórem pluris faciébat quàm fidem. Quin étiam periclitári malebat pro lege Dómini, quàm pro grátia hóminis infléꝙti.

℟. Non colo idóla manufácta, sed vivéntem Deum, qui creávit cœlum & terram, & habet potestátem omnis carnis.* Ipse est Deus vivens. ℣. Etsi sunt qui dicántur dii: nobis tamen unus Deus. * Ipse est. *Dan.* 14. 4. 24. 1. *Cor.* 8. 5. 6.

Lectio v. Lib. 3. de Spiritu S. Cap. 6.

PEr Spíritum datur sermo sapiéntiæ. Dániel, nisi accepísset Dei Spíritum, numquam potuísset deprehéndere adultérium libídinis, mendácium fraudis. Nam cùm Susánna presbyterórum conjuratiónibus appetíta, infléxam pópuli mentem vidéret contemplatióne seniórum; & ómnibus destitúta subsídiis, sola inter hómines pudicítiæ suæ, cónscia Deum árbitrum præcarétur: Exaudívit, inquit, Dóminus vocem ejus, cùm ducerétur ut períret; & excitávit Dóminus Spíritum sanctum púeri adolescéntis, cui nomen Dániel. Itaque secúndùm accépti Spíritûs sancti grátiam, vacillántia perfidórũ testimónia deprehéndit, neque ália nisi divínæ fuit operátio potestátis, ut eo-

vox sua próderet, quorum latébat affectus.

℟. Dóminus dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam: * Ipse revélat profúnda, & abscóndita, & novit in ténebris constitúta: & lux cum eo est. ℣. Omnia nuda & apérta sunt óculis ejus. * Ipse revélat. *Dan.* 2. 21. 22. *Hebr.* 4. 13.

Lectio vj.

PErcípite ígitur Spíritûs sancti sacrum & cœléste miráculum. Illa quæ maluit sibi casta esse, quàm pópulo: illa quæ máluit innocentiæ subíre perículum, quàm pudóris: quæ cùm accusarétur, tacébat; cùm damnarétur, silebat: ubi Dóminum invocávit, Spíritum méruit, qui laténtem presbyterórũ consciéntiam revelávit. Ac ne quis fortè exístimet, quia, dicénte Scriptúra, Excitávit Deus Spíritum sanctum púeri adolescéntis, spíritum in eo putet fuísse hóminis, non Spíritum sanctum; legat in posterióribus, & invéniet quia Spíritum sanctum accépit Dániel, & ídeò prophetávit. Dénique & rex eum prætulit, quia habébat grátiam spiritalem. Sic enim dicit: Tu autem, Dániel, potes; quia Spíritus sanctus Dei in te est. Et infrà Scriptúra dicit: Et fuit Daniel præpósitus illis, quóniam Spíritus erat superans in eo.

℟. Deus Danielis, ipse est Deus vivens, & ætérnus in sæcula; & potéstas ejus usque in ætérnum: * Ipse liberator, atque salvátor, fáciens signa, & mirabília in cœlo & in terra. ℣. Deo autem & Patri nostro glória in sæcula sæculórum. * Ipse. Glória. * Ipse. *Dan.* 6. 26. 27. *Philip.* 4. 20.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18. *v.* 23.

IN illo témpore; Dixit Jesus: Assimilátum est regnum cœlórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 27. *in Gen. n.* 7.

UT discámus parábolam hanc ob animárum nostrarum salútem à Dómino addúctam, audi quæ inferuntur: Sic & Pater vester cœléstis fáciet vobis, inquit, si non unusquísque fratri suo remiséritis è córdibus vestris delícta illórum. Magnum parábolæ lucrum, modò attendere voluérimus. Quid enim tantũ potérimus dimíttere, quantũ nobis à Dño dimíttitur? Et nos quidem, si hoc voluérimus, consérvis remíttimus; Ipsi verò à Dómino remissiónem accípimus. Et vide ut diligénter síngula sunt dicta. Non enim dixit símpliciter, Si non dimiséritis homínibus peccáta; sed, Si non unusquísque fratri suo remiséritis è cordibus vestris

delícta illórum. Adverte quómodo vult cor nostrum in quiéte & tranquillitáte esse, & mentem nostram à perturbatiónibus aliénam, affectionibúsque ómnibus líberam, plurimúmque nos erga próximum dilectiónis stúdium declaráre.

℟. Meménentes Dóminum, sustinére misericórdiam ejus; * Quóniam pius & miséricors est Deus, & remíttet in die tribulatiónis peccáta. ℣. Prócidens servus orábat Dóminum: Patiéntiam habe in me: misértus Dóminus débitum dimísit ei. * Quóniam. *Eccli.* 2. 7. 13. *Matth.* 18. 26. 27.

Lectio viij.

ALio quoque loco íterum dicéntem audíre licet: Si dimiséritis homínibus delícta illórum, dimíttet & vobis Pater vester cœléstis. Ne ígitur putémus, dum hoc fácimus, nos álteri gratificári, aut magnum quoddā benefíciū apud illum depónere. Nam ipsi sumus qui benefício frúimur, & multùm lucri inde nobis conciliámus: sicut étiam si hoc non fecérimus, omníno nihil eos lædere potérimus; nobis ipsis intolerábilem gehénnæ pœnam parámus. Idcírcò, óbsecro, ut cogitántes hæc, numquam admittámus, ut eórum qui nos contristárunt, aut áliàs offendérunt, injúriæ reminiscámur, aut inimíco ánimo erga eos afficiámur: sed considerántes quanta hoc nobis áfferat benefícia, & quantam apud Dóminum fidúciam: & ante ómnia quòd reconciliari cum eis qui nos injúriâ affecére, peccatórum nostrórum absúmptio quædam sit, festinémus, & anhelémus ut parátum inde lucrum reputántes, tam officiósi in eos simus qui nos offendérunt, quàm sumus in eos qui verè nobis benefáciunt. Nam si sápimus, non ita nobis prodésse póterunt qui benévoli in nos sunt, & demeréri cúpiunt.

℟. Qui vindicári vult, à Dómino invéniet vindíctam, & peccáta illíus servans servábit. * Relínque próximo tuo nocénti te: & tunc deprecánti tibi peccáta solvéntur. ℣. Judícium sine misericórdia illi, qui non fecit misericórdiam. * Relínque. *Eccli.* 28. 1. 2. *Jacob.* 2. 13.

Lectio ix. n. 8.

COgita, óbsecro, dilécte, quanta sit hujus virtútis magnitúdo, & disce vel ex præmiis quæ propter illam univérsi Dóminus promísit. Nam cùm dixísset: Dilígite inimícos vestros, benedícite eis qui persequúntur vos; quia sublímia sunt præcépta, summúmque vérticem tangéntia, inquit: Ut efficiámini símiles Patri vestro qui in cœlis est; quia solem suum oríri facit super bonos & malos. Vidísti quantum facúltas fert humána, cui símilis

fiat qui non solùm non ulcíscitur eum qui offendit, sed & pro eo orare studet? Ne ígitur negligéntiâ nostrâ tálibus nos fraudemus bonis & præmiis, quæ omnem sermónem transcéndunt; sed modis ómnibus boni hujus óperis nobis cura fit. Nam proptérea hanc admonitiónem & ego nunc feci, & parábolam in médium attuli; & quanta sit hujus boni óperis magnitúdo, & quantum inde lucrum nobis accréscat, osténdi; ut cum adhuc tempus est, si quis ex vobis est qui álium habeat sibi infensum, óperam det ut officiósè reconcilietur.

℟. Homo hómini resérvat iram, & a Deo quærit medélam? in hóminem símilem sibi non habet misericórdiam, & de peccátis suis deprecátur? quis exorabit pro delíctis illius? * Memoráre timórem Dei, & non irascáris próximo. ℣. Scimus qui dixit: Mihi, vindícta, & ego retríbuam. * Memoráre. Glória. * Memoráre. *Eccli.* 28. 3. 4. 5. 8. *Hebr.* 10. 30.

Ad Bened. *Ant. t. 7. D.* Dóminus ait illi: Serve nequam, omne débitum dimísi tibi, quóniam rogásti me: nonne ergo oportuit & te miseréri consérvi tui, sicut & ego tui misértus sum? *Matth.* 18. 32. 33.

Oratio.

Libera nos, Dómine, ab omni malo, propitiúsque concéde, ut quæ nobis póscimus relaxári, ipsi quoque próximis remittámus; Per Dominum, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. *de Reform. Cap.* 12.

Distributiónes, qui statis horis interfuérint, Canónici, recípiant: réliqui, quâvis collusióne, aut remissióne exclúsâ, his cáreant.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. A.* Irátus Dóminus trádidit eum tortóribus, quoadúsque rédderet univérsum débitum. Sic & Pater meus fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris. *Matth.* 18. 34. 35.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2. v. 1. ad 7.

IN anno secúndo regni Nabuchodónosor, vidit Nabuchodónosor sómnium, & contérritus est spíritus ejus, & sómnium ejus fugit ab eo. Præcépit autem rex, ut convocaréntur árioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, ut indicárent regi sómnia sua: qui cum veníssent, stetérunt coram rege. Et dixit ad eos rex: Vidi sómnium; & mente confúsus, ignóro quid víderim. Responderúntque Chaldæi regi Syrìacè: Rex, in sempitérnum vive; dic sómnium servis tuis, & interpretatiónem ejus indicábimus. Et respóndens rex, ait

Chaldæis : Sermo recéssit à me ; nisi indicavéritis mihi sómnium, & conjectúram ejus, períbitis vos, & domus vestræ publicabúntur : si autem sómnium, & conjectúram ejus narravéritis, præmia, & dona, & honórem multum accipiétis à me: sómnium ígitur, & interpretatiónem ejus indicáte mihi.

℟. Fuérunt, ex 1. Noct. Dom. pag. 284.

Lectio ij. v. 10. ad 15.

R

Espondéntes ergo Chaldæi coram rege, dixérunt : Non est homo super terram, qui sermónem tuũ, rex, possit implére ; sed neque regum quisquam magnus & potens verbum hujuscémodi scíscitátur ab omni aríolo, & mago, & Chaldæo: sermo enim quem tu quæris, rex, gravis est : nec reperiétur quisquam, qui índicet illum in conspéctu regis : excéptis diis, quorum non est cum homínibus conversátio. Quo audíto, rex in furóre & in ira magna præcépit, ut perírent omnes sapiéntes Babylónis. Et egréssâ senténtiâ, sapiéntes interficiebántur : quærebantúrque Dániel & sócii ejus, ut períent. Tunc Dániel requisívit de lege atque senténtia ab Arioch príncipe milítiæ regis, qui egréssus fúerat ad interficiéndos sapiéntes Babylónis.

℟. Doctrix, pag. 284.

Lectio iij. v. 19. ad 24.

TUnc Danéli mystérium per visiónem nocte revelátum est : & benedíxit Dániel Deum cœli, & locútus, ait : Sit nomen Dómini benedíctum à sæculo & usque in sæculum : quia sapiéntia & fortitúdo ejus sunt. Et ipse mutat témpora, & ætátes : transfert regna, atque constítuit : dat sapiéntiam sapiéntibus, & sciéntiam intelligéntibus disciplínam : ipse revélat profúnda, & abscóndita, & novit in ténebris constitúta : & lux cum eo est. Tibi, Deus patrum nostrórum, confíteor, teque laudo : quia sapiéntiam & fortitúdinem dedísti mihi : & nunc ostendísti mihi quæ rogávimus te, quia sermónem regis aperuísti nobis.

℟. Regnum, pag. 285.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Reform. Cap. 12.

CAnónici omnes divína per se, & non per substitútos, compellántur obíre offícia : & Epíscopo celebránti, aut ália Pontificália exercénti, adsístere & inservíre : atque in Choro ad psalléndum instítúto hymnis & cánticis Dei nomen reveréntér, distínctè, devotèque laudáre.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 2. v. 24. ad 29.

POst hæc Dániel ingréssus ad Arioch, quem

constituerat rex ut pérderet sapiéntes Babylónis, sic ei locútus est: Sapiéntes Babylónis ne perdas: intróduc me in conspéctu regis, & solutiónem regi narrábo. Tunc Arioch festínus introdúxit Daniélem ad regem, & dixit ei: Invéni hóminem de fíliis transmigratiónis Juda, qui solutiónem regi annúntiet. Respóndit rex, & dixit Daniéli, cujus nomen erat Baltássar: Putásne verè potes mihi indicáre sómnium quod vidi, & interpretationem ejus? Et respóndens Dániel coram rege, ait: Mystérium, quod rex intérrogat, sapiéntes, magi, aríoli, & arúspices néqueunt indicare regi; sed est Deus in cœlo revélans mystéria, qui indicávit tibi, rex Nabuchodónosor, quæ ventúra sunt in novíssimis tempóribus. ℟. Non colo, *pag.* 285.

Lectio ij. v. 31. ad 37.

TU, rex, vidébas, & ecce quasi státua una grandis; státua illa magna, & statúrâ sublímis stabat contra te, & intúitus ejus erat terríbilis. Hujus státuæ caput ex auro optimo erat; pectus autem & bráchia de argénto; porrò venter & fémora ex ære; tibiæ autem férreæ; pedum quædam pars erat férrea, quædam autem fíctilis. Vidébas ita, donec abscíssus est lapis de monte sine mánibus: & percússit státuã in pédibus ejus férreis & fictílibus, & comminúit eos. Tunc contríta sunt páriter ferrum, testa, æs, argéntum & aurum; & redácta quasi in favíllam æstívæ áreæ, quæ rapta sunt vento; nullúsque locus invéntus est eis: lapis autem, qui percússerat státuam, factus est mons magnus, & implévit univérsam terram. Hoc est sómnium: interpretatiónem quoque ejus dicémus coram te, rex. ℟. Dóminus, *pag.* 286.

Lectio iij. v. 37. ad 45.

TU rex regum es; & Deus cœli, regnum, & fortitúdinem, & impérium, & glóriam dedit tibi: & ómnia in quibus hábitant filii hóminum, & béstiæ agri: vólucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditióne tua univérsa constítuit: tu es ergo caput áureum. Et post te consúrget regnum áliud minus te argénteum. Et regnum tértium áliud æreum, quod imperábit univérsæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum; quómodo ferrum comminuit & domat ómnia, sic comminuet & cónteret ómnia hæc. Porrò quia vidísti pedum & digitorum partem testæ fíguli, & partem férream; regnum divísum erit, quod tamen de plantário ferri oriétur, secúndùm quod vidísti ferrum mistum testæ ex luto. Et dígitos pedum ex parte férreos, & ex parte fíctiles: ex parte regnum erit sóli-

dum, & ex parte contrítum. Quòd autem vidísti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebúntur quidẽ humáno sémine, sed non adhærébunt sibi, sícuti ferrum miscéri non potest testæ. In diebus autem regnórũ illórum, suscitábit Deus cœli regnum, quod in ætérnum non dissipábitur, & regnum ejus álteri pópulo non tradétur: comminuet autem & consúmet univérsa regna hæc; & ipsum stabit in ætérnum.

℟. Deus, *pag.* 286.

CANON

Ex Concílio Bituricénsi.

An. 1584. *Tit.* 34. *Can.* 9.

CAnónici conveniéntes ad capítula, primùm tractent de celebratióne Offícii divíni, & quoscúmque deféctus delinquéntium córrigant, tum de temporálibus negótiis statúant.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

NAbuchodónosor rex fecit statuam auream, altitúdine cubitórum sexagínta, latitúdine cubitórum sex, & státuit eam in campo Dura provínciæ Babylónis. Itaque Nabuchodónosor rex misit ad congregándos sátrapas, magistrátus, & júdices, duces, & tyránnos, & præféctos, omnésque príncipes regiónum, ut convenírent ad dedicatiónem státuæ, quam eréxerat Nabuchodónosor rex. Tunc congregáti sunt sátrapæ, magistrátus, & júdices, duces & tyránni, & optimátes qui erant in potestátibus constitúti, & univérsi príncipes regiónũ, ut convenírent ad dedicatiónẽ státuæ, quam eréxerat Nabuchodonosor rex. Stabant autem in conspéctu státuæ quam posúerat Nabuchodónosor rex; & præco clamábat vehementer: Vobis dícitur pópulis, tríbubus, & linguis: In hora, quâ audiéritis sónitum tubæ, & fístulæ, & citharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & univérsi géneris musicórum, cadéntes adoráte státuam áuream quam constítuit Nabuchodónosor rex. Si quis autem non prostrátus adoráverit, eâdem horâ mittétur in fornácem ignis ardéntis.

℟. Metuéntes, *pag.* 287.

Lectio ij. v. 8. *ad* 15.

STatímque in ipso tempore accedéntes viri Chaldæi accusavérunt Judæos: dixerúntque Nabuchodónosor regi: Rex, in ætérnum vive; tu, rex, posuísti decrétum, ut omnis homo, qui audíerit sónitum tubæ, fístulæ, & cítharæ, sambúcæ, & psaltérii, & symphóniæ, & univérsi géneris musicórum, prostérnat se, & adóret státuam áuream; si quis autem non prócidens adoráverit, mittátur in fornácem ignis ardéntis. Sunt ergo viri Judæi, quos constituísti super

ópera regiónis Babylónis, Sidrach, Misach, & Abdénago: viri isti contempsérunt, rex, decrétum tuum; deos tuos non colunt; & státuam áuream, quam erexísti non adórant. Tunc Nabuchodónosor in furóre & in ira præcépit, ut adduceréntur Sidrach, Misach, & Abdénago; qui conféstim addúcti sunt in conspéctu regis. Pronuntiánsque Nabuchodónosor rex, ait eis: Verène, Sidrach, Misach, & Abdénago, deos meos non cólitis, & státuam áuream, quã constítui, non adorátis?

℟. Qui, *pag.* 287.

Lectio iij. v. 16. ad 25.

RΕspondéntes Sidrach, Misach, & Abdénago, dixérunt regi Nabuchodónosor: Non opórtet nos de hac re respondére tibi; ecce enim Deus noster, quem cólimus, potest erípere nos de camíno ignis ardéntis, & de mánibus tuis, ô rex, liberáre. Quòd si nolúerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non cólimus, & státuam áuream quam erexísti, non adorámus. Tunc Nabuchodónosor replétus est furóre: & aspéctus faciéi illíus immutátus est super Sidrach, Misach, & Abdénago: & præcépit ut succenderétur fornax séptuplũ quàm succéndi consuéverat. Et viris fortíssimis de exércitu suo jussit, ut, ligátis pédibus Sidrach, Misach, & Abdénago, mítterent eos in fornácem ignis ardentis. Et conféstim viri illi vincti cum braccis suis, & tiáris, & calceaméntis, & véstibus, missi sunt in médium fornácis ignis ardéntis; nam jússio regis urgébat: fornax autem succénsa erat nimis. Porrò viros illos, qui míserant Sidrach, Misach, & Abdénago, interfécit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est, Sidrach, Misach, & Abdenago, cecidérunt in médio camíno ignis ardéntis, colligati. Et ambulábant in médio flammæ laudántes Deũ, & benedicéntes Dño.

℟. Homo, *pag.* 288.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

Sess. 24. Cap. 12. de Reform.

CAnónici vestítu decénti tam in Ecclésia, quàm extra assíduè utántur; ab illicitísque venatiónibus, aucúpiis, choréis, tabérnis, lusibúsque abstíneant: atque eâ morum integritáte póllea nt, ut méritò Ecclésiæ Senátus dici possit.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 3. v. 91. ad 94.

TUnc Nabuchodónosor rex obstúpuit, & surréxit próperè, & ait optimátibus suis: Nonne tres viros mísimus in médium ignis compedítos? Qui respondéntes regi, dixérunt: Verè, rex. Respóndit, & ait; Ecce

ego vídeo quátuor viros solútos, & ambulántes in médio ignis, & nihil corruptiónis in eis est, & spécies quarti símilis Fílio Dei. Tunc accéssit Nabuchodónosor ad óstium fornácis ignis ardéntis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdénago, servi Dei excélsi, egredímini, & veníte. Statímque egréssi sunt Sidrach, Misach, & Abdénago de médio ignis.

℟. Fuérunt, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 284.

Lectio ij. v. 94. ad 97.

Et congregáti sunt sátrapæ, & magistrátus, & júdices, & poténtes regis, contemplabántur viros illos, quóniam nihil potestátis habuísset ignis in corpóribus eórum; & capíllus cápitis eórum non esset adústus, & sarábala eórum non fuíssent immutáta, & odor ignis non transísset per eos. Et erúmpens Nabuchodónosor, ait: Benedíctus Deus eórum, Sidrach vidélicet, Misach, & Abdénago, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos, qui crediderúnt in eum: & verbum regis immutavérunt, & tradidérunt córpora sua, ne servírent, & ne adorárent omnem deū, excépto Deo suo. A me ergo pósitum est hoc decrétum: Ut omnis pópulus, tribus, & lingua, quæcúmque locúta fúerit blasphémiam contra Deum Sidrach, Misach & Abdénago, dispéreat, & domus ejus vastétur; neque enim est álius Deus qui possit ita salváre.

℟. Doctrix, *pag.* 284.

Lectio iij. v. 97. ad finem.

Tunc rex promóvit Sidrach, Misach, & Abdénago in provincia Babylónis. Nabuchodónosor rex, ómnibus pópulis, géntibus & linguis qui hábitant in univérsa terra: Pax vobis multiplicétur. Signa & mirabília fecit apud me Deus excélsus. Plácuit ergo mihi prædicáre signa ejus, quia magna sunt; & mirabília ejus, quia fórtia; & regnum ejus, regnum sempitérnum; & potéstas ejus in generatiónem & generatiónem.

℟. Regnum, *pag.* 285.

C A N O N

Ex Concílio Burdigalénsi.

Decet Metropolitánam Ecclésiam, & álias Cathedráles, eas persónas ita gravitáte ac sciéntiâ commendátas, ad Canonicátus elígere, & assúmere, ut ex eis corpus Capítuli coaléscens, Senátus Episcopórum, unde consílium accersánt, méritò dici possit.

F E R I A S E X T A.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 7.

Baltássar rex fecit grande convívium optimátibus suis mille; & unusquísque secúndùm suam bibébat ætátem. Præcépit ergo jam temuléntus, ut afferréntur

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

CANON

Ex Concílio Rotomagénsi. *An.* 1581. *de Epis. & Capit.*

CAnónici Ecclesiárum Cathedrálium eà sint morum integritáte ornáti, ut nomen suum tuéri & retinére possint, ac præ áliis Cléricis Canónici, seu Reguláres, ex observata Ecclesiásticæ disciplínæ perféctiùs régula nominári mereántur; à quibus cæteros stúdium, & amórem, ac tamquam régulam cultûs Divini non pigeat accípere.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 6. v. 1. ad 6.

PLácuit Dário, & constítuit super regnum sátrapas centum vigínti, ut essent in toto regno suo; & super eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat; ut sátrapæ illis rédderent ratiónem, & rex non sustinéret moléstiam. Igitur Dániel superábat omnes príncipes & sátrapas: quia Spíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex cogitábat constitúere eum super omne regnum; unde príncipes & sátrapæ quærébant occasiónem ut invenírent Daniéli ex látere regis; nullámque causam & suspiciónem reperíre potuérunt, eò quòd fidélis esset, & omnis culpa & suspício non inveniréetur in eo. Dixérunt ergo viri illi; Non inveniémus Daniéli huic áliquam occasiónem, nisi fortè in lege Dei sui.

Lectio ij. v. 13. ad 18.

TUnc respondéntes dixérunt coram rege: Dániel de fíliis captivitátis Juda, non curávit de lege tua, & de edícto quod constituísti; sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne suâ. Quod verbum cùm audísset rex, satis contristátus est; & pro Daniéle pósuit cor ut liberáret eum, & usque ad occásum solis laborabat ut erúeret illum. Viri autem illi intelligéntes regem, dixérunt ei: Scito, rex, quia lex Medórum atque Persárum est, ut omne decrétum, quod constitúerit rex, non liceat immutári. Tunc rex præcépit; & adduxérunt Daniélem, & misérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberábit te. Allatúsque est lapis unus, & pósitus est super os laci: quem obsignávit rex ánnulo suo, & ánnulo optimátum suórum, ne quid fíeret contra Daniélem.

Lectio iij. v. 19. ad 25.

TUnc rex primo dilúculo consúrgens, festínus ad lacum leónum perréxit: appropinquánsque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus est eum: Dániel serve Dei vivéntis, Deus tuus, cui tu servis sem-

vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat Nabuchodónosor pater ejus de templo, quod fuit in Jerúsalē, ut bíberent in eis rex & optimátes ejus, uxorésque ejus, & concubínæ. Tunc alláta sunt vasa áurea & argéntea, quæ asportáverat de templo, quod fúerat in Jerúsalem; & bibérunt in eis rex, & optimátes ejus, uxóres & concubínæ illíus. Bibébant vinum, & laudábant deos suos áureos & argénteos, æreos, férreos, ligneósque & lapídeos. In eâdem horâ apparuérunt dígiti, quasi manus hóminis scribéntis contra candelábrū in superfície paríetis aulæ régiæ: & rex aspiciébat artículos manûs scribéntis. Tunc fácies regis commutáta est, & cogitatiónes ejus conturbábant eum; & compáges renum ejus solvebántur, & génua ejus ad se ínvicem collidebántur.

℟. Non colo, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 285.

Lectio ij. v. 13. *ad* 18.

IGitur introdúctus est Dániel coram rege. Ad quem præfátus rex, ait: Tu es Dániel, de filiis captivitátis Judæ, quem addúxit pater meus rex de Judæa? Audívi de te quóniam spíritum deórum hábeas: & sciéntia, intelligentiáque, ac sapiéntia ampliores invéntæ sunt in te. Et nunc introgréssi sunt in conspéctu meo sapiéntes magi, ut scriptúram hanc légerent, & interpretatiónem ejus indicárent mihi; & nequivérunt sensum hujus sermónis edícere. Porrò ego audívi de te, quòd possis obscúra interpretári, & ligáta dissólvere: si ergo vales scriptúram légere, & interpretatiónem ejus indicáre mihi, púrpurâ vestiéris, & torquem áuream circa collum tuum habébis, & tértius in regno meo princeps eris. Ad quæ respóndens Dániel, ait coram rege: Múnera tua sint tibi, & dona domûs tuæ álteri da: scriptúram autem legam tibi, rex, & intrepretatiónem ejus osténdam tibi.

℟. Dóminus, *pag.* 286.

Lectio iij. v. 25. *ad finem.*

HÆc est autem scriptúra, quæ digésta est: Mane, Thecel, Phares. Et hæc est interpretátio sermónis. Mane; Numerávit Deus regnum tuum, & complévit illud. Thecel; Appénsus es in statéra, & invéntus es minùs habens. Phares; Divísum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis. Tunc, jubénte rege, indútus est Dániel púrpurâ, & circúmdata est torques áurea collo ejus; & prædicátum est de eo quòd habéret potestátem tértius in regno suo. Eâdem nocte interféctus est Baltássar rex Chaldæus. Et Dárius Medus succéssit in regnum, annos natus sexagínta duos.

℟. Deus, *pag.* 286.

CANON

Ex Concílio Rotomagénsi. An. 1581. de Epis. & Capit.

CAnónici Ecclesiárum Cathedrálium eà sint morum integritáte ornáti, ut nomen suum tuéri & retinére possint, ac præ áliis Cléricis Canónici, seu Reguláres, ex obsérvata Ecclesiásticæ disciplínæ perféctiùs régula nominári mereántur; à quibus cæteros stúdium, & amórem, ac tamquam régulam cultûs Divíni non pigeat accípere.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 6. v. 1. ad 6.

PLácuit Dário, & constítuit super regnum sátrapas centum vigínti, ut essent in toto regno suo; & super eos príncipes tres, ex quibus Dániel unus erat; ut sátrapæ illis rédderent ratiónem, & rex non sustinéret moléstiam. Igitur Dániel superábat omnes príncipes & sátrapas: quia Spíritus Dei ámplior erat in illo. Porrò rex cogitábat constitúere eum super omne regnum; unde príncipes & sátrapæ quærébant occasiónem ut invenírent Daniéli ex látere regis; nullámque causam & suspiciónem reperíre potuérunt, eò quòd fidélis esset, & omnis culpa & suspício non inveniretur in eo. Dixérunt ergo viri illi; Non inveniémus Daniéli huic áliquam occasiónem, nisi fortè in lege Dei sui.

Lectio ij. v. 13. ad 18.

TUnc respondéntes dixérunt coram rege: Dániel de fíliis captivitátis Juda, non curávit de lege tua, & de edícto quod constituísti; sed tribus tempóribus per diem orat obsecratióne suâ. Quod verbum cùm audísset rex, satis contristátus est; & pro Daniéle pósuit cor ut liberáret eum, & usque ad occásum solis laborabat ut erúeret illum. Viri autem illi intelligéntes regem, dixérunt ei: Scito, rex, quia lex Medórum atque Persárum est, ut omne decrétum, quod constituérit rex, non líceat immutári. Tunc rex præcépit; & adduxérunt Daniélem, & misérunt eum in lacum leónum. Dixítque rex Daniéli: Deus tuus, quem colis semper, ipse liberábit te. Allatúsque est lapis unus, & pósitus est super os laci: quem obsignávit rex ánnulo suo, & ánnulo optimátum suórum, ne quid fíeret contra Daniélem.

Lectio iij. v. 19. ad 25.

TUnc rex primo dilúculo consúrgens, festínus ad lacum leónum perréxit: appropinquánsque lácui, Daniélem voce lacrymábili inclamávit, & affátus est eum: Dániel serve Dei vivéntis, Deus tuus, cui tu servis sem-

per, putásne váluit te liberáre à leónibus? Et Dániel regi respóndens, ait: Rex, in ætérnum vive: Deus meus misit Angelum suum, & conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi: quia coram eo justítia invénta est in me; sed & coram te, rex, delíctum non feci. Tunc veheménter rex gavísus est super eo, & Danielem præcépit edúci de lacu: eductúsque est Dániel de lacu, & nulla læsio invénta est in eo, quia crédidit Deo suo. Jubénte autem rege, addúcti sunt viri illi, qui accusáverant Daniélem; & in lacum leónum missi sunt, ipsi, & filii, & uxóres eórum; & non pervenérunt usque ad paviméntum laci, donec arríperent eos leónes, & ómnia ossa eórum comminuérunt.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 138.

OPórtet Ecclésiæ Prælátos, ut de congregatióne sibi commíssâ tales éligant boni testimónii fratres, in quibus ónera regíminis secúrè possint partiri: qui sicut álios præcédunt magistério, ita nimirum innocéntis vitæ infórment exémplo.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 5. *F.* Adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni; & dócuit me. *Dan.* 9. 21. 22.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 8.

ANno primo Baltássar regis Babylónis, Dániel sómnium vidit: vísio autem cápitis ejus in cubíli suo: & sómnium scribens, brevi sermóne comprehéndit; summatímque perstringens, ait: Vidébam in visióne mea, nocte; & ecce quátuor venti cœli pugnábant in mari magno. Et quátuor béstiæ grandes ascendébant de mari, diversæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habébat áquilæ; aspiciébam donec evúlsæ sunt alæ ejus, & subláta est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hóminis datum est ei. Et ecce béstia ália, símilis urso in parte stetit: & tres órdines erant in ore ejus, & in déntibus ejus; & sic dicébant ei: Surge, cómede carnes plúrimas. Post hæc aspiciébam, & ecce ália quasi pardus; & alas habébat quasi avis, quátuor super se, & quátuor cápita erant in béstia; & potéstas data est ei. Post hæc aspiciébam in visióne noctis, & ecce béstia quarta terríbilis atque mirábilis, & fortis nimis.

℟. Sit nomen Dómini benedíctum à sæculo & usque in sæculum: * Quia sapiéntia & fortitúdo ejus sunt; ipse mutat témpora, & ætates;

transfert regna, atque consítuit. ℣. Sedénti in throno, benedíctio, & glória, & potéstas. * Quia. *Dan.* 2. 20. 21. *Apoc.* 5. 13.

Lectio ij. v. 13. *ad* 19.

ASpiciébam ergo in visióne noctis, & ecce cum núbibus cœli quasi Fílius hóminis veniébat, & usque ad Antíquum diérum pervénit: & in conspéctu ejus obtulérunt eum. Et dedit ei potestátem, & honórem, & regnum; & omnes pópuli, tribus & linguæ ipsi sérvient: potéstas ejus, potéstas ætérna, quæ non auferétur: & regnum ejus, quod non corrumpétur. Hórruit spíritus meus, ego Dániel térritus sum in his, & visiónes cápitis mei conturbavérunt me. Accéssi ad unum de assisténtibus, & veritátem quærébam ab eo de ómnibus his. Qui dixit mihi interpretatiónem sermónum, & dócuit me: Hæ quátuor béstiæ magnæ, quátuor sunt regna, quæ consúrgent de terra. Suscípient autem regnum sancti Dei altíssimi; & obtinébunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculórum.

℟. Benedíctus es, Dómine, in throno regni tui: * Benedíctus es, qui intuéris abyssos: & laudábilis, & superexaltátus in sæcula. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem. * Benedíctus. *Dan.* 3. 54. 55. *Apoc.* 4. 11.

Lectio iij. v. 19. *ad* 27.

POst hoc vólui diligénter díscere de béstia quarta, quæ erat dissímilis valdè ab ómnibus, & terríbilis nimis: dentes & ungues ejus férrei; comedébat, & comminuébat, & réliqua pédibus suis conculcábat: & de córnibus decem, quæ habébat in cápite, & de ália quod ortum fúerat, ante quod cecíderant tria córnua; & de cornu illo quod habébat óculos, & os loquens grándia, & majus erat cæteris. Aspiciébam, & ecce cornu illud faciébat bellum advérsùs sanctos, & prævalébat eis, donec venit Antíquus diérum, & judícium dedit sanctis Excélsi, & tempus advénit, & regnum obtinuérunt sancti. Et sic ait: Béstia quarta, regnum quartum erit in terra, quod majus erit ómnibus regnis, & devorábit univérsam terram, & conculcábit, & comminuet eam. Porrò córnua decem ipsíus regni, decem reges erunt: & álius consúrget post eos, & ipse poténtior erit prióribus, & tres reges humiliábit; & sermónes contra Excélsum loquétur, & sanctos Altíssimi conteret; & putábit quòd possit mutáre témpora, & leges; & tradéntur in manu ejus usque ad tempus, & témpora, & dimídium témporis. Et judícium sedébit, ut auferátur poténtia, & conterátur, & dispéreat usque in finem.

℟. Regnum, & potéstas, & magnitúdo regni, quæ est subter omne cœlum, detur pópulo sanctórum Altíssimi: * Cujus regnum, regnum sempitérnum est, & † Omnes reges sérvient ei, & obédient. ℣. Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potéstas Christi ejus. * Cujus. Glória. † Omnes. *Dan.* 7. 27. *Apoc.* 12. 10.

IN II. NOCTURNO.

De Expositióne sancti Hierónymi Presbyteri in Daniélem Prophétam.

Lectio iv. in Præm.

Contra Prophétam Daniélem duodécimum librum scripsit Porphyrius; nolens eum ab ipso, cujus inscríptus est nómine, esse compósitum, sed à quodam qui tempóribus Antíochi, qui appellátus est Epíphanes, fúerit in Judæa, & non tam Daniélem ventúra dixísse, quàm illum narrásse prætérita.... Cui solertíssimè respondérunt Eusébius Cæsariénsis Epíscopus tribus volumínibus; Apollinárius quoque uno grandi libro; & ante hos ex parte Methódius. Verùm, quia nobis propósitum est, non adversárii calúmniis respondére, quæ longo sermóne índigent, sed ea quæ à Prophéta dicta sunt nostris dissérere, id est, Christiánis, illud in Præfatióne commóneo, nullum Prophetárum tam apértè dixísse de Christo. Non enim solùm scribit eum esse ventúrum, quod est commúne cum cæteris, sed étiam quo témpore ventúrus sit docet, & reges per órdinem dígerit, & annos enúmerat, ac manifestíssima signa prænúntiat.

℟. Dómine, in omnem justítiam tuam, avertátur, óbsecro, ira tua, & furor tuus à civitáte tua Jerúsalem; * Osténde fáciem tuam super sanctuárium tuum, quod desértum est. ℣. Veni, Dómine Jesu. * Osténde. *Dan.* 9. 16. 17. *Apoc.* 22. 20.

Lectio v. Cap. 9.

Africánus in quinto témporum volúmine, de septuagínta hebdomádibus hæc locútus ad verbum est: Capítulum quod in Daniéle de septuagínta hebdomádibus légimus, multa, & mirabília cóntinet, quæ nunc longum est dícere: ergo, quod ad præsens opus pértinet, de tempóribus disseréndum est, nullíque dúbium quin de advéntu Christi prædicátio sit: qui post septuagínta hebdómadas mundo appáruit; post quem consummáta sunt delícta, & finem accépit peccátum, & deléta est iníquitas; & annuntiáta justítia sempitérna, quæ legis justítiam vínceret... Dicit autem ipse Angelus: septuagínta annórum hebdómadas, id est, annos quadringéntos nonagínta, ab éxitu sermónis, ut respon-

deátur, & ut ædificétur Jerúsalem, vicésimum Artaxérxis regis Persárum annum habére princípium.

℟. Exáudi, Dómine, placáre, Dómine: atténde, & fac: * Ne moréris propter temetípsum, Deus meus; quia nomen tuum invocátum est super civitátem, & super pópulum tuum. ℣. Expectántes, & properántes in advéntum diéi Dómini, secúndùm promíssa ipsíus expectámus. * Ne moréris. *Dan.* 9. 19. 2. *Petr.* 3. 12. 13.

Lectio vj.

AD Cyri regis impérium, qui voléntibus revérti Jerúsalem déderat potestátem, Jesus póntifex, & Zoróbabel, & póstea Esdras Sacérdos, & cæteri qui cum eis proficísci voluérant, templum, & urbem, & muros ejus ædificáre conáti sunt, prohibéntibus in circúitu natiónibus, ne impleretur opus, quasi hoc rex non jussísset. Mansit ítaque imperféctum opus usque ad Nehémiam, & vicésimum annum Artaxérxis: quo témpore regni Persárum centum & quíndecim anni fúerant evolúti; captivitátis autem Jerúsalem centésimus octogésimus, & quintus annus erat: & tunc primùm Artaxérxes jussit muros éxtrui Jerúsalem, cui óperi præfuit Nehémias; & ædificáta est platéa, & muri circúmdati; & ex illo témpore, si numeráre velis, septuagínta annórum hebdómadas usque ad Christum póteris inveníre.

℟. Súscita, Dómine, prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres: * Da mercédem sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniántur. ℣. Advénit tempus réddere mercédem servis tuis Prophétis, & sanctis, & timéntibus nomen tuum. * Da mercédem. Glória. * Da. *Eccli.* 36. 17. 18. *Apoc.* 11. 18.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22. *v.* 15.

IN illo témpore; Abeúntes Pharisæi, consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Expos. quarumdam Proposit. Epist. ad Rom. Prop. 72.

CUm constémus ex ánima & córpore, & quámdiu in hac vita temporali sumus, étiam rebus temporálibus ad subsídium degéndæ hujus vitæ utámur; opórtet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pértinet, súbditos esse potestátibus, id est, homínibus res humánas cum áliquo honóre administrántibus. Ex illa verò parte quâ crédimus Deo, & in regnum ejus vocámur, non nos opórtet esse súbditos cuíquam hómini, idípsum in nobis

evértere cupiénti, quod Deus ad vitam ætérnam donáre dignátus est. Si quis ergo putat, quoniam Christiánus est, non sibi esse vectígal reddéndum, aut tribútum, aut non esse exhibéndum honórem débitum eis quæ hæc curant potestátibus, magno in erróre versátur. Item si quis sic se putat esse subdéndum, ut étiam in suam fidem habére potestátem arbitrétur eum qui temporálibus administrándis áliquâ sublimitáte præcéllit, in majórem errórem lábitur. Sed modus iste servándus est, quem Dóminus ipse præscríbit, ut reddámus Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt.

℞. Deus poténtes non ábjicit, cùm & ipse sit potens, * Reges in sólio cóllocat in perpétuum. ℣. Subjécti estóte humánæ creatúræ propter Deum: sive regi, quasi præcellénti, sive dúcibus tamquam ab eo missis. * Reges. *Job.* 36. 5. 7. 1. *Petr.* 2. 13. 14.

Lectio viij. ex Serm. 31. *in Psal.* 118.

NUmquid Christianórum Rex mílites suos prohíbuit impéndere & exhibére quæ debéntur régibus terræ? Nonne tribútum de ore piscis étiam ipse persólvit? Nonne præcúrsor ejus, milítibus regni hujus quid fácere debérent pro ætérna salúte quæréntibus, non ait: Cíngulum sólvite, arma projícite, regem vestrum deserite, ut possítis Dómino militáre; sed ait: Néminem concusséritis, nulli calúmniam fecéritis, sufficiat vobis stipéndium vestrum? Nonne unus mílitum ejus, & dilectíssimus comes ejus, commilitónibus suis, & quodámmodo Christi provinciálibus dixit: Omnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit? Et paulò post, ait: Réddite ómnibus débita; cui tribútum, tribútum; cui vectígal, vectígal; cui timórem, timórem; cui honórem, honórem. Némini quidquam debeatis; nisi ut ínvicem diligátis. Nonne præcépit ut pro ipsis étiam régibus oráret Ecclesia?

℞. Numquid non sapiéntia clámitat: * Per me reges regnant; & legum conditóres justa decérnunt: per me príncipes ímperant, & potentes decérnunt justítiam? ℣. Non est enim potéstas nisi à Deo. * Per me. *Prov.* 8. 1. 15. 16. *Rom.* 13. 1.

Lectio ix. Serm. 62. *de verbis Evang. C.* 8.

NUmquid in supérbiam vos erígimus, aut dícimus vobis ut advérsùs potestátes ordinátas contemptóres sitis? Non hoc dícimus. Non est potéstas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinátæ sunt. Qui autem resístit potestáti, Dei ordinatióni re-

sístit. Sed quid, si illud júbeat quod non debes fácere? Hîc sanè contémne potestátem, timéndo potestátem. Ipsos humanárum rerum gradus advértite. Si áliquid jusserit Curátor, nonne faciéndum est? Tamen si contra Procónsulem júbeat, non útique contémnis potestátem, sed éligis majóri servíre. Nec hinc debet minor irásci, si major prælátus est. Ergo si áliud Imperátor, áliud Deus, quid judicátis? Solve tribútum, esto mihi in obséquium. Rectè; sed non in idólio. In idólio próhibet. Quis próhibet? Major potéstas. Da véniam: tu cárcerem, ille gehennam minátur. Hinc jam tibi assuménda est fides tua tamquam scutum, in quo possis ómnia ignita jácula inimíci extínguere.

℟. ℟. O filii, æmulatóres estóte legis; & date ánimas vestras pro testaménto patrum vestrórum: * A verbis viri peccatóris ne timuéritis: hódie extóllitur, & cras non inveniétur: † Viríliter ágite in lege, quia in ipsa gloriósi éritis. ℣. Obedíre opórtet Deo magis, quàm homínibus. * A verbis. Glória. † Viríliter. 1. *Mach.* 2. 50. 62. 63. 64. *Act* 5. 29.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Obtulérunt ei denárium. Et ait illis Jesus: Cujus est imágo hæc? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Réddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. *Matth.* 22. 19. 20. 21.

Oratio.

DIrigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ pietátis operátio; ut & tibi nostra ómnia, quæ tua sunt, reddámus, & ordinátis à te potestátibus promptâ simus voluntáte subjécti; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Reménsi.

An. 1583. *de Episc. Num.* 16. & 17.

EPíscopi viros doctrínâ & vitâ insígnes substítuant, qui vicáriam illis præstent óperam: probos étiam, atque doctos hábeant Officiários, máximè Officiáles, & Promotóres.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *d.* Non potuerunt verbum ejus reprehéndere coram plebe: & miráti in respónso ejus, tacuérunt. *Luc.* 20. 26.

Oratio ut suprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 8. *v.* 1. *ad* 6.

ANno tértio regni Baltássar regis, vísio appáruit mihi. Ego Dániel, post id quod víderam in princípio, vidi in visióne mea, cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam regióne: vidi autem in visióne esse me super portam Ulaï. Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce áries unus stabat ante palúdem, habens córnua excelsa,

& unum excélsius áltero atque succréscens. Póstea vidi aríetem córnibus ventilántem contra Occidéntem, & contra Aquilónem, & contrà Merídiem, & omnes béstiæ non póterant resístere ei, neque liberári de manu ejus: fecítque secúndùm voluntátem suam, & magnificátus est. Et ego intelligébam: ecce autem hircus caprárum veniébat ab Occidénte super fáciem totíus terræ, & non tangébat terram: porrò hircus habébat cornu insigne inter óculos suos.

℟. Sit, *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 296.

Lectio ij. v. 13. *ad.* 18.

ET audívi unum de sanctis loquéntem: & dixit unus sanctus álteri, néscio cui loquénti: Usquequò vísio, & juge sacrifícium, & peccátum desolatiónis, quæ facta est: & sanctuárium, & fortitúdo conculcábitur? Et dixit ei: Usque ad vésperam & manè, dies duo míllia trecénti: & mundábitur sanctuárium. Factum est autem cùm vidérem ego Dániel visiónem, & quǽrerem intellígéntiam: ecce stetit in conspéctu meo quasi spécies viri. Et audívi vocem viri inter Ulaï, & clamávit, & ait: Gábriel, fac intellígere istum visiónem. Et venit, & stetit juxtà ubi ego stabam: cùmque veníssèt, pavens córrui in fáciem meam; & ait ad me: Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur vísio.

℟. Benedíctus, *pag.* 297.

Lectio iij. v. 18. *ad* 26.

CUmque loquerétur ad me, collápsus sum pronus in terram: & tétigit me, & státuit me in gradu meo, dixítque mihi: Ego osténdam tibi quæ futúra sunt in novíssimo maledictiónis; quóniam habet tempus finem suum. Aries quem vidísti habére córnua, rex Medórum est atque Persárum. Porrò hircus caprárum, rex Græcórum est; & cornu grande quod erat inter óculos ejus, ipse est rex primus. Quòd autem fracto illo, surrexérunt quátuor pro eo; quátuor reges de gente ejus consúrgent, sed non in fortitúdine ejus. Et post regnum eórum, cùm créverint iniquitátes, consúrget rex ímpudens fácie, & intélligens propositiónes. Et roborábitur fortitúdo ejus, sed non in víribus suis; & supra quàm credi potest, univérsa vastábit, & prosperábitur, & fáciet. Et interfíciet robústos, & pópulum sanctórum secúndùm voluntátem suam, & dirigétur dolus in manu ejus; & cor suum magnificábit, & in cópia rerum ómnium occídet plúrimos: & contra príncipem príncipum consúrget, & sine manu conterétur.

℟. Regnum, *pag.* 298.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Reform. Cap. 3.

EPíscopi própriam Diœcésim per se ipsos, aut, si legítimè impedíti fúerint, per suum generálem Vicárium, aut Visitatórem, si quotánnis totam, propter ejus latitúdinem, visitáre non póterunt, saltem majórem ejus partem; ita tamen, ut tota biénnio, per se, vel Visitatóres suos compleátur, visitáre non prætermíttant.

FERIA TERTIA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 9. v. 1. ad 7.

IN anno primo Dárii fílii Assuéri, de sémine Medórum, qui imperávit super regnum Chaldæorum; anno uno regni ejus, ego Dániel intelléxi in libris númerum annórum, de quo factus est sermo Dómini ad Jeremíam prophétam, ut compleréntur desolatiónis Jerúsalem septuagínta anni. Et pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, sacco, & cínere. Et orávi Dóminum Deum meum, & conféssus sum, & dixi: Obsecro, Dómine Deus meus magne & terríbilis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus te, & custodiéntibus mandáta tua: peccávimus, iniquitátem fécimus, ímpiè égimus, & recéssimus, & declinávimus à mandátis tuis, ac judíciis: non obedívimus servis tuis Prophétis qui locúti sunt in nómine tuo régibus nostris, princípibus nostris, pátribus nostris, omníque pópulo terræ.

℟. Dómine, *ex 2. Noct. Dom. pag. 298.*

Lectio ij. v. 21. ad 25.

ADhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel quem víderam in visióne à princípio, citò volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, & locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, & intelligeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo; ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, & intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviatæ sunt super pópulum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, & finem accípiat peccátum, & deleátur iníquitas, & adducátur justítia sempitérna, & impleátur vísio, & prophetía, & ungátur Sanctus sanctórum.

℟. Exáudi, *pag. 299.*

Lectio iij. v. 25. ad finem.

SCito ergo, & animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, & hebdómades sexagínta

duæ erunt: & rursum ædificabitur platéa, & muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus; & non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem & sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro: & finis ejus vástitas, & post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: & in dimídio hebdómadis defíciet hóstia & sacrifícium: & erit in templo abominatio desolatiónis; & usque ad consummatiónem & finem perseverábit desolátio.

℟. Súscita, *pag.* 299.

CANON

Ex Concílio Narbonénsi. *An.* 1607. *Can.* 28. *de Visit.*

Ecclésias Epíscopi vísitent, moderáto comitátu, ne súbditos nímiis súmptibus opprimant; eósque secum assúmant quos probátæ fidei, & doctrínæ; nóverint, & quorum íntegra fama, iis ad quos profíciscúntur, exémplo esse possit.

FERIA QUARTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 2. *ad* 7.

In diébus illis, ego Dániel lugebam trium hebdomadárum diébus: panem desiderábilem non comédi, & caro & vinum non introiérunt in os meum; sed neque unguento unctus sum, donec compleréntur trium hebdomadárum dies. Die autem vigésimâ & quartâ mensis primi, eram juxta flúvium magnum, qui est Tigris. Et levávi óculos meos, & vidi: & ecce vir unus vestítus líneis, & renes ejus accíncti auro obrizo: & corpus ejus quasi chrysólithus, & fácies ejus velut spécies fúlguris, & oculi ejus ut lampas ardens; & bráchia ejus, & quæ deórsum sunt usque ad pedes, quasi spécies æris candéntis, & vox sermónum ejus ut vox multitúdinis.

℟. Deus, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 300.

Lectio ij. v. 10. *ad* 15.

Et ecce manus tétigit me, & eréxit me super genua mea, & super artículos mánuum meárum. Et dixit ad me: Dániel vir desiderióرum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cùmque dixísset mihi sermónem istum, steti tremens. Et ait ad me: Noli metúere, Dániel; quia ex die primo, quo posuísti cor tuum ad intelligéndum ut te affligeres in conspéctu Dei tui, exaudíta sunt verba tua: & ego veni propter sermónes tuos. Princeps autem regni Persárum réstitit mihi vigínti & uno diébus; & ecce Míchael unus de princípibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem Persárum. Veni autem ut docérem te quæ

ventúra sunt pópulo tuo in novíssimis diébus, quóniam adhuc vísio in dies.

℟. Numquid, pag. 300.

Lectio iij. v. 15. ad finem.

CUmque loquerétur mihi hujuscémodi verbis, dejeci vultum meum ad terram, & tácui. Et ecce quasi similitúdo filii hóminis tétigit lábia mea: & apériens os meum locútus sum, & dixi ad eum qui stabat contra me: Dómine mi, in visióne tua dissolútæ sunt compáges meæ, & nihil in me remánsit vírium. Et quómodo póterit servus Dómini mei loqui cum Dómino meo? nihil enim in me remánsit vírium, sed & hálitus meus interclúditur. Rursum ergo tétigit me quasi vísio hóminis, & confortávit me, & dixit: Noli timére, vir desideriórum: pax tibi: confortáre, & esto robústus. Cùmque loquerétur mecum, conválui, & dixi: Lóquere, Dómine mi, quia confortásti me. Et ait: Numquid scis quare vénerim ad te? & nunc revértar ut prælier adversum príncipem Persárum. Cùm ergo egrédérer, appáruit princeps Græcórum véniens. Verúmtamen annuntiábo tibi quod expréssum est in scriptúra veritátis: & nemo est adjútor meus in ómnibus his, nisi Míchael princeps vester.

℟. O filii, pag. 300.

CANON

Ex Concilio Tridentíno.

Sess. 24 de Reform. Cap. 3.

VIsitatiónum præcípuus sit scopus, sanam, orthodoxámque doctrínam, expúlsis hærésibus, indúcere; bonos mores tuéri, pravos corrígere, pópulum cohortatiónibus & admonitiónibus ad religiónem, pacem, innocentiámque accéndere: cætera prout locus, tempus, & occásio feret, ex visitántium prudéntiâ, ad fidélem fructum constitúere.

FERIA QUINTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 12. v. 1. ad 5.

IN témpore illo consúrget Míchael princeps magnus, qui stat pro fíliis pópuli tui: & véniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœpérunt usque ad tempus illud. Et in témpore illo salvábitur pópulus tuus, omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro. Et multi de his qui dórmiunt in terræ púlvere, evigilábunt: álii in vitam ætérnam, & álii in oppróbrium ut vídeant semper. Qui autem docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti: & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. Tu autem, Dániel, claude sermónes, & signa librum, usque ad tempus statútum, plúrimi pertransíbunt, & múltiplex erit sciéntia.

℟. Sit, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 296.

Lectio ij. v. 5. *ad medium* 8.

ET vidi ego Dániel, & ecce quasi duo álii stabant: unus hinc super ripam flúminis, & álius inde ex áltera ripa flúminis. Et dixi viro, qui erat indútus líneis, qui stabat super aquas flúminis: Usquequò finis horum mirabílium? Et audívi vírum qui indútus erat líneis, qui stabat super aquas flúminis, cùm eleváSSet dézteram & sinístram suam in cœlum, & juráSSet per Vivéntem in ætérnum, quia in tempus, & témpora, & dimídium témporis. Et cùm compléta fúerit dispérsio manûs pópuli sancti, complebúntur univérsa hæc. Et ego audívi, & non intelléxi.

℟. Benedíctus, *pag.* 297.

Lectio iij. à medio v. 8. *ad finem.*

ET dixi: Dómine mi, quid erit post hæc? Et ait: Vade, Dániel, quia clausi sunt, signatíque sermónes, usque ad præfinítum tempus. Eligéntur, & dealbabúntur, & quasi ignis probabúntur multi: & ímpiè agent ímpii, neque intélligent omnes ímpii, porrò docti intelligent. Et à témpore cùm ablátum fúerit juge sacrifícium, & pósita fúerit abominátio in desolatiónem, dies mille ducénti nonagínta. Beatus qui expéctat, & pervénit usque ad dies mille trecéntos trigínta quinque. Tu autem vade ad præfinítum: & requiésces, & stabis in sorte tua in finem diérum.

℟. Regnum, *pag.* 298.

CANON

Ex Concílio Bracarénsi tértio.

An. 572. *Can.* 1.

EPíscopi per síngulas Ecclésias & Diœcéses ambulántes, primùm discútiant Cléricos, quómodo órdinem téneant, & quáliter quæcúmque offícia in Ecclésia péragant ... Aliâ autem die, convocáto ipsíus plebe Ecclésiæ, dóceant illos, ut fúgiant crímina ... Et quod nolunt fíeri sibi, non fáciant álteri; & sic póstea Epíscopus de Ecclésia illa profiscátur ad áliam.

FERIA SEXTA.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 13. *v. ultimo, & Cap.* 14. *v.* 1. *ad* 7.

REx Astyages appósitus est ad patres suos; & suscépit Cyrus Perses regnum ejus. Erat autem Dániel convíva regis, & honorátus super omnes amícos ejus. Erat quoque idólum apud Babylónios nómine Bel: & impendebántur in eo per dies síngulos símilæ ártabæ duódecim, & oves quadragínta, viníque ámphoræ sex. Rex quoque colébat eum, & ibat per síngulos dies adoráre eum: porrò Dániel adorabat Deum suum. Dixítque

.ei rex : Quare non adóras Bel? Qui respóndens, ait ei : Quia non colo idóla manufácta, sed vivéntem Deum qui creávit cœlum & terram, & habet potestátem omnis carnis. Et dixit rex ad eum : Non vidétur tibi esse Bel vivens deus ? Annon vides quanta cómedat & bibat quotídie ? Et ait Dániel arrídens : Ne erres, rex ; iste enim intrínsecùs lúteus est, & forínsecùs æreus, neque cómedit aliquándo.

℞. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 298.

Lectio ij. v. 7. *ad* 14.

ET irátus rex vocávit sacerdótes ejus, & ait eis : Nisi dixéritis mihi, quis est qui cómedat impénsas has, moriémini. Si autem ostendéritis, quóniam Bel cómedat hæc, moriétur Dániel, quia blasphemávit in Bel. Et dixit Dániel regi : Fiat juxta verbum tuum. Erant autem sacerdótes Bel septuagínta, excéptis uxóribus, & párvulis, & filiis. Et venit rex cum Daniéle in templum Bel. Et dixérunt sacerdótes Bel : Ecce nos egrédimur foràs ; & tu, rex, pone escas, & vinum misce, & claude óstium, & signa ánnulo tuo ; & cùm ingréssus fúeris manè, nisi invéneris ómnia comésta à Bel, morte moriémur, vel Dániel qui mentítus est advérsùm nos. Contemnébant autem, quia fécerant sub mensa abscónditum intróitum, & per illum ingrediebántur semper, & devorábant ea. Factum est ígitur, postquam egréssi sunt illi, rex pósuit cibos ante Bel. Præcépit Dániel púeris suis, & attulérunt cínerem, & cribrávit per totum templum coram rege, & egréssi clausérunt óstium ; & signántes ánnulo regis abiérunt.

℞. Exáudi, *pag.* 299.

Lectio iij. v. 14. *ad* 22.

SAcerdótes autem ingréssi sunt nocte juxta consuetúdinem suam, & uxóres, & filii eórum ; & comedérunt ómnia, & bibérunt. Surréxit autem rex primo dilúculo, & Dániel cum eo. Et ait rex : Salvane sunt signácula, Dániel ? Qui respóndit : Salva, rex. Statímque cùm aperuísset óstium, intúitus rex mensam, exclamávit voce magnâ : Magnus es, Bel, & non est apud te dolus quisquam. Et risit Dániel, & ténuit regem ne ingrederétur intrò : & dixit : Ecce paviméntum, animadvérte cujus vestígia sint hæc. Et dixit rex : Vídeo vestígia virórum, & mulíerum, & infántium. Et irátus est rex. Tunc apprehéndit sacerdótes, & uxóres, & fílios eórum ; & ostendérunt ei abscóndita ostíola per quæ ingrediebántur, & consumébant quæ erant super mensam. Occídit ergo illos rex, & trádidit Bel in potestátem Daniélis, qui subvértit

eum, & templum ejus.

℟. Súscita, *pag.* 299.

CANON

Ex Concílio Suessionénsi.

An. 744. *Can.* 4.

UNusquísque Présbyter qui in Paróchia est, Epíscopo obédiens & subjéctus sit; & ratiónem & órdinem ministérii sui Epíscopo reddat: & quando jure canónico Epíscopus círcumit Paróchiam, Abbátes, & Presbyteri paráti sint ad suscipiéndum Epíscopum in adjutórium necessitátis.

SABBATO.

De Daniéle Prophéta.

Lectio j. Cap. 14. *v.* 22. *ad* 31.

ERat draco magnus in loco illo, & colébant eum Babylónii. Et dixit rex Daniéli: Ecce nunc non potes dícere quia iste non sit deus vivens: adóra ergo eum. Dixítque Dániel: Dóminum Deum meum adóro: quia ipse est Deus vivens: iste autem non est deus vivens. Tu autem, rex, da mihi potestátem, & interfíciam dracónem absque gládio & fuste. Et ait rex: Do tibi. Tulit ergo Dániel picem, & ádipem, & pilos, & coxit páriter: fecítque massas, & dedit in os dracónis, & dirúptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebátis. Quod cùm audíssent Babylónii, indignáti sunt veheménter: & congregáti advérsùm regem, dixérunt: Judæus factus est rex: Bel destrúxit, draconem interfecit, & sacerdótes occídit. Et dixérunt cùm veníssent ad regem: Trade nobis Daniélem, alióquin interficiémus te, & domum tuam. Vidit ergo rex quòd irrúerent in eum vehementer: & necessitáte compúlsus trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum, & erat ibi diébus sex.

Lectio ij. v. 32. *ad* 39.

ERat autem Hábacuc Prophéta in Judæa, & ipse cóxerat pulméntum, & intríverat panes in alvéolo: & ibat in campum ut ferret messóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium quod habes, in Babylónem Daniéli qui est in lacu leónum. Et dixit Hábacuc: Dómine, Babylónem non vidi, & lacum néscio. Et apprehéndit eum Angelus Dómini in vértice ejus, & portávit eum capíllo cápitis sui, posuítque eum in Babylóne, supra lacum in ímpetu spíritûs sui. Et clamávit Hábacuc, dicens: Dániel serve Dei, tolle prándium quod misit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es meî, Deus, & non dereliquísti diligéntes te. Surgénsque Dániel comédit. Porrò Angelus Dómini restítuit Hábacuc conféstim in loco suo.

Lectio iij. v. 39. ad finem.

VEnit ergo rex die séptimo ut lugéret Daniélem: & venit ad lacum, & introspéxit, & ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclamávit voce magnâ rex, dicens: Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extráxit eum de lacu leónum. Porrò illos, qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum, & devoráti sunt in moménto coram eo. Tunc rex ait: Páveant omnes habitántes in univérsa terra Deum Daniélis: quia ipse est salvátor, fáciens signa & mirabília in terra: qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 24. de Reform. Cap. 10.

UBi de visitatióne, aut morum correctióne ágitur, exémptio, aut ulla inhibítio, appellátio, seu queréla étiam ad Sedem Apostólicam interpósita, executiónem eorum quæ ab Epíscopis mandáta, decréta, aut judicáta fúerint, nec quoquo modo impédiat, aut suspéndat.

Ad Magnif. Ant. t. 8. G. Duódecim Prophetárum ossa púllulent de loco suo: nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt se in fide virtútis. *Eccli. 49. 12.*

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXIII.
POST PENTECOSTEN.
IN I. NOCTURNO.

Incipit Osée Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 6.

VErbum Dómini quod factum est ad Osée filium Beéri, in diébus Oziæ, Jóathan, Achaz, Ezechíæ regum Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israel. Princípium loquéndi Dómino in Osée. Et dixit Dóminus ad Osée: Vade, sume tibi uxórem fornicatiónum, & fac tibi filios fornicatiónum; quia fórnicans fornicábitur terra à Dómino. Et ábiit, & accépit Gomer filiam Debélaim: & concépit, & péperit ei filium. Et dixit Dóminus ad eum: Voca nomen ejus Jézrahel; quóniam adhuc módicum, & visitábo sánguinem Jézrahel super domum Jehu, & quiéscere fáciam regnum domûs Israel. Et in illa die cónteram arcum Israel in valle Jézrahel.

℟. Dómine Deus, * Ergone dispérdes omnes relíquias Israel, effúndens furórem tuum super Jerúsalem? ℣. Quid enim si quidam illórum non crediderunt? * Ergone. *Ezech. 9. 8. Rom. 3. 3.*

Lectio ij. v. 6. ad finem.

ET concépit adhuc, & péperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus, Absque misericórdia; quia non addam ultrà miseréri dómui Israel, sed obliviόne obli-

víscar eórum. Et dómui Judæ miserébor, & salvábo eos in Dómino Deo suo; & non salvábo eos in arcu, & gládio, & in bello, & in equis, & in equítibus. Et ablactávit eam, quæ erat Absque misericórdia. Et concépit, & péperit filium. Et dixit: Voca nomen ejus, Non pópulus meus; quia vos non pópulus meus; & ego non ero vester. Et erit números filiórum Israel quasi aréna maris, quæ sine mensúra est, & non numerábitur. Et erit in loco ubi dicétur eis: Non pópulus meus vos; dicétur eis: Filii Dei vivéntis. Et congregabúntur filii Juda, & filii Israel páriter; & ponent síbimet caput unum, & ascéndent de terra; quia magnus dies Jézrahel.

℟. Convértere, Israel, ad Dóminum Deum tuum: quóniam corruísti in iniquitáte. * Tóllite vobíscum verba, & convertímini ad Dóminum, & dícite: Omnem aufer iniquitátem. ℣. Vobis est repromíssio, & filiis vestris: salvámini à generatióne ista prava. * Tóllite. *Osee* 14. 2. 3. *Act.* 2. 39 40.

Lectio iij. Cap. 4. v. 1. ad 8.

AUdíte verbum Dómini, filii Israel, quia judícium Dómino cum habitatóribus terræ: non est enim véritas, & non est misericórdia, & non est sciéntia Dei in terra. Maledíctum, & mendácium, & homicídium, & furtum, & adultérium inundavérunt, & sanguis sánguinem tétigit. Propter hoc lugébit terra, & infirmábitur omnis qui hábitat in ea, in béstia agri, & in vólucre cæli: sed & pisces maris congregabúntur. Verúmtamen unusquísque non júdicet: & non arguátur vir: pópulus enim tuus, sicut hi qui contradícunt sacerdóti. Et córrues hodie, & córruet étiam prophéta tecum: nocte tacére feci matrem tuam. Contícuit pópulus meus, eò quòd non habúerit sciéntiã: quia tu sciéntiam repulísti, repéllam te, ne sacerdótio fungáris mihi: & oblíta es legis Dei tui, oblivíscar filiórum tuórum & ego. Secúndùm multitúdinem eórum sic peccavérunt mihi; glóriam eórum in ignomíniam commutábo.

℟. Quid est, Israel, quòd in terra inimicórum es? inveterásti in terra aliéna, coinquinátus es cum mórtuis: deputátus es cum descendéntibus in inférnum. * Dereliquísti fontem sapiéntiæ: nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace sempitérna. ℣. Tu, Judæus, qui in lege gloriáris, per prævaricatiónem legis Deum inhonóras. * Dereliquísti. Glória. * Dereliquísti. *Baruc.* 3. 10. 11. 12. 13. *Rom.* 2. 17. 23.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Augustini Episcopi, de Civitate Dei.

Lectio iv. Lib. 18. Cap. 27.

IN cápite libri Osée Prophétæ, qui primus in duódecim pónitur, ita scriptum est : Verbum Dómini quod factum est ad Osée in diébus Ozíæ, & Jóathan, & Achaz & Ezechíæ, regum Juda. Amos quoque diébus regis Ozíæ prophetásse se scribit ... Michæas étiam éadem suæ prophetíæ commémorat témpora post dies Ozíæ; nam tres qui sequúntur, reges nóminat, quos & Osée nominávit, Jóathan, Achaz, & Ezechíam. His adjúngitur Jonas, eódem Oziâ rege regnánte; & Joel, cùm jam regnáret Jóathan, qui succéssit Ozíæ. Ac per hoc, per ea témpora, isti velut fontes prophetíæ páriter erupérunt, quando regnum defécit Assyrium, cœpítque Románum: ut scílicet quemádmodum regni Assyriórum primo témpore éxtitit Abraham, cui promissiónes apértæ fíerent in ejus sémine benedictiónis ómnium géntium; ita occidentális Babylónis exórdio, quâ fúerat Christus imperánte ventúrus, in quo impleréntur illa promíssa orácula Prophetárum, non solùm loquéntium, verùm étiam scribéntium, in tantæ rei futúræ testimónium solveréntur.

℟. Veníte, & revertámur ad Dóminum: * Quia ipse cepit, & sanábit nos: percútiet, & curábit nos: vivificábit nos, & vivémus in conspéctu ejus. ℣. Patiénter agit, nolens áliquos períre, sed omnes ad pœniténtiam revérti. * Quia. *Osee. 6. 1. 2. 3. 2. Petr. 3. 9.*

Lectio v. Cap. 28. & 30.

OSée ígitur Prophéta, quantò profúndiùs quidem lóquitur, tantò operósiùs penetrátur. Sed áliquid inde suméndum est, & hîc ex nostra promissióne ponéndũ. Et erit, inquit, in loco quo dictum est eis, Non pópulus meus vos, vocabúntur & ipsi filii Dei vivi. Hoc testimóniũ prophéticum de vocatióne pópuli géntium, qui priùs non pertinébat ad Deum, étiam Apóstoli intellexérunt. Amos quoque de rebus tálibus sic prophétat : Præpara, inquit, te, ut ínvoces Deum tuum Israel; quia ecce ego firmans tonítruum, & creans spíritum, & annúntians in homínibus Christum suum. Michæas Prophéta Christum in figúra ponens cujúsdam magni montis, hæc lóquitur: Erit in novíssimis diébus maniféstus mons Dómini parátus super vértices móntium. Prædícens iste Prophéta & locum in quo natus est Christus: Et tu, inquit, Béthleem domus Ephráta, nequáquam mínima es, ut sis in míllibus Juda; ex te enim pródiet, ut sit in príncipem Israel, &

ægréssus ejus ab inítio, & ex diébus æternitátis.

℟. Pópulus Sion, plorans nequáquam plorábis; * Míserans miserébitur tui: ad vocem clamóris tui statim ut audíerit, respondébit tibi: erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum. ℣. Sicut locútus est per os sanctórum, qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus. * Míserans. *Is.* 30. 19. 20. *Luc.* 1. 70.

Lectio vj. Cap. 30. *&* 31.

JOnas autem Prophéta, non tam sermóne Christum, quàm suâ quâdam passióne prophetávit, profectò apértiùs, quàm si ejus mortem & resurrectiónem voce clamáret. Ut quid enim exceptus est ventre belluíno, & die tértio rédditus, nisi ut significáret Christum de profúndo inférni die tértio reditúrum? Joël ómnia quæ prophétat, multis verbis compéllit expóni, ut quæ pértinent ad Christum & Ecclésiam dilucéscant. Unum tamen, quod étiam Apóstoli commemoravérunt, quando in congregátos credéntes Spíritus sanctus, sicut à Christo promíssus fúerat, désuper venit, non prætermíttam. Et erit, inquit, post hæc, & effúndam de Spíritu meo super omnem carnem; & prophetábunt filii vestri & filiæ vestræ. Abdias, quantùm ad scriptúram ejus áttinet, ómnium brevíssimus Prophetárum, advérsùs Idumæam lóquitur. Porrò, si Idumæam modo locutiónis, quo intellígitur à parte totum, accipiamus pósitam esse pro géntibus; de Christo agnóscere póssumus quod ait inter cætera: In monte autem Sion erit salus, & erit sanctum.

℟. Contestátus es eos, Dómine, in spíritu tuo per manum prophetárum tuórum; & non audiérunt, * Et tradidísti eos in manu populórum terrárum: in misericórdiis autem tuis plúrimis non fecísti eos in consumptiónem: † Quóniam Deus miseratiónum es tu. ℣. Occidérunt Prophétas, & nos persecúti sunt, ut ímpleant peccáta sua semper. * Et tradidísti. Glória. † Quóniam. 2. *Esdr.* 9. 30. 31. 1. *Thess.* 2. 15. 16.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9. *v.* 18.

IN illo témpore; Loquénte Jesu ad discípulos Joánnis, ecce princeps unus accéssit, & adorábat eum, dicens: Dómine, fília mea modò defúncta est: sed veni, impóne manum tuam super eam, & vivet. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homil. 31. *in Matth. aliàs* 32. *n.* 1.

QUi accéssit, Synagógæ princeps erat, luctúsque gravis: única enim puélla erat annórum duódecim...

Surgéntem porrò Christum multi secúti sunt quasi ad magnum miráculum & ob dignitátem accedentis ; tum quia multi adhuc rudióres non tam ánimæ curam,quàm córporis sanitátem quærébant. Et ecce múlier quæ sánguinis fluxum patiebatur à duódecim annis, accéssit retrò. Cur non fidénter ad illum accéssit ? Quòd pudéret de morbo, sese nanque immúndam putábat ... In domum autem vocáre non ausa est, etsi dives esset. Neque públicè accéssit, sed clam cum fide vestiménta tétigit : non dubitávit, neque in se ipsa dixit : Num liberábor à morbo, necne ? sed de sanitáte recuperánda confídens accéssit : dicébat enim intra se : Si solùm tetígero vestiméntum ejus, salva ero.

℟. Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum. * Cùm angustiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus sum : ut véniat ad te orátio mea. ℣. Múlier, quæ sánguinis fluxum patiebátur, accéssit retrò, & tétigit fimbriam vestiménti ejus : dicébat enim intra se ; Si tetígero tantùm vestiméntum ejus, salva ero. * Cùm angustiarétur. *Jonæ.* 2. 3. 8. *Matth,* 9. 20. 21.

Lectio viij.

QUid ígitur Christus ? non permísit eam latére, sed in médium addúxit, & multis de causis illam maniféstam esse vóluit. . Primò, solvit mulíeris timórem, ne consciéntiæ stímulis agitáta, útpote quæ grátiam illam suffuráta esset, scrúpulo laboráret. Secúndò, ipsam córrigit, quòd se latére putáret. Tértió, fidem ejus ómnibus notam reddit, ut álii eam imitaréntur. Neque minus signum edit cùm osténdit se ómnia scire, quàm cùm fluxum sánguinis cóhibet. Deinde Archisynagógum, cujus fides periclitabátur, quo pacto ómnia perdidísset, per mulíerem illam confirmáret ; nam vénerant qui dícerent : Noli vexáre magistrum,nam mórtua est puélla. Qui autem in domo erant, irridébant eum, quòd díceret illam dormíre.

℟. Laudábitis nomen Dei vestri, qui fecit mirabília vobíscum : & erit ; * Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit : quia in monte Sion, & in Jerúsalem erit salvátio. ℣. Jesus convérsus, & videns mulíerem, dixit : Confide, filia, fides tua te salvam fecit. * Omnis qui. *Joel.* 2. 26. 32. *Matth.* 9. 22.

Lectio ix. n. 2.

VIden mulíerem Archisynagógo præstantiórē ? Non retínuit, non apprehéndit, sed summis tantùm dígitis tétigit ; & cùm última veníesset, prior sanáta discéssit. Ille médicum addúxit

domum; huic tactus solus satis fuit. Nam etsi ægritúdine ligarétur, fide, ceu alis, attollebátur. Perpénde autem quomodo illam consolétur, dicens: Fides tua te salvam fecit... Hæc dixit, ut Archisynagógum ad credéndum instituéret, & mulíerem commendáret, atque his verbis voluptátem ipsi si utilitátemque præbéret córporis curatióne non minórem. Múlier verò, nisi id ita factum esset, latens & tantis vácua láudibus abscessísset. Ideòque ipsam in médium addúctam celebrávit, ejúsque timórem dépulit; Nam tremens accéssit, inquit, ipséque illi fidúciam índidit, & cum córporis valetúdine, ália ipsi viática dedit, dicens: Vade in pace.

℟. Qui timétis Dóminum, crédite illi: & non evacuábitur merces vestra. * Respícite, filii, natiónes hóminum; & scitóte † Quia nullus sperávit in Dómino, & confúsus est. ℣. Omnis qui credit in eum, non confundétur. * Respícite. Glória. † Quia. *Eccli.* 2. 8. 11. *Rom.* 9. 33.

Ad Bened. *Ant.* 1. 7. *D.* Dómine, filia mea modò defúncta est: sed veni, impóne manum tuam super eam, & vivet. *Matth.* 9. 18.

Oratio.

PRofíciat, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta, piæ devotiónis affectu; ut tuis institúta doctrínis, quantò in fide sit firmior, tantò donis potióribus augeátur; Per Dominum.

C A N O N

Ex Concilio Tridentino.

Sess. 6. *Cap.* 1. *de Reform.*

MInisterium suum Pastores impleant: implére autem illud se nequáquam posse sciant, si greges sibi commissos, mercenariórum more, déserant; atque óvium suárum, quarum sanguis de eórum est mánibus à suprémo júdice requiréndus, custódiæ mínimè incúmbant; cùm certissimum sit non admítti Pastóris excusatiónem, si lupus, oves cómedit, & Pastor [illegible].

Ad Magnif. *Ant.* 2. 8. C. Intrávit Jesus; & ténuit manum ejus. Et surréxit puélla. Et éxiit fama hæc in univérsam terram illam. *Matth.* 9. 25. 26.

Oratio ut suprà ad Laudes.

FERIA SECUNDA.

De Osée Prophéta.

Lectio j. Cap. 6. *v.* 1. *ad* 7.

IN tribulatióne sua manè consúrgent ad me: Veníte, & revertámur ad Dóminum; quia ipse cepit, & sanábit nos; percútiet, & curábit nos. Vivificábit nos post duos dies, in die tértia suscitábit nos, & vivémus in conspéctu ejus. Sciémus, sequemúrque, ut cognoscámus Dóminum; quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus, & véniet quasi im-

ber nobis temporáneus & ſerótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraim? Quid fáciam tibi, Juda? miſericórdia veſtra quaſi nubes matutína, & quaſi ros manè pertránſiens. Propter hoc dolávi in Prophétis, occídi eos in verbis oris mei: & judícia tua quaſi lux egrediéntur. Quia miſericórdiam vólui, & non ſacrificium; & ſciéntiam Dei pluſquam holocáuſta.

℟. Dómine, *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 309.

Lectio ij. Cap. II. *v.* I. *ad* 5.

SIcut manè tránſiit, pertránſiit rex Iſrael. Quia puer Iſrael, & diléxi eum: & ex Ægypto vocávi fílium meum. Vocavérunt eos, ſic abiérunt à fácie eórum: Báalim immolábant, & ſimulácris ſacrificábant. Et ego quaſi nutrítius Ephraim, portábam eos in bráchiis meis; & neſciérunt quòd curárem eos. In funículis Adam traham eos, in vínculis charitátis: & ero eis quaſi exáltans jugum ſuper maxíllas eórum: & declinávi ad eum ut veſcerétur.

℟. Convértere, *pag.* 310.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 9. *ad* 15.

PErdítio tua, Iſrael: tantúmmodo in me auxílium tuum. Ubi eſt rex tuus? máximè nunc ſalvet te in ómnibus úrbibus tuis; & júdices tui, de quibus dixíſti: Da mihi regem, & príncipes. Dabo tibi regem in furóre meo, & áuferam in indignatióne mea. Colligáta eſt iníquitas Ephraim, abſcónditum peccátum éjus. Dolóres parturiéntis vénient ei: ipſe filius non ſápiens; nunc enim non ſtabit in contritióne filiórum. De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos: ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero, inférne; conſolátio abſcóndita eſt ab óculis meis.

℟. Quid eſt, *pag.* 310.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Seſſ. 23. *Cap.* I. *de Reform.*

SAcroſáncta Synodus declarat & decérnit; ut quandocúmque Curátos abéſſe contígerit, Vicárium idóneum, ab ipſo Ordinário approbátum, cum débita mercédis aſſignatióne relínquant.*

FERIA TERTIA.

Incipit Joel Prophéta.

Lectio j. Cap. I. *v.* I. *ad* 10.

VErbum Dómini, quod factum eſt ad Joel fílium Phátuel. Audíte hoc, ſenes; & áuribus percípite, omnes habitatóres terræ: ſi factum eſt iſtud in diébus veſtris, aut in diébus patrum veſtróru[illegible]uper hoc filiis veſtris [illegible]e, & filii veſtri filiis ſuis, & filii eórum generatióni álteræ. Reſíduum erúcæ comédit locúſta, & reſíduum locúſtæ comédit bruchus, & reſíduum bruchi comédit rubí-

go. Expergiſcímini, ébrii, & flete, & ululáte, omnes qui bíbitis vinum in dulcédine: quóniam périit ab ore veſtro. Gens enim aſcéndit ſuper terram meam, fortis & innumerábilis: dentes ejus ut dentes leónis: & moláres ejus ut cátuli leónis. Póſuit víneam meam in desértum, & ficum meam decorticávit: nudans ſpoliávit eam, & projécit: albi facti ſunt rami ejus. Plange quaſi virgo accíncta ſacco ſuper virum pubertátis ſuæ. Périit ſacrifícium & libátio de domo Dómini: luxérunt ſacerdótes miníſtri Dómini.

℟. Veníte, ex 2. Noct. Dom. pag. 311.

Lectio ij. v. 10. ad 15.

DEpopuláta eſt régio, luxit humus: quóniam devaſtátum eſt tríticum, confúſum eſt vinum, elánguit óleum. Confúſi ſunt agrícolæ, ululavérunt vinitóres ſuper fruménto & hórdeo, quia périit meſſis agri. Vínea confúſa eſt, & ficus elánguit: malogranátum, & palma, & malum, & ómnia ligna agri aruérunt: quia confúſum eſt gáudium à fíliis hóminum. Accíngite vos, & plángite, ſacerdótes, ululáte, miníſtri altáris: ingredímini, cubáte in ſacco, miníſtri Dei mei: quóniam intériit de domo Dei veſtri ſacrifícium & libátio. Sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte ſenes, omnes habitatóres terræ in domum Dei veſtri: & clamáte ad Dóminum.

℟. Pópulus, pag. 312.

Lectio iij. Cap. 3. v. 12. ad 18.

COnsúrgant, & aſcéndant Gentes in vallem Jóſaphat: quia ibi ſedébo ut júdicem omnes gentes in circúitu. Míttite falces, quóniam maturávit meſſis. Veníte, & deſcéndite, quia plenum eſt torcúlar, exúberant torculária; quia multiplicáta eſt malítia eórum. Pópuli, pópuli in valle conciſiónis; quia juxta eſt dies Dómini in valle conciſiónis. Sol & luna obtenebráti ſunt, & ſtellæ retraxérunt ſplendórem ſuum. Et Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúſalem dabit vocem ſuam; & movebúntur cœli, & terra; & Dóminus ſpes pópuli ſui, & fortitúdo filiórum Iſraël. Et ſciétis quia ego Dóminus Deus veſter hábitans in Sion monte ſancto meo: & erit Jerúſalem ſancta, & aliéni non transíbunt per eam ámpliùs.

℟. Conteſtátus, pag. 312.

CANON

Ex Concílio Narbonénſi.

An. 1609. Cap. 32.

INvígilent Párochi ſupra gregem, & paráti ſemper ſint; ne per illórum negligéntiam, aut párvuli ſine baptíſmate, aut adúlti ſine ſacraméntis Pœniténtiæ, Euchariſtiæ, & Extrémæ-

Unctiónis moriantur: infírmos sæpiùs visitent, & consoléntur, & de salúte ánimæ móneant.

FERIA QUARTA.

Incipit Amos Prophéta.

Lectio j. Cap. I. v. I. ad 6.

VErba Amos, qui fuit in pastóribus de Thécue, quæ vidit super Israel in diébus Oziæ regis Juda, & in diébus Jeróboam filii Joas regis Israel, ante duos annos terræ motûs. Et dixit: Dóminus de Sion rúgiet, & de Jerúsalem dabit vocem suam; & luxérunt speciósa pastórum, & exsiccátus est vertex Carméli. Hæc dicit Dóminus: Super tribus sceléribus Damásci, & super quátuor non convértam eum, eò quòd trituráverint in plaustris férreis Gálaad. Et mittam ignē in domum Azael, & devorábit domos Bénadad. Et convértam vectem Damásci: & dispérdam habitatórem de campo idóli, & tenéntem sceptrum de domo voluptátis; & transferétur pópulus Syriæ Cyrénen, dicit Dóminus.

℞. Clamávi, *ex 3. Noct. Dom. pag.* 313.

Lectio ij. Cap. 5. v. 10. ad 16.

ODio habuérunt corripiéntem in porta: & loquéntem perfectè abominári sunt. Idcírco pro eo quòd diripiebátis páuperem, & prædam eléctam tollebátis ab eo: domos quadro lápide ædificábitis, & non habitábitis in eis: víneas plantabitis amantíssimas, & non bibétis vinum earum. Quia cognóvi multa scélera vestra, & fórtia peccáta vestra: hostes justi accipiéntes munus, & páuperes depriméntes in porta: ídeò prudens in témpore illo tacébit, quia tempus malum est. Quærite bonum, & non malum, ut vivátis: & erit Dóminus Deus exercítuum vobíscum, sicut dixístis. Odíte malum, & dilígite bonum, & constitúite in porta judícium: si fortè misereátur Dóminus Deus exercítuum relíquiis Joseph.

℞. Laudábitis, *pag.* 313.

Lectio iij. Cap. 6. v. I. ad 8.

VÆ qui opuléntì estis in Sion, & confíditis in monte Samaríæ; optimátes cápita populórum, ingrediéntes pompáticè domum Israel. Transíte in Chálane, & vidéte, & ite inde in Emath magnam; & descéndite in Geth Palæstinórum, & ad óptima quæque regna horum; si látior términus eórum término vestro est. Qui separáti estis in diem malum, & appropinquátis sólio iniquitátis. Qui dormítis in lectis ebúrneis, & lascivítis in stratis vestris: qui coméditis agnum de grege, & vítulos de médio arménti. Qui cánitis ad vocem

psaltérii; sicut David putavérunt se habére vasa cantici. Bibentes vinum in phiális, & optimo unguénto delibúti; & nihil patiebántur super contritióne Joseph. Quaprópter nunc migrábunt in cápite transmigrántium: & auferétur fáctio lasciviéntium.

℟. Qui timétis, *pag.* 314.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* I. *Cap.* 12.

R. Evocábo ovem errántem, requíram pérditam; & si me inquiréntem lániant vepres sylvarum, per ómnia me angústa coarctábo, omnes sepes excútiam; quantum mihi vírium terrens Dóminus donat, ómnia peragrábo, revocábo errántem, requíram pereúntem.

FERIA QUINTA.

Incipit Abdias Prophéta.

Lectio j. v. 1. *ad* 6.

Visio Abdiæ. Hæc dicit Dóminus Deus ad Edom: Audítum audívimus à Dómino, & legátum ad gentes misit: Súrgite, & consurgámus advérsus eum in prælium. Ecce párvulum dedi te in Géntibus: contemptíbilis tu es valde. Supérbia cordis tui éxtulit te, habitántem in scissúris petrárum, exaltántem sólium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis détrahet me in terram? Si exaltátus fúeris ut áquila, & si inter sídera posúeris nidum tuum; inde détraham te, dicit Dóminus. Si fures introíssent ad te, si latrónes per noctem, quómodo conticuísses? nonne furáti essent sufficiéntia sibi? si vindemiatóres introíssent ad te, numquid saltem racémum reliquíssent tibi?

℟. Dómine, *ex* I. *Noct. Dom. pag.* 309.

Lectio ij. v. 8. *ad* 12.

Numquid non in die illa, dicit Dóminus, perdam sapiéntes de Idumæa, & prudéntiam de monte Esaü? Et timébunt fortes tui à Merídie, ut intéreat vir de monte Esaü. Propter interfectiónem, & propter iniquitátem in fratrem tuũ Jacob, opériet te confúsio, & peribis in ætérnum. In die cùm stares advérsus eum, quando capiébant aliéni exércitum ejus, & extránei ingrediebántur portas ejus, & super Jerúsalem mittébant sortem; tu quoque eras quasi unus ex eis.

℟. Convértere, *pag.* 310.

Lectio iij. v. 17. *ad finem.*

In monte Sion erit salvátio, & erit sanctus: & possidébit domus Jacob eos qui se possíderant. Et erit domus Jacob, ignis; & domus Joseph, flamma; & domus Esaü, stipula: & succendéntur in eis, & devorábunt eos; & non erunt relíquiæ domûs Esaü quia Dóminus locútus est. Et hereditábunt hi qui ad Austrum

sunt, montem Esaü, & qui in campéstribus Philisthiim: & possidebunt regionem Ephraim, & regiónem Samaríæ: & Bénjamin possidébit Gálaad. Et transmigrátio exércitûs hujus filiorum Israel, ómnia loca Chananæórum usque ad Saréptam: & transmigratio Jerúsalem, quæ in Bósphoro est, possidebit civitátes Austri. Et ascéndent salvatóres in montem Sion judicáre montem Esaü; & erit Dómino regnum.

℟. Quid est, *pag.* 310.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 26.

QUando quicúmque álius períerit quem nulla docéndi necéssitas movet, solus sui scéleris pœnas dabit. Ille verò cui dispensátio verbi commíssa est, etiámsi sanctè vivat, si tamen pérditè viventes argúere aut erubéscat; aut métuat, cum ómnibus, qui, eo tacénte, períerint, perit. Et quid ei próderit non puniri suo, qui puniéndus est alieno peccáto?

FERIA SEXTA.

Incipit Jonas Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

ET factum est verbum Dómini ad Jonam fílium Amathi, dicens: Surge, & vade in Niniven civitátem grandem; & prædica in ea: quia ascéndit malítia ejus coram me. Et surréxit Jonas, ut fúgeret in Tharsis à facie Domini; & descéndit in Joppen, & invénit navem eúntem in Tharsis, & dedit naulum ejus, & descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis à facie Dómini. Dóminus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempéstas magna in mari, & navis periclitabátur cónteri. Et timuérunt nautæ, & clamavérunt viri ad deum suum: & misérunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviarétur ab eis. Et Jonas descendit ad interióra navis, & dormiébat sopóre gravi. Et accéssit ad eum gubernátor, & dixit ei: Quid tu sopóre deprímeris? surge, ínvoca Deum tuum, si fortè recógitet Deus de nobis, & non pereámus.

℟. Veníte, *pag.* 311.

Lectio ij. v. 12. *ad finem, & Cap.* 2. *v.* 1. *ad* 3.

ET dixit ad eos: Tóllite me, & míttite in mare, & cessábit mare à vobis; scio enim ego quóniam propter me tempéstas hæc grandis venit super vos. Et remigábant viri ut reverteréntur ad áridam, & non valébant; quia mare ibat, & intumescébat super eos. Et clamavérunt ad Dóminum, & dixérunt: Quæsumus, Dómine, ne pereámus in ánima viri istius, & ne des super nos sánguinem innocéntem; quia tu, Dómine, sicut voluisti, fecísti. Et tulérunt Jonam, & misérunt in mare: & ste-

tit mare à fervóre suo. Et timuérunt viri timóre magno Dóminum; & immolavérunt hóstias Dómino, & vovérunt vota. Et præparavit Dóminus piscem grandem ut deglutíret Jonam: & erat Jonas in ventre piscis tribus diébus & tribus nóctibus. Et orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis.

℟. Pópulus, *pag.* 312.

Lectio iij. Cap. 2. v. ultimo & Cap. 3. v. 1. ad finem.

ET dixit Dóminus pisci: & evómuit Jonam in áridam. Et factum est verbum Dómini ad Jonam secúndò, dicens: Surge, & vade in Níniven civitátem magnam; & prædica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te. Et surréxit Jonas, & ábiit in Níniven juxta verbum Dómini: & Nínive erat cívitas magna itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi unius; & clamávit, & dixit: Adhuc quadragínta dies, & Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum: Et prædicavérunt jejúnium, & vestíti sunt saccis à majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive; & surréxit de sólio suo, & abjécit vestiméntum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. Et clamávit, & dixit in Nínive ex ore regis & príncipum ejus, dicens: Hómines, & juménta, & boves, & pécora non gustent quidquam; nec pascántur, & aquam non bibant. Et operiántur saccis hómines, & juménta, & clament ad Dóminum in fortitúdine, & convertátur vir à via sua mala, & ab iniquitáte quæ est in mánibus eórum. Quis scit si convertátur, & ignóscat Deus; & revertátur à furóre iræ suæ, & non períbimus? Et vidit Deus ópera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misértus est Deus super malítiam quam locútus fuerat ut fáceret eis, & non fecit.

℟. Contestátus, *pag.* 312.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 15. *ex Greg.*

PRæcónis offícium súscipit quisquis ad Sacerdótium accedit, ut ante advéntum júdicis, qui terribíliter sequitur, ipse scilicet clamándo gradiátur. Sacérdos ergo, si prædicatiónis est néscius, quam clamóris vocem datúrus est præco mutus?

SABBATO.

Incipit Michæas Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

VErbum Dómini, quod factum est ad Michæam Morasthíten, in diébus Jóathan, Achaz, & Ezechíæ regum Juda; quod vidit super Samaríam & Jerúsalem. Audíte, pópuli omnes, & atténdat terra, & plenitúdo

ejus: & sit Dóminus Deus vòbis in testem, Dóminus de templo sancto suo. Quia ecce Dóminus egrediétur de loco suo, & descéndet, & calcábit super excélsa terræ. Et consuméntur montes subtus eum: & valles scindéntur sicut cera à fácie ignis, & sicut aquæ quæ decúrrunt in præceps. In scélere Jacob omne istud, & in peccátis domûs Israel. Quod scelus Jacob? Nonne Samaría? Et quæ excélsa Judæ? Nonne Jerúsalem? Et ponam Samaríam quasi acérvum lápidum in agro cùm plantátur vínea; & détraham in vallem lápides ejus, & fundaménta ejus revelábo.

Lectio ij. Cap. 4. v. 1. ad 6.

ET erit: In novíssimo diérum erit mons domus Dómini præparátus in vértice móntium, & sublímis super colles: & fluent ad eum pópuli. Et properábunt gentes multæ, & dicent: Veníte, ascendámus ad montem Dómini, & ad domum Dei Jacob: & docébit nos de viis suis, & íbimus in sémitis ejus: quia de Sion egrediétur lex, & verbum Dómini de Jerúsalem. Et judicábit inter pópulos multos, & corrípiet gentes fortes usque in longínquum: & concídent gládios suos in vómeres, & hastas suas in ligónes: non sumet gens advérsùs gentem gládium: & non discent ultrà belligeráre. Et sedébit vir subtus vitem suam & subtus ficum suam, & non erit qui detérreat: quia os Dómini exercítuum locútum est. Quia omnes pópuli ambulábunt unusquísque in nómine Dei sui: nos autem ambulábimus in nómine Dómini Dei nostri in ætérnum & ultrà.

Lectio iij. Cap. 5. v. 2. ad initium 5.

ET tu, Béthleem Ephráta, párvulus es in míllibus Juda: ex te mihi egrediétur qui sit dominator in Israel, & egréssus ejus ab inítio, à diébus æternitátis. Propter hoc dabit eos usque ad tempus, in quo partúriens páriet; & reliquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Israel. Et stabit, & pascet in fortitúdine Dómini, in sublimitáte nóminis Dómini Dei sui; & converténtur, quia nunc magnificábitur usque ad términos terræ. Et erit iste pax.

CANON

Ex Concílio Toletáno.

An. 533. Cap. 25.

IGnorántia mater cunctórum errórum, máximè in Sacerdótibus Dei, vitánda est, qui docéndi offícium in pópulis suscepérunt. Sacerdótes enim légere sanctas Scriptúras admonéntur, Paulo Apóstolo dicénte ad Timótheum: Inténde lectióni, exhortatióni, doctrínæ: semper pérmane in his.

Ad Magnif. *Ant. t. 3.* ℟.

Ecce super montes, pedes evangelizantis, & annuntiántis pacem: célebra, Juda, festivitátes tuas, & redde vota tua. *Nahum.* 1. 15.

Oratio ut infrà ad Laudes.

DOMINICA XXIV.

POST PENTECOSTEN.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 9.

ONus Nínive: Liber visiónis Nahum Elcesæi. Deus æmulátor, & ulcíscens Dóminus: ulcíscens Dóminus, & habens furórem: ulcíscens Dóminus in hostes suos, & iráscens ipse inimícis suis. Dóminus pátiens, & magnus fortitúdine, & mundans non fáciet innocéntem. Dóminus in tempestáte & túrbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, & exsíccans illud: & ómnia flúmina ad desértum dedúcens. Infirmátus est Basan, & Carmélus; & flos Líbani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, & colles desoláti sunt; & contrémuit terra à fácie ejus, & orbis, & omnes habitántes in eo. Ante fáciem indignatiónis ejus quis stabit? & quis resístet in ira furóris ejus? Indignátio ejus effúsa est ut ignis; & petræ dissolútæ sunt ab eo. Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & sciens sperántes in se. Et in dilúvio prætereúnte, consummatiónem fáciet loci ejus; & inimícos ejus persequéntur ténebræ.

℟. Confortentur manus vestræ, qui audítis in his diébus sermónes istos per os Prophetárum. Et erit: * Sicut erátis maledíctio in géntibus, domus Juda, & domus Israel, sic éritis benedíctio. ℣. Vos estis filii Prophetárum, & testaménti quod dispósuit Deus ad patres nostros. * Sicut erátis. *Zach.* 8. 9. 13. *Act.* 3. 25.

Lectio ij. v. 9. ad finem.

QUid cogitátis contra Dóminum? Consummatiónem ipse fáciet: non consúrget duplex tribulátio. Quia sicut spinæ se ínvicem complectúntur, sic convívium eórum páriter potántium, consuméntur quasi stípula ariditáte plena. Ex te exíbit cógitans contra Dóminum malítiam, mente pertráctans prævaricatiónem. Hæc dicit Dóminus: Si perfécti fúerint, & ita plures; sic quoque attondéntur, & pertransíbit. Afflixi te, & non affligam te ultrà. Et nunc cónteram virgam ejus de dorso tuo, & vincula tua disrúmpam. Et præcípiet super te Dóminus, non seminábitur ex nómine tuo ámplius; de domo dei tui interfíciam scúlptile, & conflátile: ponam sepúlchrum tuũ, quia inhonorátus es. Ecce super montes, pedes evangelizántis, & annuntiantis pacem. Célebra, Juda, fes-

tivitátes tuas, & redde vota tua; quia non adjíciet ultrà ut pertránseat in te Bélial; univérsus intériit.

℟. Propitiáberis, Dómine, pópulo tuo qui peccávit tibi: * Dabis misericórdiam coram eis, qui eos captívos habúerint, ut misereántur eis: pópulus enim tuus est, & hæréditas tua. ℣. Sunt Israelítæ, quorum adóptio est filiórum, & glória, & testaméntum, & legislátio, & promíssa. * Dabis. 3. Reg. 8. 50. 51. Rom. 9. 4.

Lectio iij. Cap. 3. v. 14. ad finem.

AQuam propter obsidiónem hauri tibi, éxtrue munitiónes tuas: intra in lutum, & calca, súbigens tene láterem. Ibi cómedet te ignis: períbis gládio, devorábit te ut bruchus: congregáre ut bruchus: multiplicáre ut locústa. Plures fecísti negotiatiónes tuas quàm stellæ sint cœli: bruchus expánsus est, & avolávit. Custódes tui quasi locústæ: & párvuli tui quasi locústæ locustárum, qui consídunt in sépibus in die frígoris: sol ortus est, & avolavérunt, & non est cógnitus locus eárum ubi fúerint. Dormitavérunt pastóres tui, rex Assur: sepeliéntur príncipes tui: latitavit populus tuus in móntibus, & non est qui cóngreget. Non est obscúra contrítio tua, péssima est plaga tua: omnes qui audiérunt auditiónem tuam, compressérunt manum super te; quia super quem non tránsiit malítia tua semper?

℟. Domine, opus tuum, in médio annorum vivífica illud: in médio annórum notum facies: * Cùm irátus fúeris, † Misericórdiæ recordaberis. ℣. Superexáltat misericórdia judícium. * Cum irátus. Glória. † Misericórdiæ. Habac. 3. 2. Jac. 2. 13.

IN II. NOCTURNO.

Ex libris sancti Augustíni Epíscopi, de Civitate Dei.

Lectio iv. Lib. 18. Cap. 31.

NAhum Prophéta, immò per illum Deus: Exterminabo, inquit, sculptília & conflatília. ponam sepultúram tuam, quia velóces ecce super montes pedes evangelizantis & annuntiántis pacem. Célebra, Juda, dies festos tuos, redde vota tua; quia jam non adjícient ultra, ut transeant in vetustátem. Consummátum est, consummátum est, ablátum est. Ascéndit qui insufflat in fáciem tuam, erípiens te ex tribulatióne. Quis ascénderit ab ínferis, & insuffláverit in fáciem Judæ, hoc est, Judæorū discipulórum, Spíritum sanctum, recolat, qui meminit Evangélium. Ad novum enim Testaméntum pértinent, quorum dies festi ita spiritáliter innovantur, ut in vetustátem transíre non

possint. Porrò per Evangélium exterminàta sculptília & conflatília, id est, idóla deórum falsórum, & oblivióni tamquam sepultúræ trádita jam vidémus.

℟. Eámus, & deprecémur fáciem Dómini: vadam étiam ego: & * Vénient pópuli multi ad quæréndum Dóminum exercítuum in Jerúsalem, & deprecándam fáciem Dómini. ℣. Quos vocávit non solum ex Judæis, sed étiam ex Géntibus. * Vénient. *Zach.* 8. 21. 22. *Rom.* 9. 24.

Lectio v. Cap. 31. 32. & 33.

HAbacuc de quo alio, quàm de Christi advéntu, qui futúrus fúerat, intelligitur dícere: Et respóndit Dóminus ad me, & dixit: Scribe visum apértè in buxo; ut assequátur qui legit ea; quia adhuc vísio ad tempus, & oriétur in fine, & non in vácuum: si tardáverit, sústine eum; quia véniens véniet, & non morábitur? In oratióne autem sua cum Cántico, cui nisi Christo Dómino, dicit: Dómine, audívi auditiónem tuam, & tímui; Dómine, considerávi ópera tua, & expávi? Quid enim hoc est, nisi prægnitæ, novæ ac repentinæ salútis hóminum ineffábilis admirátio? Sophoníæ autem Prophétæ, qui cum Jeremía prophetábat, hæc prædícta de Christo ponam: Expécta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ, in futúrum; quia judíciũ meum ut cóngregem gentes, & cólligam regna. Et íterum: Horríbilis, inquit, Dóminus super eos, & exterminábit omnes deos terræ, & adorábit eum vir de loco suo, omnésque ínsulæ géntium.

℟. Usquequò, Dómine, clamábo, & non exáudies? Vociferábor ad te vim pátiens, & non salvábis? * Quare ostendísti mihi iniquitátem & labórem? ℣. Dico ergo: Numquid Deus répulit pópulum suum? * Quare. *Habac.* 1. 2. 3. *Rom.* 11. 1.

Lectio vj. Cap. 35.

REstant tres minóres Prophétæ, qui prophetavérunt in fine captivitátis, Aggæus, Zacharías, Malachías. Quorum Aggæus Christũ & Ecclésiam hâc apértiùs brevitáte prophétat: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum est... Et véniet Desiderátus cunctis géntibus. Zacharías de Christo & Ecclésia: Exúlta, inquit, valdè, fília Sion; júbila, fília Jerúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi, Justus & Salvátor; ipse pauper, & ascéndens super ásinam, & super pullum filium ásinæ. Malachías prophétans Ecclésiam, quam per Christum cérnimus propagátam, Judæis apertíssimè dicit ex persóna Dei: Non est mihi volúntas in vobis; & munus non suscípiam de manu ves-

um. Ab ortu enim solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus, & in omni loco sacrificábitur & offerétur nómini meo oblátio munda. Hoc sacrifícium per sacerdótium Christi secúndùm órdinem Melchísedech, cùm in omni loco videámus offérri; sacrifícium autem Judæórum, quibus dictum est: Non est mihi volúntas in vobis, cessásse negáre non possunt; quid adhuc expéctant álium Christum?

℟. Quis in vobis est derelíctus, qui vidit domum istam in glória sua prima? Confortáre, omnis pópulus terræ; fácite verbum quod pépigi vobíscum. * Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plusquàm primæ. ℣. Cùm vénerint témpora refrigérii à conspéctu Dómini, & míserit eum, qui prædicátus est vobis, Jesum Christum. * Magna erit. Glória. * Magna. Agg. 2. 4. 5. 6. 10. Act. 3. 20.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. v. 15.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est à Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto; qui legit, intélligat. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 76. in Matth. aliàs 77. n. 2. & 3.

IMplétâ de Jerosólymis narratióne, ad suum advéntum póstea pergit, signaque ipsis narrat, non solùm ipsis, sed étiam nobis, & post nos futúris utília.... Quómodo autem ventúrus est? Sicut fulgur exit ab Oriénte, & appáret usque ad Occidéntem, ita erit & advéntus Fílii hóminis: Quómodo fulgur appáret? non opus habet núntio, non præcóne; sed & iis qui domi sedent, & iis qui in thálamis sunt, in moménto per orbem totum apparébit. Deínde terribília mirácula dicit. Quænam illa? Statim post tribulatiónem diérum illórum, sol obtenebrábitur... Stellæ cadent, & virtútes cœlórum commovebúntur; & jure quidem mutatiónem tantam vidéntes. Nam si quando stellæ factæ sunt, ita exhorruérunt & mirátæ sunt (nam, Quando facta sunt astra, inquit, laudavérunt me magnâ voce Angeli) multò magis cùm víderint ómnia mutáta, & consérvos suos pœnas dantes, totum orbem ante treméndum tribúnal adstántem, omnes ab Adam usque ad advéntum suum ómnium óperum ratiónem reddéntes, quómodo non horréscent, & commovebúntur?

℟. Væ ímpio in malum; retribútio enim mánuum ejus fiet ei: pópule meus, qui te beátum dicunt, ipsi te decípiunt. * Stat ad judicándum Dóminus: ad judícium véniet cum princípibus ejus. ℣. Sicut fulgur exit ab Oriénte, & paret usque in Occidéntem; ita erit & advéntus Filii hóminis. * Stat. *Is.* 3. 11. 12. 13. 14. *Math.* 24. 27.

Lectio viij.

TUnc apparébit signum Fílii hóminis in cœlo, crux nimírum sole fulgéntior: quippe cùm ille obscurétur, crux autem persplendeat, quod fíeri non posset, nisi lucis suæ fulgóribus solis rádios superáret. Cujus autem rei grátiâ signum illud appáret? ut magno cúmulo Judæórum imprudéntia opprimátur. Crucem in suam justificatiónem secum habens, in judícium véniet; non vúlnera solùm, sed & acérbum ac ignominiósum mortis suæ genus osténdens. Tunc plangent se tribus. Non enim accusántibus opus erit, cùm crucem víderint. Plangent ígitur, quia ex morte ipsíus nihil profecérunt, quia quem adoráre oportébat, cruci affixérunt. Vides quómodo terribíliter advéntum suum descrípsit? quómodo discipulórum suórum ánimos suscitávit?

℟. Exaltábitur Dóminus exercítuum in judício: Væ qui dícitis: Festínet, & citò véniat opus ejus, ut videámus. * Elevábit signum in natiónibus: & ecce festínus velóciter véniet: ℣. Tunc parébit signum Fílii hóminis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ. * Elevábit. *Is* 5. 16. 19. 26. *Math.* 24. 16. 30.

Lectio ix. n. 5.

ATque útinam hîc mala terminaréntur! Nunc verò honor, delíciæ, glória, umbra tantùm & verba sunt; quæ verò illa sequúntur, non umbra, non verba sunt; sed manent, & nobíscum illa transíbunt, omnibúsque nota erunt; rapínæ, avarítiæ, fornicatiónes, & mille mala hujúsmodi, non in imágine & in púlvere erunt, sed scripta in cœlis sunt, seu dicta, seu ópera. Quibus ergo óculis Christum vidébimus? Nam si patrem non potest quis aspícere sibi cónscius peccáti in illum, eum qui Patre longè mansuétior est, quómodo tunc respícere, quómodo ferre potérimus? Nam tribunáli Christi adstábimus, omniúmque accurátum erit exámen.

℟. Magnus dies Dómini, & terríbilis valdè: & quis sustinébit eum? * Nunc ergo convertímini ad Dóminum Deum vestrum: † Quia benígnus & miséricors est. ℣. Venit dies magnus iræ

sedéntis super thronum: & quis póterit stare? * Nunc ergo. Glória. † Quia. *Joel.* 2. 11. 13. *Apoc.* 6. 17.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa, & majestáte. *Matth.* 24. 30.

Oratio.

CORda nostra, quæsumus, Dómine, sancto judiciórum tuórum timóre confíge; ut vitam nostram emendántes in mélius, misericórdiam & glóriam à te obtinére mereámur; Per Dóminum.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *Part.* 3. *Tit. Monit.*

LEctióne librórum spirituálium & clericálium, qui probáti sunt, ánimos mentésque vestras páscite. Quotídie áliquid ex sacris Bibliis légite: áliquid item ex sanctórum Patrum opúsculis... & aliórum qui sanctitátis & doctrínæ laude in Ecclésia celebrántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *F.* Non præteríbit generátio hæc, donec ómnia hæc fiant. Cœlum & terra transíbunt; verba autem mea non præteribunt. *Matth.* 24. 34. 35.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 8.

ONus quod vidit Hábacuc Prophéta. Usquequò, Dómine, clamábo, & non exáudies? vociferábor ad te vim pátiens, & non salvábis? Quare ostendísti mihi iniquitátem & labórem, vidére prædam & injustítiam contra me? & factum est judícium, & contradíctio potentior. Propter hoc lacerata est lex, & non pervénit usque ad finem judícium: quia ímpius prævalet advérsus justum; proptérea egréditur judícium pervérsum. Aspícite in géntibus, & vidéte: admirámini, & obstupéscite: quia opus factum est in diébus vestris, quod nemo credet cùm narrábitur. Quia ecce ego suscitábo Chaldæos gentem amáram & velócem, ambulántem super latitúdinem terræ, ut possídeat tabernácula, non sua. Horríbilis & terríbilis est; ex semetípsa judícium, & onus ejus egrediétur.

℟. Conforténtur, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 322.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 7.

SUper custódiam meam stabo, & figam gradum super munitiónem: & contemplábor, ut vídeam quid dicátur mihi, & quid respóndeam ad arguéntem me. Et respóndit mihi Dóminus, & dixit: Scribe visum, & explána eum super tábulas, ut percúrrat qui légerit eum. Quia adhuc visus procul, & apparébit in finem, & non mentiétur: si moram fécerit, expécta illum; quia veniens

véniet, & non tardábit. Ecce qui incrédulus est, non erit recta ánima ejus in semetípso; justus autem in fide sua vivet. Et quómodo vinum potántem décipit; sic erit vir supérbus, & non decorábitur. Qui dilatávit quasi inférnus ánimam suam; & ipse quasi mors, & non adimplétur; & congregábit ad se omnes gentes, & coacervábit ad se omnes pópulos. Numquid non omnes isti super eum parábolam sument, & loquélam ænígmatum ejus? & dicétur: Væ ei qui multíplicat non sua? úsquequò & ággravat contra se densum lutum?

℟. Propitiáberis, *pag.* 323.

Lectio iij. v. 7. ad 14.

NUmquid non repéntè consúrgent qui mórdeant te? & suscitabúntur lacerántes te, & eris in rapinam eis? Quia tu spoliásti gentes multas, spoliábunt te omnes qui réliqui fúerint de pópulis propter sánguinem hóminis, & iniquitátem terræ civitátis, & ómnium habitántium in ea. Væ qui cóngregat avarítiam malam dómui suæ, ut sit in excélso nidus ejus, & liberári se putat de manu mali. Cogitásti confusiónem dómui tuæ, concidísti pópulos multos, & peccávit ánima tua. Quia lapis de paríete clamábit; & lignum quod inter junctúras ædificiórum est, respondébit. Væ qui ædíficat civitátem in sanguínibus, & præparat urbem in iniquitáte. Numquid non hæc sunt à Dómino exercítuum? Laborábunt enim pópuli in multo igne, & gentes in vácuum, & defícient.

℟. Dómine, *pag.* 323.

C A N O N

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 813.

SUbstántia Sacerdótis sunt elóquia divínitùs trádita.

FERIA TERTIA.

Incipit Sophonías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

VErbum Dómini quod factum est ad Sophoníam fílium Chusi, fílii Godolíæ, fílii Amaríæ, fílii Ezecíæ, in diebus Josíæ, fílii Amon regis Judæ. Cóngregans congregábo ómnia à fácie terræ, dicit Dóminus. Cóngregans hóminem, & pecus, cóngregans volatília cœli, & pisces maris: & ruínæ impiórum erunt: & dispérdam hómines à fácie terræ, dicit Dóminus. Et exténdam manum meam super Judam, & super omnes habitántes Jerúsalem; & dispérdam de loco hoc relíquias Baal, & nómina æditu órum cum sacerdótibus; & eos qui adórant super tecta milítiam cœli, & adórant, & jurant in Dómino, & jurant in Melchom; & qui avertúntur de post tergum Dómini; & qui non

quæsiérunt Dóminum, nec investigavérunt eum.

℟. Eámus, *ex 2. Noct. Dom, pag.* 324.

Lectio ij. v. 12. ad finem.

ET erit: in témpore illo scrutábor Jerúsalem in lucérnis; & visitábo super viros defíxos in fæcibus suis, qui dicunt in córdibus suis: Non fáciet bene Dóminus, & non fáciet malè. Et erit fortitúdo eórum in direptiónem, & domus eórum in desértum: & ædificábunt domos, & non habitábunt; & plantábunt víneas, & non bibent vinum eárum. Juxtà est dies Dómini magnus, juxtà est, & velox nimis: vox diéi Dómini amára: tribulábitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulatiónis & angústiæ, dies calamitátis & misériæ, dies tenebrárum & calígi-nis, dies nébulæ & túrbinis, dies tubæ & clangóris super civitátes munítas, & super ángulos excélsos. Et tribulábo hómines, & ambulábunt ut cæci, quia Dómino peccavérunt; & effundétur sanguis eórum sicut humus, & córpora eórum sicut stércora. Sed & argéntum eórum, & aurum eórum non póterit liberáre eos in die iræ Dómini: in igne zeli ejus devorábitur omnis terra, quia consummatiónem cum festinatióne fáciet cunctis habitántibus terram.

℟. Usquequò, *pag.* 324.

Lectio iij. Cap. 3. v. 8. ad 14.

QUaprópter expécta me, dicit Dóminus, in die resurrectiónis meæ in futúrum, quia judícium meum ut cóngregem Gentes, & cólligam regna; & effúndam super eos indignatiónem meam, omnem iram furóris mei: in igne enim zeli mei devorábitur omnis terra. Quia tunc reddam pópulis lábium eléctum, ut ínvocent omnes in nómine Dómini, & sérviant ei húmero uno. Ultra flúmina Æthiópiæ inde súpplices mei; fílii dispersórum meórum déferent munus mihi. In die illa non confundéris super cunctis adinventiónibus tuis, quibus prævaricáta es in me; quia tunc áuferam de médio tuî magnílоquos supérbiæ tuæ, & non adjícies exaltári ámpliùs in monte sancto meo. Et derelínquam in médio tuî pópulum páuperem & egénum; & sperábunt in nómine Dómini. Relíquiæ Israel non fácient iniquitátem, nec loquéntur mendácium: & non inveniétur in ore eórum lingua dolósa; quóniam ipsi pascéntur, & accubábunt, & non erit qui extérreat.

℟. Quis, *pag.* 325.

CANON

Ex Concilio Meldénsi.

An. 845. *Can.* 34.

IN exponéndis vel prædicándis Divínis Scriptúris, sanctórum catholicórum &

& probatissimórum Patrum sensum quisque sequátur; in quorum scriptis, ut beátus dicit Hierónymus, fidei véritas non vacillet.

FERIA QUARTA.

Incipit Aggæus Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 7.

IN anno secúndo Dárii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ ad Zoróbabel filium Saláthiel, ducem Juda, & ad Jesum filium Jósedec, sacerdótem magnum, dicens: Hæc ait Dóminus exercítuum, dicens: Pópulus iste dicit: Nondum venit tempus domûs Dómini ædificándæ. Et factum est verbum Dómini in manu Aggæi Prophétæ, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitétis in dómibus laqueátis; & domus ista desérta? Et nunc hæc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras. Seminástis multum, & intulístis parum: comedístis, & non estis satiáti: bibístis, & non estis inebriáti: operuístis vos, & non estis calefácti: & qui mercédes congregávit, misit eas in sácculum pertúsum.

℟. Væ ímpio, *ex* 3. *Noct. Dom.pag.* 326.

Lectio ij. v. 7. *ad* 12.

HÆc dicit Dóminus exercítuum: Pónite corda vestra super vias vestras: Ascéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum: & acceptábilis mihi erit, & glorificábor, dicit Dóminus. Respexístis ad ámplius, & ecce factum est minus; & intulístis in domum, & exsufflávi illud: Quam ob causam, dicit Dóminus exercítuum? quia domus mea desérta est, & vos festinátis unusquísque in domum suam. Propter hoc super vos prohíbiti sunt cœli ne darent rorem, & terra prohíbita est ne daret germen suum: & vocávi siccitátem super terram, & super montes, & super tríticum, & super vinum, & super óleum, & quæcúmque profert humus, & super hómines, & super juménta, & super omnem labórem mánuum.

℟. Exaltábitur, *pag.* 326.

Lectio iij. Cap. 2. *v.* 5. *ad* 11.

ET nunc confortáre, Zoróbabel, dicit Dóminus, & confortáre, Jesu fili Jósedec sacérdos magne, & confortáre, omnis pópulus terræ, dicit Dóminus exercítuum; & fácite (quóniam ego vobíscum sum, dicit Dóminus exercítuum) verbum quod pépigi vobíscum, cùm egredeiémini de terra Ægypti, & Spíritus meus erit in medio vestrûm. Nolíte timére: quia hæc dicit Dóminus exercítuum: Adhuc unum módicum est, & ego commovébo cœlum, & terram, & mare, & áridam. Et movébo omnes Gentes; & véniet Desi-

derátus cunctis Géntibus: & implébo domum istam glóriâ, dicit Dóminus exercítuum. Meum est argéntum, & meum est aurum, dicit Dóminus exercítuū. Magna erit glória domûs istíus novíssimæ plusquam primæ, dicit Dóminus exercítuum: & in loco isto dabo pacem.

℟. Magnus, *pag.* 326.

CANON

Ex Synodo Lingonénsi, in Concílio Tulléńsi ad Saponárias relécta & confirmáta.

An. 859. *Can.* 1.

QUia Doctórem géntium in fide & veritáte fidéliter commonéntem, obedientérque audívimus: O Timóthee, depósitum custódi, devítans prophánas vocum novitátes ... indubitánter doctóribus piè & rectè tractántibus verbum veritátis, ipsísque sacræ Scriptúræ laudatíssimis expositóribus, id est, Cypriáno, Hilário, Ambrósio, Hierónymo, Augustíno, cæterísque in cathólica pietáte quiescéntibus, reverénter audítum, & obtemperánter intelléctum submíttimus, & pro viribus, quæ ad salútem nostram scripsérunt, ampléctimur.

FERIA QUINTA.

Incipit Zacharías Prophéta.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

IN mense octávo, in anno secúndo Dárii regis, factum est verbum Dómini ad Zacharíam fílium Barachíæ fílii Addo, Prophétam, dicens: Irátus est Dóminus super patres vestros iracúndiâ. Et dices ad eos: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Convertímini ad me, ait Dóminus exercítuum: & convértar ad vos, dicit Dóminus exercítuum. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamábant prophétæ prióres, dicéntes: Hæc dicit Dóminus exercítuum. Convertímini de viis vestris malis, & de cogitatiónibus vestris péssimis; & non audiérunt, neque attendérunt ad me, dicit Dóminus.

℟. Confortentur, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 322.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 7. *ad finem.*

ET hæc dicit Dóminus exercítuum: Si in viis meis ambuláveris, & custódiam meam custodíeris; tu quoque judicábis domum meam, & custódies átria mea, & dabo tibi ambulántes de his qui nunc hîc assístunt. Audi, Jesu sacérdos magne, tu & amíci tui qui hábitant coram te, quia viri porténdéntes sunt. Ecce enim ego addúcam servum meum Oriéntem. Quia ecce lapis quem dedi coram Jesu: super lápidem unum septem óculi sunt: ecce ego cælábo sculptúram ejus, ait Dóminus exercítuum: & áuféram iniquitátem terræ illíus in die una. In die illa, dicit

Dominus exercítuum, vocábit vir amicum suum subter vitem & subter ficum.

℟. Propitiaberis, *pag.* 323.

Lectio iij. Cap. 9. v. 9. ad finem.

EXúlta satis, filia Sion, júbila, filia Jerúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi Justus & Salvátor; ipse pauper, & ascéndens super ásinam, & super pullum filium ásinæ. Et dispérdam quadrígam ex Ephraim, & equum de Jerúsalem; & dissipábitur arcus belli; & loquétur pacem Géntibus; & potéstas ejus à mari usque ad mare, & à flumínibus usque ad fines terræ. Tu quoque in sánguine testaménti tui emisísti vinctos tuos de lacu in quo non est aqua. Convertímini ad munitiónem vincti spei; hódie quoque annúntians duplícia reddam tibi. Quóniam exténdi mihi Judam quasi arcum, implévi Ephraim: & suscitábo filios tuos, Sion, super filios tuos, Græcia; & ponam te quasi gladium fórtium. Et Dóminus Deus super eos vidébitur; & exíbit ut fulgur, jáculum ejus: & Dóminus Deus in tuba canet, & vadet in túrbine Austri. Dóminus exercítuum próteget eos; & devorábunt, & subjícient lapídibus fundæ: & bibéntes inebriabúntur quasi à vino; & replebúntur ut phíalæ, & quasi córnua altáris. Et salvábit eos Dóminus Deus eórum in die illa, ut gregem pópuli sui; quia lápides sancti elevabúntur super terram ejus. Quid enim bonum ejus est, & quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, & vinum gérminans vírgines?

℟. Dómine, *pag.* 323.

CANON

Ex Concílio Cabillonénsi. *An.* 813. *Cap.* 3.

SCholas Epíscopi constítuant, in quibus lítteras & solértia disciplinæ & sacræ Scriptúræ documénta discántur, & tales ibi erudiántur, quibus méritò dicátur à Dómino; Vos estis sal terræ; & qui condiméntum plébibus esse váleant, & quorum doctrína non solùm divérsis hærésibus, verùm étiam antichrísti mónitis, & ipsi antichrísto resistátur.

FERIA SEXTA.

De Zacharía Prophéta.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 10. *ad finem.*

TUli virgam meam, quæ vocátur Decus; & abscídi eam, ut írritum fácerem fœdus meum quod percússi cum ómnibus pópulis. Et in írritum dedúctum est in die illa: cognovérunt sic páuperes gregis qui custódiunt mihi, quia verbum Dómini est. Et dixi ad eos: Si bonum est in óculis vestris, afférte mercédem meam; & si non, quiéscite. Et appendérunt mer-

cédem meam trigínta argénteos. Et dixit Dominus ad me: Prójice illud ad statuárium, decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis. Et tuli trigínta argénteos, & projéci illos in domo Dómini ad statuárium. Et præcídi virgam meam secúndam, quæ appellabátur Funiculus, ut dissólverem germanitátem inter Judam & Israel. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastóris stulti; quia ecce ego suscitábo pastorem in terra, qui derelícta non visitábit, dispérsum non quæret, & contrítum non sanábit, & id quod stat non enútriet, & carnes pínguium cómedet, & úngulas eórum dissólvet. O pastor, & idólum, derelínquens gregem: gládius super bráchium ejus, & super óculum dextrum ejus: bráchium ejus ariditáte siccábitur, & óculus dexter ejus tenebréscens obscurábitur.

℟. Eámus, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 324.

Lectio ij. Cap. 12. *v.* 8. *ad* 11.

IN die illa próteget Dóminus habitatóres Jerúsalem; & erit qui offénderit ex eis in die illa, quasi David; & domus David quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspéctu eórum. Et erit in die illa, quæram contérere omnes Gentes quæ véniunt contra Jerúsalem. Et effúndam super domum David, & super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ & precum; & aspícient ad me quem confixérunt: & plangent eum planctu quasi super unigénitum, & dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti.

℟. Usquequò, *pag.* 324.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

IN die illa erit fons patens dómui David, & habitántibus Jerúsalem, in ablutiónem peccatóris & menstruátæ. Et erit in die illa, dicit Dóminus exercítuum: Dispérdam nómina idolórum de terra, & non memorabúntur ultrà. Et pseudoprophétas & spíritum immúndum áuferam de terra. Et erit, cùm prophetáverit quíspiam ultrà, dicent ei pater ejus & mater ejus qui genuérunt eum: Non vives; quia mendácium locútus es in nómine Dómini: & confígent eum pater ejus & mater ejus, genitóres ejus, cùm prophetáverit. Et erit, In die illa confundéntur prophétæ, unusquísque ex visióne sua cùm prophetáverit, nec operiéntur pállio sáccino ut mentiántur; sed dicet, Non sum prophéta; homo agrícola ego sum; quóniam Adam exémplum meum ab adolescéntia mea. Et dicétur ei: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum qui diligébant me. Frámea, suscitáre super pastórem meum, & super vi-

HEBDOMADÆ POST EPIPHANIAM RESUMENDÆ.

Quando post Pentecosten plures fuerint Dominicæ quàm viginti quatuor.

SABBATO

Ante Dominicam tertiam quæ superfuit post Epiphaniam.

AD VESPERAS.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* In sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos; & iniquitátes eórum ipse portábit. *Is.* 53. 11.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA III.

Quæ superfuit post Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

PAulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem, qui suscitávit eum à mórtuis; & qui mecum sunt omnes fratres, Ecclésiis Galátiæ: Grátia vobis, & pax à Deo Patre, & Dómino nostro Jesu Christo, qui dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti sæculo nequam, secúndùm voluntátem Dei & Patris nostri, cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Tu, Deus noster, * Suávis & verus es, pátiens, & in misericórdia dispónens ómnia. ℣. Quis non magnificábit nomen tuum? * Suávis. *Sap.* 15. 1. *Apoc.* 15. 4.

Lectio ij. v. 6. *ad* 11.

MIror quòd sic tam citò transferímini ab eo, qui vos vocávit in grátiam Christi, in áliud Evangélium; quod non est áliud, nisi sunt áliqui, qui vos contúrbant, & volunt convértere Evangélium Christi. Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo èvangelízet vobis præterquam quod evangelizávimus vobis, anathéma sit. Sicut prædíximus, & nunc íterum dico:

Si quis

Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepístis, anathéma sit. Modò enim homínibus suádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem.

℟. Non secúndùm peccáta nostra fecit nobis Dóminus; quóniam * Secúndùm altitúdinem cœli à terra, corroborávit misericórdiam suam super timéntes se. ℣. Dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti sæculo nequam. * Secúndùm. *Ps.* 102. 10. 11. *Gal.* 1. 4.

Lectio iij. v. 11. *ad* 20.

NOtum enim vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizátum est à me, quia non est secúndùm hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquándo in Judaísmo; quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, & expugnábam illam, & proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántiùs æmulátor exístens paternárum meárum traditiónum. Cùm autem plácuit ei, qui me segregávit ex útero matris meæ, & vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in Géntibus, contínuò non acquiévi carni & sánguini: neque veni Jerosólymam ad antecessóres meos Apóstolos; sed abii in Arábiam: & íterum revérsus sum Damáscum: deínde post annos tres veni Jerosólymam videre Petrum, & mansi apud eum diébus quíndecim; álium autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum fratrem Dómini.

℟. Quómodo miserétur pater filiórum, * Misértus est Dóminus timéntibus se: quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum: † Recordátus est quóniam pulvis sumus. ℣. Qui dives est in misericórdia. * Misértus. Glória. † Recordátus. *Ps.* 102. 13. 14. *Eph.* 2. 4.

IN II. NOCTURNO.

De Expositióne sancti Augustini Epíscopi in Epístolam ad Galatas. *Præfat. init.*

Lectio iv.

CAusa propter quam scribit Apóstolus ad Gálatas, hæc est, Ut intélligant grátiam Dei id secum ágere, ut sub lege jam non sint. Cùm enim prædicáta eis esset Evangélii grátia, non defuérunt quidam ex circumcisióne, quamvis Christiáni nómine, nondum tamen tenéntes ipsum grátiæ benefícium, & adhuc voléntes esse sub onéribus legis quæ Dóminus Deus imposúerat, non justítiæ serviéntibus, sed peccáto; justam scilicet le-

gem injústis hominibus dándo ad demonstránda peccáta eórum, non auferénda. Non enim aufert peccata, nisi grátia fídei, quæ per dilectiónem operátur.

℟. Bonitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, secúndùm verbum tuum: * Bonitátem, & disciplínam, & sciéntiam doce me; quia mandátis tuis crédidi. ℣. Credo, Dómine, ádjuva incredulitátem meam. * Bonitátem. *Ps.* 118. 65. 66. *Marc.* 9. 23.

Lectio v.

SUb hac ergo grátia jam Gálatas constitútos illi volébant constitúere sub onéribus legis, asseverántes nihil eis prodésse Evangélium, nisi circumciderentur, & cæteras carnáles Judáici ritûs observatiónes subírent. Et ídeò Paulum Apóstolum suspéctum habére cœperant, à quo illis Evangélium prædicátum erat, tamquam non tenéntem disciplínam cæterórum Apostolórum, qui gentes cogébant judaïzáre.

℟. Magnus es tu, & fáciens mirabília: tu es Deus solus: * Deduc me, Dómine, in via tua, & ingrédiar in veritáte tua. ℣. Sermo tuus véritas est. * Deduc. *Ps.* 85. 10. 11. *Joan.* 17. 17.

Lectio vj.

TAlis quidem quæstio est & in Epístola ad Romános; verúmtamen vidétur áliquid interesse, quod ibi contentiónem ipsam dírimit, litémque compónit, quæ inter eos qui ex Judæis, & eos qui ex Géntibus credíderant, orta erat; cùm illi tamquam ex méritis óperum legis sibi rédditum Evangélii præmium arbitraréntur, quod præmium incircumcísis tamquam imméritis nolébant dari; illi contrà, Judæis se præferre gestírent, tamquam interfectóribus Dómini. In hac verò Epístola, ad eos scribit, qui jam commóti erant auctoritáte illórum qui ex Judæis erant, & ad observatiónes legis cogébant.

℟. Rectum est verbum Dómini, & ómnia ópera ejus in fide. * Díligit misericórdiam & judícium: † Misericórdiâ Dómini plena est terra ℣. In Christo Jesu, neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium: sed fides quæ per charitátem operátur. * Díligit. Glória. † Misericórdiâ. *Ps.* 32. 4. 5. *Gal.* 5. 6.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 8. *v.* 1.

IN illo témpore; Cùm descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprósus véniens adorábat eum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

In Luc. Lib. 5. *n.* 1. *&* 2.

SEcúndùm Matthæum primus hic post benedictió-

nes à Dómino sanátus indúcitur; ut quia díxerat Dóminus: Non veni solvere legem, sed ad implére; ille qui excludebátur à lege, purgári se Dómini potestate præsúmens, non ex lege, sed supra legem esse grátiam judicáret, quæ leprosi máculam posset ablúere. Verùm, ut in Dómino potestátis auctóritas, ita in illo fídei constántia declarátur. Ille in fáciem prócidit; quod humilitátis est & pudóris, ut unusquísque de suæ vitæ máculis erubéscat: sed confessiónem verecúndia non représsit. Osténdit vulnus, remédium postulávit; & ipsa religiónis & fídei plena conféssio est. Si vis, inquit, potes me mundáre. In voluntáte Dómini tribuit potestátem: de voluntáte autem Dómini, non quasi pietátis incrédulus dubitávit, sed quasi colluviónis suæ cónscius, non præsúmpsit.

℟. Bénedic, ánima mea, Dómino; & noli oblivísci omnes retributiónes ejus: * Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis; qui sanat omnes infirmitátes tuas. ℣. In hoc est cháritas: misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis, * Qui propitiátur. *Ps.* 102. 2. 3. 1. *Joan.* 4. 10.

Lectio viij. n. 2. 3. & 4.

CUi, moráli quâdam benignitáte, Dóminus respóndit: Volo, mundáre. Et contínuò lepra ejus discessit ab eo. Nihil enim médium est inter opus Dei, atque præcéptum; quia in præcépto est opus. Dénique dixit, & facta sunt. Vidétis ígitur quòd dubitári non potest, quia volúntas Dei potéstas est. Itaque statim lepra discéssit, ut intélligas medéntis affectum, qui veritátem óperi áddidit. Dénique secúndùm Marcum, misértus est eum Dóminus: quod pulchrè est pósitum. Et pléraque tália posuérunt Evangelistæ, qui nos in utróque fundáre voluérunt, describéntes signa virtútis ad fidem, expriméntes ópera virtútis ad imitatiónem. Unde & tangit non dedignátus, & ímperat non diffísus; hoc enim est indícium potestátis, quia quasi habens potestátem sanándi, & jubéndi auctoritátem, operándi testimónium non réfugit. Volo, ergo dicit propter Photínum; ímperat propter Arium; tangit propter Manichæum.

℟. Ecce Deus Salvátor meus: * Fiduciáliter agam, & non timébo: quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus, & factus est mihi in salútem. ℣. Huic omnes Prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes qui credunt in eum. * Fiduciáliter. *Is.* 12. 2. *Act.* 10. 43.

Lectio ix. n. 7. & 8.

SImul illud mirábile, quòd eo sanávit génere, quo fúerat obsecrátus. Si vis, potes me mundáre. Volo, inquit; mundáre. Habes voluntátem, habes étiam pietátis efféctum. Et exténdens manum, tétigit illum. Lex tangi leprósos próhibet; sed qui Dóminus legis est, non obséquitur legi, sed legem facit: Non ergo tétigit, quia sine tactu mundáre non póterat; sed ut probáret quia subjéctus non erat legi, nec contágium timébat ut hómines; sed quia contaminári non póterat, qui álios liberábat: simul ut è contrário lepra tactu Dómini fugarétur, quæ solébat contamináre tangéntem. Osténdere autem se Sacerdóti jubétur, ut intellígeret Sacérdos, non legis órdine, sed Dei grátiâ supra legem esse curátum.

℟. Dómine, ad quem íbimus? verba vitæ ætérnæ habes: * Et nos credídimus, & † Cognóvimus, quia tu es Christus Fílius Dei. ℣. Nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dómine. * Et nos credídimus. Glória. † Cognóvimus. *Joan. 6. 69. 70. Eccli. 36. 5.*

Ad Bened. *Ant. t. 3. a.* Leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre: & Jesus tétigit eum, dicens: Volo. Mundáre. Et conféstim mundáta est lepra ejus. *Matth. 8. 2. 3.*

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque ad protegéndum nos, déxteram tuæ majestátis exténde; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Burdigalénsi. *An.* 1583. *Cap.* 1.

OMnis áctio quæ de rebus divínis & ad religiónem pertinéntibus suscípitur, profícisci debet à divíni Núminis cultu & veneratióne, cujus basis & firmaméntum est fides, bonórum ómnium, ut inquit divus Augustínus, fundaméntum, & humánæ salútis inítium, ut proptérea sine fide placére Deo impossíbile esse dicat Apóstolus.

Ad Magnif. *Ant. t. 2. D.* Centúrio ait: Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantùm dic verbo, & sanábitur puer meus. *Matth. 8. 8.*

Oratio ut in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 2. v. 16. ad finem.

SCiéntes quòd non justificátur homo ex opéribus legis, nisi per fidem Jesu Christi; & nos in Christo Jesu crédimus, ut justificémur ex fide Christi, & non ex opéribus legis: propter

quod ex opéribus legis non justificábitur omnis caro. Quòd si quæréntes justificári in Christo, invénti sumus & ipsi peccatóres, numquid Christus peccáti miníster est? Absit. Si enim quæ destrúxi, íterum hæc ædífico, prævaricatórem me constítuo. Ego enim per legem, legi mórtuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci. Vivo autem, jam non ego; vivit verò in me Christus. Quòd autem nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, & trádidit semetípsum pro me. Non abjício grátiam Dei. Si enim per legem justítia, ergo gratis Christus mórtuus est.

℟. Tu, Deus, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 336.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

O Insensáti Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Jesus Christus præscríptus est, in vobis crucifíxus? Hoc solum à vobis volo díscere: Ex opéribus legis Spíritum accepístis, an ex audítu fídei? Sic stulti estis, ut cùm spíritu cœpéritis, nunc carne consumémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa. Qui ergo tribuit vobis Spíritum, & operátur virtútes in vobis: ex opéribus legis, an ex audítu fídei? sicut scriptum est: Abraham crédidit Deo, & reputátum est illi ad justítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt filii Abrahæ.

℟. Non, *pag.* 337.

Lectio iij. v. 8. *ad* 15.

PRóvidens autem Scriptúra, quia ex fide justíficat Gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: Quia benedicéntur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicéntur cum fidéli Abraham. Quicúmque enim ex opéribus legis sunt, sub maledícto sunt. Scriptum est enim: Maledíctus omnis qui non permánserit in ómnibus quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo justificátur apud Deum, maniféstum est; quia justus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide; sed, Qui fécerit ea, vivet in illis. Christus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum; quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno; ut in Géntibus benedíctio Abrahæ fieret in Christo Jesu, ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus per fidem.

℟. Quómodo, *pag.* 337.

CANON

Ex Concílio Parisiénsi.

An. 829. *Lib.* 1. *Cap.* 1.

FIdes vera & fructuósa esse non potest, nisi bonis opéribus exornétur, id est, fide, spe, charitáte, humilitáte, castitáte, continéntiâ, sobrietáte, unanimitáte, concórdiâ, justítiâ, pietáte, misericórdiâ, inno-

céntiâ, & simplicitáte, & cæteris his simílibus, quæ ómnia in dilectióne Dei & próximi consístunt.

FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Lectio j. Cap. 3. v. 23. ad finem.

PRiúsquam veníret fides, sub lege custodiebámur conclúsi, in eam fidem quæ revelánda erat. Itaque lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide justificémur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagógo. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis. Non est Judæus, neque Græcus: non est servus, neque liber: non est másculus, neque fœmina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secúndùm promissiónem hærédes.

℟. Bonitátem, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 338.

Lectio ij. Cap. 4. v. 13. ad 21.

SCitis autem quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis jam pridem: & tentatiónem vestram in carne mea non sprevístis, neque respuístis: sed sicut Angelum Dei excepístis me, sicut Christum Jesum. Ubi est ergo beatitúdo vestra? Testimónium enim perhíbeo vobis, quia, si fieri posset, óculos vestros eruissétis, & dedissétis mihi. Ergo inimícus vobis factus sum, verum dicens vobis? Æmulántur vos non bene: sed exclúdere vos volunt, ut illos æmulémini. Bonum autem æmulámini in bono semper: & non tantùm cùm præsens sum apud vos. Filíoli mei, quos íterum partúrio, donec formétur Christus in vobis. Vellem autem esse apud vos modò, & mutáre vocem meam: quóniam confúndor in vobis.

℟. Magnus, *pag.* 338.

Lectio iij. Cap. 5. v. 1. ad 10.

STate, & nolíte íterum jugo servitútis continéri. Ecce ego Paulus dico vobis: Quóniam si circumcidámini, Christus vobis nihil próderit. Testíficor autem rursus omni hómini circumcidénti se, quóniam débitor est univérsæ legis faciéndæ. Evacuáti estis à Christo, qui in lege justificámini: à grátia excidístis. Nos enim spíritu ex fide, spem justítiæ expectámus. Nam in Christo Jesu, neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium: sed fides quæ per charitátem operátur. Currebátis bene: quis vos impedívit veritáti non obedíre? Persuásio hæc non est ex eo, qui vocat vos. Módicum fermentum totam massam corrúmpit.

℟. Rectum, *pag.* 338.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. Cap. 3.

CHaritátem qui habet, ómnia bona habet, Augustínus in sermóne de laude charitátis dicit. Si ergo non vacat omnes paginas superscrutári, ómnium Scripturárum secréta penetrare, tene charitátem, ubi pendent ómnia: ibi tenebis quod ibi didicísti. Ille ítaque tenet & quod patet, & quod latet in divínis sermónibus, qui charitátem tenet in móribus.

FERIA QUARTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 5.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntatem Dei, ómnibus sanctis qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo Jesu: Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Benedíctus Deus & Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti, & immaculati in conspéctu ejus in charitáte.

℟. Bénedic, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 339.

Lectio ij. v. 5. ad 11.

QUi prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndùm propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia & prudéntia; ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndùm beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt, in ipso.

℟. Ecce, *pag.* 339.

Lectio iij. v. 11. ad 15.

IN quo etiam & nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndùm propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndùm consílium voluntátis suæ, ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui antè sperávimus in Christo: in quo & vos, cùm audissétis verbum veritátis (Evangélium salútis vestræ) in quo & credéntes signati estis Spíritu promissiónis sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus

℟. Dómine, *pag.* 340.

CANON

Ex Concílio Rotomagénsi.

An. 1581.

PRima ac præcípua pars cultûs Divíni in ánimo

consístit, ut priùs diligámus, ac venerémur Deum in veritáte, in corde perfécto, deínde verbo atque ópere; ut de nobis non dicátur, Pópulus hic lábiis me honórat, cor autẽ eórũ longè est à me.

FERIA QUINTA,

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 2. v. 1. ad 7.

CUm essétis mórtui delíctis & peccátis vestris, in quibus aliquándo ambulástis secúndùm sæculũ mundi hujus, secúndùm príncipem potestátis áëris hujus, spíritûs, qui nunc operátur in fílios diffidéntiæ, in quibus & nos omnes aliquándo conversáti sumus in desidériis carnis nostræ, faciéntes voluntátem carnis & cogitatiónum; & erámus natúrâ fílii iræ, sicut & cæteri: Deus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, quâ diléxit nos, & cùm essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, (cujus grátiâ estis salváti) & conresuscitávit, & consedére fecit in cœléstibus in Christo Jesu.

℟. Tu, Deus, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 336.

Lectio ij. v. 8. ad 14.

GRátiâ enim estis salváti per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est; non ex opéribus, ut ne quis gloriétur. Ipsíus enim sumus factúra, creáti in Christo Jesu in opéribus bonis quæ præparavit Deus, ut in illis ambulémus. Propter quod mémores estóte, quòd aliquándo vos Gentes in carne, qui dicímini præpútium, ab ea quæ dícitur circumcísio in carne, manufácta: quia erátis illo in témpore sine Christo, alienáti à conversatióne Israel, & hóspites testamentórum, promissiónis spem non habéntes, & sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu, vos, qui aliquándo erátis longè, facti estis propè in sánguine Christi.

℟. Non, *pag.* 337.

Lectio iij. v. 14. ad 19.

IPse enim est pax nostra, qui fecit útraque unum, & médium paríetem macériæ solvens inimicítias in carne sua. legem mandatórum decrétis evácuans, ut duos condat in semetípso in unum novum hóminem, fáciens pacem, & reconcíliet ambos in uno córpore Deo per crucem, interfíciens inimicítias in semetípso. Et véniens evangelizávit pacem vobis qui longè fuístis; & pacem iis qui propè; quóniam per ipsum habémus accéssum ambo in uno Spíritu ad Patrem.

℟. Quómodo, *pag.* 337.

CANON

Ex Concílio Mediolanénsi quarto.

An. 1576. *P.* 1. *C.* 4.

QUantum in religióne stabiliénda atque augén-

da labóris ponéndum est, tantum in superstitióne ex hóminum méntibus evelléndâ, curæ ac diligéntiæ est impendéndum. Quare Párochi diligénter ei rei invígilent.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 8.

HUjus rei grátiâ, ego Paulus vinctus Christi Jesu, pro vobis Géntibus, si tamen audístis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi in vobis: quóniam secúndùm revelatiónem notum mihi factum est sacraméntum, sicut suprà scripsi in brevi: prout potéstis legéntes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi: quod áliis generatiónibus non est ágnitum fíliis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, & Prophétis in Spíritu, Gentes esse cohærédes, & concorporáles, & compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium: cujus factus sum miníster, secúndùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi secúndùm operatiónem virtútis ejus.

℟. Bonitátem, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 338.

Lectio ij. v. 8. ad 14.

MIhi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, In Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi à sæculis in Deo, qui ómnia creávit; ut innotéscat principátibus & potestátibus in cœléstibus per Ecclésiam, multifórmis sapiéntia Dei secúndùm præfinitiónem sæculórum, quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro: in quo habémus fidúciam, & accéssum in confidéntia per fidem ejus. Propter quod peto ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ est glória vestra.

℟. Magnus, *pag.* 338.

Lectio iij. Cap. 4. v. 1. ad 11.

OBsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut dignè ambulétis vocatióne, quâ vocáti estis, cum omni humilitáte & mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in charitáte, sollíciti serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Unum corpus, & unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus & Pater ómnium, qui est super omnes, & per ómnia, & in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrûm data est grátia secúndùm mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Quòd autem ascéndit, quid est, nisi quia & descéndit primùm

in inferiores partes terræ? Qui descéndit, ipse est & qui ascéndit super omnes cœlos, ut impleret ómnia.

℟. Rectum, pag. 338.

C A N O N

Ex Concílio Mediolanénsi. An. 1573 Decret. 7.

CUm nimbi, procéllæ, túrbines, aut grándines impéndent, ne Sacérdos ad tempestátis procéllam arcendam vásculum adhíbeat in quo sanctíssimum Eucharístiæ Sacraméntum asservátur; ... sed Litanías, aliásque religiósas preces, ejus rei causâ institútas, piè sanctèque pronúntiet.

S A B B A T O.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Lectio j. Cap. 5. v. 1. ad 6.

EStóte imitatóres Dei, sicut fílii charíssimi: & ambuláte in dilectióne, sicut & Christus diléxit nos, & trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem & hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, & omnis immundítia, aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas quæ ad rem non pértinet; sed magis gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligéntes, quòd omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, (quod est idolórum sérvitus,) non habet hæreditátem in regno Christi & Dei.

Lectio ij. v. 6. ad 15.

NEmo vos sedúcat inánibus verbis; propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquando ténebræ; nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte; (fructus enim lucis est in omni bonitáte, & justítia, & veritáte;) probántes quid sit beneplácitum Deo: & nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum, magis autem redargúite. Quæ enim in occúlto fiunt ab ipsis, turpe est & dícere. Omnia autem quæ arguúntur, à lúmine manifestántur; omne enim quod manifestátur, lumen est. Propter quod dicit: Surge, qui dormis; & exúrge à mórtuis; & illuminábit te Christus.

Lectio iij. Cap. 6. v. 10. ad 17.

DE cætero, fratres, confortámini in Dómino, & in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut posśitis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem & sánguinem; sed advérsus príncipes, & potestátes; advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cœléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut posśitis resístere in die malo, & in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, & indúti

lorícam justítiæ, & calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea extínguere.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi primo.

An. 1536. *Part.* 9. *Cap.* 16.

Quidquid in Cæremóniis ad abúsum & superstitiónem spectat, & quo pópulus à Deo, ad collocándum in extérnis istis áliquam fidúciam, abdúci possit, prohibémus.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *C.* Omnia detriméntum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. *Phil.* 3. 8.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA IV.

QUÆ SUPERFUIT post Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippenses.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 8.

Paulus & Timótheus, servi Jesu Christi, ómnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philíppis, cum Epíscopis, & Diacónibus: Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestrî, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communicatióne vestra in Evangélio Christi, à prima die usque nunc; confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu; sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis; eò quòd hábeam vos in corde, & in vínculis meis, & in defensióne, & confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse.

℟. Voluntátem timéntium se fáciet Dóminus, & deprecatiónem eórum exáudiet; & salvos fáciet eos. * Custódit Dóminus omnes diligéntes se. ℣. Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum. * Custódit. *Ps.* 144. 19. 20. *Rom.* 8. 28.

Lectio ij. v. 8. *ad* 15.

Testis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro ut cháritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia & in omni sensu; ut probétis potióra, ut sitis sincéri & sine offénsa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam & laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad profé ctum venérunt Evangélii: ita ut víncula mea manifésta fierent in Christo in omni prætório, & in cæteris ómnibus; & plures è frátribus in Dómino confidéntes vínculis meis, abundántiùs au-

dérent sine timóre verbum Dei loqui.

℟. Dómine, vísita nos in salutári tuo, * Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ; ut laudéris cum hæreditate tua. ℣. Iis qui coæquálem nobíscum sortíti sunt fidem in justítia Dei nostri, & Salvatóris Jesu Christi, grátia & pax adimpleátur; * Ad vidéndum. *Ps.* 105. 4. 5. 2. *Pet.* 1. 1. 2.

Lectio iij. v. 15. *ad* 22.

QUidam quidem & propter invídiam & contentiónem, quidam autem & própter bonam voluntátem Christum prædicant; quidam ex charitáte, sciéntes quóniam in defensiónem Evangélii pósitus sum. Quidam autem ex contentióne Christum annúntiant non sincérè, existimántes presúram se suscitáre vínculis meis. Quid enim? Dum omni modo, sive per occasiónem, sive per veritátem, Christus annuntiétur; & in hoc gáudeo, sed & gaudébo. Scio enim quia hoc mihi provéniet ad salútem, per vestram oratiónem, & subministratiónem Spíritûs Jesu Christi, secúndùm expectatiónē & spem meam, quia in nullo confúndar: sed in omni fidúcia sicut semper, & nunc magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. Mihi enim vívere Christus est, & mori lucrum.

℟. Exaltábo te, Deus meus Rex; & benedícam nómini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. * Per síngulos dies benedícam tibi. ℣. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. * Per síngulos. Glória. * Per síngulos. *Ps.* 144. 1. 2. *Phil.* 1. 20.

IN II. NOCTURNO.

Ex Commentário sancti Joánnis Chrysóstomi in Epístolam ad Philippénses.

Lectio iv. in Præf. n. 2. *&* 3.

PAulus Philippénsibus testimónium dat, non solùm fidei, & periculórum nómine, sed étiam beneficéntiæ. (Ubi, inquit, quod & in princípio Evangélii, & semel & bis in usum mihi misístis, némine álio id præstánte.) Hæc ígitur & nos intelligéntes, aggrediámur ipsi digni fíeri hujúsmodi exémplis; & primùm quidem promptos ac parátos nos ostendámus pro Christo pati. At enim hoc témpore non est qui Christiános insectétur, & vexet. Ergo, ubi nihil áliud, saltem efficácem ac veheméntem illórum beneficéntiam imitémur; neque ubi semel, atque íterum dedérimus, omni offício perfúnctos nos arbitrémur; étenim per omnem vitam id faciéndum est. Quemádmodum dívitum fílii decus áureum circa collum gestant,

illúdque numquam depónunt, tamquam nobilitátis insígne circumferéntes; ita & eleemósynam nobis ipsis circumdémus opórtet, declarántes nos esse misericórdis illíus filios, qui solem exoríri facit super malos & bonos.

℟. Clamavérunt ad Dóminum cùm tribularéntur; & de necessitátibus eórum liberávit eos. * Misit verbum suum, & sanávit eos: & erípuit eos de interitiónibus eórum. ℣. Vidístis quóniam miséricors Dominus est, & miserátor. * Misit. *Ps.* 106. 19. 20. *Jacob.* 5. 11.

Lectio v.

Nostis profectò, nostis & vos ex pecúniis mala ómnia, ex pecúniis sexcénta bella solére exístere. Quamóbrem qui illas contémnere dídicit, tranquíllo in portu seípsum locávit, nec damnum posthac métuit. Ad hanc disciplínam illum eleemósyna erudívit. Non áppetit posthac aliéna; (quómodo enim, cùm sua profúndat & donet?) Nullâ posthac dívitis invídiâ tángitur; (quómodo enim, cum pauper fieri velit?) Ipsúmque ánimæ óculum ab omni labe purum reddit. Atque hæc quidem hîc: quorum verò ibi bonórum compos futúrus sit, nulla umquam orátio queat exponere. Non unà cum stultis virgínibus foris manébit, sed unà cum prudéntibus, unà cum sponso ipso introíbit, splendídas habens lámpades. Tanta est eleemosynæ virtus: nam si Deum in terram addúxit, idque ipsi persuásit ut homo fíeret; multò magis hóminem in cœlum intromíttere póterit; usque ádeò magna est ipsíus poténtia.

℟. Jucúndus homo qui miserétur, & cómmodat: * Dispérsit, dedit paupéribus; justítia ejus manet in sæculum sæculi; cornu ejus exaltábitur in glória. ℣. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus & metet. * Dispérsit. *Ps.* 111. 5. 9. 2. *Cor.* 9. 6.

Lectio vj.

Itaque si ex misericórdia atque hóminum amóre Deus homo factus est: imò si eò addúctus est, ut servus fíeret; multò magis propter eam servos in domum introdúcet suam. Hanc amémus, hanc colámus, non uno aut áltero die, sed per omne tempus; ut ipsa nos bene notos habeat; nam si ea nos nóverit, & Dóminus noscet: sin ignóret, Dóminus étiam ignorábit, ac dicet: Néscio vos. Verùm absit ut hanc nos vocem audiámus, sed beátam illam: Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi; quod útinam nos consequámur in Christo Jesu Dómino nostro, cum quo Patri, unàque San-

cto Spirítui glória, impérium, & honos.

℟. Misericórdiam, & veritátem diligit Deus: * Grátiam, & glóriam dabit Dóminus. † Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia. ℣. Hilarem datórem díligit Deus: potens est autem omnem grátiam abundáre fácere in vobis. * Grátiam. Glória. † Non privábit. *Ps.* 83. 12. 13. 2. *Cor.* 9. 7. 8.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Léctio vij. Cap. 8. *v.* 23.

IN illo témpore; Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Enarr. 2. *in Psalm.* 25. *n.* 4.

AUdístis in Evangélio: Periclitabátur navígium in stagno, & dormiebát Jesus. Navigámus per quoddam stagnum, & ventus & procéllæ non desunt; tentatiónibus quotidiánis hujus sæculi propè opplétur nostrum navígium. Unde autem fit, nisi quia dormit Jesus? Si non dormíret in te Jesus, tempestátes istas non pateréris; sed tranquillitátem habéres intérius, convigilánte tecum Jesu.

℟. Exúrge, quare obdórmis, Dómine? * Exúrge, ádjuva nos; & rédime nos propter nomen tuum. ℣. Magíster, non ad te pértinet, quia perímus? * Exúrge. *Ps.* 43. 23. 26. *Marc.* 4. 38.

Léctio viij.

QUid est autem, Dormit Jesus? Fides tua, quæ est de Jesu, obdormívit. Surgunt procéllæ stagni hujus; vides malos florere, bonos laboráre: tentátio est, fluctus est. Et dicit ánima tua: O Deus! ipsa est justítia tua, ut mali flóreant, boni labórent? Dicis Deo: Ipsa est justítia tua? Et Deus tibi: Ipsa est fides tua? Hæc enim tibi promísi. Ad hoc Christiánus factus es, ut in sæculo isto floréres? Unde hoc dicis? unde flúctibus stagni, & tempestáte turbáris? Quia dormit Jesus, id est, quia fides tua, quæ est de Jesu, sopíta est in corde tuo.

℟. Dormitávit ánima mea præ tædio, Dómine; * Confírma me in verbis tuis; & de lege tuà miserére meî. ℣. Dómine, ádjuva incredulitátem meam. * Confírma. *Ps.* 118. 28. 29. *Marc.* 9. 23.

Léctio ix.

QUid facis ut liberéris? Excita Jesum, & dic: Magíster, perímus. Movent enim incérta stagni; perímus. Evigilábit ille, id est, rediet ad te fides tua; &, adjuvánte illo considerábis in ánima tua, quia quæ dantur modò malis, non cum illis perse-

verábunt; tibi autem quod promíttitur, manébit in ætérnum... Evigilante Christo, tempéstas illa non quátiet cor tuum; non opplébunt fluctus navim tuam; quia fides tua ímperat ventis, & flúctibus; & tránsiet perículum.

℟. Vidérunt ópera Dómini, & mirabília ejus in profúndo: clamavérunt ad Dóminum: * Et státuit procéllam in auram; & † Siluérunt fluctus maris. ℣. Comminátus est Jesus vento, & dixit mari: Tace, obmutésce. * Et státuit. Glória † Siluérunt. *Ps.* 106. 24. 28. 29. *Marc.* 4. 39.

Ad Bened. *Ant.* 1. *A.* Surgens Jesus imperávit ventis & mari; & facta est tranquíllitas magna. *Matth.* 8. 26.

Oratio.

DEus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsistere: da nobis salútem mentis & córporis; ut ea quæ pro peccatis nostris pátimur, te adjuvánte, vincámus; Per, &c.

CANON.

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 1549. *Can.* 61.

QUò Dei glória in observatione Divíni cultûs magis illustrétur, & fidélium devótio minùs impediátur, diébus Domínicis & Festivitátibus celebrióribus, mercimónia, tripúdia, saltatiónes, quas damnat Concilium Toletánum, & profána spectácula decérnimus non permitténda: simul étiam lúdicra quædam à pietáte aliéna, & theátris quàm templis aptióra, censemus in Ecclésia non admitténda.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 3. *A.* Hómines miráti sunt, dicéntes: Qualis est hic, quia venti & mare obédiunt ei? *Matth.* 8. 27.

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 12. *ad* 19.

CHaríssimi mei, (sicut semper obedístis) non ut in præséntia meî tantùm, sed multò magis nunc in abséntia mea, cum metu & tremóre vestram salútem operámini. Deus est enim qui operátur in vobis & velle, & perfícere, pro bona voluntáte. Omnia autem fácite sine murmuratiónibus, & hæsitatiónibus; ut sitis sine queréla, & símplices filii Dei, sine reprehensióne in médio natiónis pravæ & pervérsæ, inter quos lucétis sicut luminária in mundo, verbum vitæ continéntes ad glóriam meam in die Christi; quia non in vácuum cucúrri, neque in vácuum laborávi. Sed & si ímmolor supra sacrifícium, & obséquium fídei vestræ, gáudeo, & congrátulor ómnibus vobis. Idipsum autem & vos gaudéte, & congratulámini mihi.

℟. Voluntátem, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 347.

Lectio ij. *Cap.* 3. *v.* 1. *ad* 8.

DE cætero, fratres mei, gaudéte in Dómino. Eadem vobis scríbere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessárium. Vidéte canes, vidéte malos operários, vidéte concisiónem. Nos enim sumus circumcísio, qui spíritu servímus Deo, & gloriámur in Christo Jesu, & non in carne fidúciam habéntes: quamquam ego hábeam confidéntiam & in carne. Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magis, circumcíssus octávo die, ex génere Israel, de tribu Bénjamin, Hebræus ex Hebræis, secúndùm legem Pharisæus, secúndùm æmulatiónem pérsequens Ecclésiam Dei; secúndùm justítiam, quæ in lege est, conversátus sine queréla. Sed quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta.

℟. Dómine, *pag.* 348.

Lectio iij. *Cap.* 4. *v.* 5. *ad* 10.

MOdéstia vestra nota sit ómnibus homínibus, Dóminus propè est. Nihil sollíciti sitis: sed in omni oratióne & obsecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exúperat omnem sensum, custódiat corda vestra, & intelligéntias vestras in Christo Jesu. De cætero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quæ & didicístis, & accepístis, & audístis, & vidístis in me, hæc ágite; & Deus pacis erit vobíscum.

℟. Exaltábo, *pag.* 348.

C A N O N

Ex Concílio Antiochéno.

An. 341. *Can.* 2.

OMnes qui in Ecclésiam ingrediúntur, & sacras Scriptúras áudiunt, oratióni autem cum pópulo non commúnicant, vel sanctam Eucharístiæ participatiónem propter áliquam insoléntiam aversántur, eos ab Ecclésia expélli statúimus, donec postquam conféssi fúerint, fructúsque pœniténtiæ osténderint, véniam ássequi possint.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses.

Lectio j. *Cap.* 1. *v.* 1. *ad* 7.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, & Timótheus frater: eis qui sunt Colóssis, sanctis & fidélibus frátribus in Christo Jesu: Grátia vobis, & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágimus Deo & Patri Dómini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orántes: audiéntes fidem vestram in Christo Jesu,

&

& dilectiónem quam habétis in sanctos omnes, propter spem quæ repósita est vobis in cœlis: quam audístis in verbo veritátis Evangélii, quod pervénit ad vos, sicut & in univérso mundo est, & fructíficat, & crescit, sicut in vobis, ex ea die quâ audístis, & cognovístis grátiam Dei in veritáte.

℟. Clamavérunt, *ex 2. Noct. Dom. pag.* 349.

Lectio ij. v. 9. ad 18.

NOn cessámus pro vobis orántes, & postulántes ut impleámini agnitióne voluntátis ejus, in omni sapiéntia & intelléctu spirituáli, ut ambulétis dignè Deo per ómnia placéntes: in omni ópere bono fructificántes, & crescéntes in sciéntia Dei: in omni virtúte confortáti secúndùm poténtiam claritatis ejus, in omni patiéntia, & longanimitáte cum gáudio, grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine: qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, & tránstulit in regnum filii dilectiónis suæ; in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum; qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ: quóniam in ipso cóndita sunt univérsa in cœlis, & in terra, visibília & invisibília, sive throni, sive dominatiónes, sive principátus, sive potestátes: ómnia per ipsum, & in ipso creáta sunt: & ipse est ante omnes, & ómnia in ipso constant.

℟. Jucúndus, *pag.* 349.

Lectio iij. v. 18. ad 24.

ET ipse est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis: ut sit in ómnibus ipse primátum tenens. Quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre, & per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. Et vos cùm essétis aliquándo alienáti, & inimíci sensu in opéribus malis: nunc autem reconciliávit in córpore carnis ejus per mortem, exhibére vos sanctos, & immaculátos, & irreprehensíbiles coram ipso: si tamen permanétis in fide fundáti, & stábiles, & immóbiles à spe Evangélii, quod audístis, quod prædicátum est in univérsa creatúra quæ sub cœlo est, cujus factus sum ego Paulus miníster.

℟. Misericórdiam, *pag.* 350.

CANON

Ex Concílio Antiochéno.

An. 341. *Can.* 2.

CEnsémus non licére communicáre cum excommunicátis, neque in dómibus conveniéntes oráre pro eis qui in Ecclésia non commúnicant: neque in ália Ecclésia récipi eos qui in ália

Ecclésia non convéniunt. Si quis autem de Epíscopis, Presbyteris, vel Diáconis, sive quilibet ex Clero deprehénsus fuerit cum excommunicátis communicáre, étiam iste privétur communióne, tamquam régulam confúndens Ecclésiæ.

FERIA QUARTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses.

Lectio j. Cap. 2. v. 6. ad 13.

SIcut ergo accepístis Jesum Christum Dóminum, in ipso ambuláte, radicáti, & superædificáti in ipso, & confirmáti fide, sicut & didicístis, abundántes in illo in gratiárum actióne. Vidéte ne quis vos decípiat per philosóphiam, & inánem falláciam, secúndùm traditiónem hóminum, secúndùm eleménta mundi, & non secúndùm Christum: quia in ipso inhábitat omnis plenitúdo divinitátis corporáliter; & estis in illo repléti, qui est caput omnis principátûs, & potestátis: in quo & circumcísi estis circumcisióne non manufáctâ in expoliatióne córporis carnis, sed in circumcisióne Christi; consepúlti ei in baptísmo, in quo & resurrexístis per fidem operatiónis Dei qui suscitávit illum à mórtuis.

℟. Exúrge, *ex 3. Noct. Dom. pag.* 350.

Lectio ij. Cap. 3. v. 17. ad finem.

OMne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo & Patri per ipsum. Mulíeres, súbditæ estóte viris, sicut opórtet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras, & nolíte amári esse ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusíllo ánimo fiant. Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed in simplicitáte cordis timéntes Deum. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino, & non homínibus; sciéntes quòd à Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim injúriam facit, recípiet id quod iníquè gessit; & non est personárum accéptio apud Deum.

℟. Dormitávit, *pag.* 350.

Lectio iij. Cap. 4. v. 1. ad 7.

DOmini, quod justum est & æquum, servis præstáte; sciéntes quòd & vos Dóminum habétis in cœlo. Oratióni instáte, vigilántes in ea in gratiárum actióne: orántes simul & pro nobis, ut Deus apériat nobis óstium sermónis ad loquéndum myst-

tértium Christi : (propter quod étiam vinctus sum) ut maniféstem illud, ita ut opórtet me loqui. In sapiéntia ambuláte ad eos qui foris sunt ; tempus rediméntes. Sermo vester semper in grátia sale sit condítus, ut sciátis quómodo opórteat vos unicuíque respondére.

℟. Vidérunt, *pag.* 351.

C A N O N

Ex Concílio Meldénsi.

An. 845. *C.* 56.

NEmo Episcopórũ quémlibet sine certa & maniféste peccáti causa, communióne privet Ecclesiásticâ. Anathéma autem sine prolála Evangélica admonitióne nulli impónat, nisi unde Canónica docet auctóritas ; quia anathéma ætérnæ est mortis damnátio, & nonnisi pro mortáli debet impóni crímine, & illi qui áliter non potúerit córrigi.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 6.

PAulus, & Silvánus, & Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium, in Deo Patre, & Dómino Jesu Christo : Grátia vobis & pax. Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestrî faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, & labóris, & charitátis, & sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum : sciéntes, fratres dilécti à Deo, electiónem vestram ; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed & in virtúte, & in Spíritu sancto, & in plenitúdine multa ; sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos.

℟. Voluntátem, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 347.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 9.

NAm ipsi scitis, fratres, introítum nostrum ad vos, quia non inánis fuit : sed antè passi, & contumélis affécti (sicut scitis) in Philíppis, fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus à Deo ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur ; non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis : neque in occasióne avarítiæ : Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli : sed facti sumus párvuli in médio vestrûm, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non

solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam charíssimi nobis facti estis.

℟. Dómine, pag. 348.

Lectio iij. v. 10. ad 15.

VOs testes estis, & Deus, quàm sanctè, & justè, & sine queréla, vobis, qui credidístis, súimus; sicut scitis, quáliter unumquémque vestrûm (sicut pater filios suos) deprecántes vos, & consolántes, testificáti sumus, ut ambularétis dignè Deo, qui vocávit vos in suum regnum & glóriam. Ideò & nos grátias ágimus Deo sine intermissióne; quóniam cùm accepissétis à nobis verbum audítûs Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est verè) verbum Dei qui operátur in vobis qui credidístis. Vos enim imitatóres facti estis, fratres, Ecclesiárum Dei, quæ sunt in Judæa in Christo Jesu: quia éadem passi estis & vos à contribúlibus vestris; sicut & ipsi à Judæis.

℟. Exaltábo, pag. 348.

C A N O N

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 25. de Reform. Cap. 3.

QUamvis excommunicatiónis gládius nervus sit Ecclesiásticæ disciplinæ, & ad continéndos in offício pópulos valdè salutáris; sóbriè tamen, magnâque circumspectióne exercéndus est; cùm experiéntia dóceat, si témerè, aut lévibus ex rebus incutiatur, magis contémni quàm formidári; & perníciem pótiùs párere, quàm salútem.

FERIÂ SEXTA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 4. v. 1. ad 8.

DE cætero, fratres, rogámus vos, & obsecrámus in Dómino Jesu, ut quemádmodum accepístis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, & placére Deo, sic & ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificatio vestra; ut abstineátis vos à fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrûm vas suum possidére in sanctificatióne & honóre; non in passióne desidérii, sicut & gentes quæ ignórant Deum; & ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum: quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædíximus vobis, & testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem.

℟. Clamavérunt, ex 2. Noct. Dom. pag. 349.

Lectio ij. Cap. 5. v. 1. ad 7.

DE tempóribus autem & moméntis, fratres, non indigétis ut scribámus vobis. Ipsi enim diligénter scitis quia dies Dómini, sicut

Fur in nocte, ita véniet. Cùm enim díxerint, Pax & secúritas; tunc repentínus eis supervéniet intéritus, sicut dolor in útero habéntis, & non effúgient. Vos autem, fratres, non estis in ténebris, ut vos dies illa, tamquam fur, comprehéndat. Omnes enim vos fílii lucis estis, & fílii diéi: non sumus noctis, neque tenebrárum. Igitur non dormiámus sicut & cæteri; sed vigilémus, & sóbrii simus.

℟. Jucúndus, *pag.* 349.

Lectio iij. v. 12. ad 23.

Rogámus autem vos, fratres, ut novéritis eos qui labórant inter vos, & præsunt vobis in Dómino, & monent vos, ut habeátis illos abundántiùs in charitáte propter opus illórum: pacem habéte cum eis. Rogámus autem vos, fratres, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infirmos, patiéntes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: sed semper quod bonum est sectámini in ínvicem, & in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu, in ómnibus vobis. Spíritum nolíte extínguere. Prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est tenéte. Ab omni spécie mala abstinéte vos.

℟. Misericórdiam, *pag.* 350.

CANON

Ex Concílio Arelaténsi secúndo.

An. 452. Can. 49.

Secúndùm instirúta seniórum, si quis à communióne sacerdotáli fúerit auctoritáte suspénsus, hunc non solùm à Clericórum, sed étiam à totíus pópuli collóquio atque convívio plácuit exclúdi, donec resipíscens ad sanitátem redíre festínet.

SABBATO.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 10.

Paulus, & Silvánus, & Timótheus, Ecclésiæ Thessalonicénsium, in Deo Patre nostro & Dómino Jesu Christo: Grátia vobis & pax à Deo Patre nostro, & Dómino Jesu Christo. Grátias ágere debémus semper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quóniam superéréscit fides vestra, & abúndat cháritas uniuscujúsque vestrûm in ínvicem; ita ut & nos ipsi in vobis gloriémur in Ecclésiis Dei, pro patiéntia vestra, & fide, & in ómnibus persecutiónibus vestris, & tribulatiónibus quas sustinétis in exémplum justi judícii Dei, ut digni habeámini in regno Dei, pro quo & patímini. Si tamen justum est apud Deum, retribúere tribulatiónem iis qui vos trí-

bulant; & vobis qui tribulámini, réquiem nobíscum in revelatióne Dómini Jesu de cœlo, cum Angelis virtútis ejus, in flamma ignis dantis vindíctam iis qui non novérunt Deum, & qui non obédiunt Evangélio Dómini nostri Jesu Christi, qui pœnas dabunt in intéritu ætérnas à facie Dómini, & à glória virtútis ejus.

Lectio ij. Cap. 2. v. 12. ad finem.

NOs autem debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, fratres dilécti à Deo, quòd elégerit vos Deus primitias in salútem, in sanctificatióne spíritûs, & in fide veritátis: in qua & vocávit vos per Evangélium nostrum, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. Itaque, fratres, state: & tenéte traditiónes quas didicístis, sive per sermónem, sive per epístolam nostram. Ipse autem Dóminus noster Jesus Christus, & Deus, & Pater noster, qui diléxit nos, & dedit consolatiónem ætérnã, & spem bonam in grátia, exhortétur corda vestra, & confírmet in omni ópere & sermóne bono.

Lectio iij. Cap. 3. v. 10. ad finem.

NAm & cùm essémus apud vos, hoc denuntiábamus vobis; quóniam si quis non vult operári, nec mandúcet. Audívimus enim inter vos quosdam ambuláre inquiéte, nihil operántes, sed curiósè agéntes. Iis autem qui ejúsmodi sunt, denuntiámus, & obsecrámus in Dómino Jesu Christo, ut cum siléntio operántes, suum panem mandúcent. Vos autem, fratres, nolíte defícere benefaciéntes. Quòd si quis non óbedit verbo nostro per epístolam, hunc notáte, & ne commisceámini cum illo, ut confundátur: & nolíte quasi inimícum existimáre; sed corrípite ut fratrem. Ipse autem Dóminus pacis det vobis pacem sempitérnam in omni loco. Dóminus sit cum ómnibus vobis. Salutátio, meâ manu Pauli; quod est signum in omni epístola: ita scribo. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum ómnibus vobis. Amen.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi. *An.* 816. *Lib.* 1. *Cap.* 134.

DElinquéntibus, & excommunicátis frátribus nequáquam cæteri fratres debent favére, aut eos suis adulatiónibus decípere, aut eórum erráta deféndere; sed pótius opem ferre ut æquitátis censúrâ districtè corrigántur.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus; quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere. 1. *Tim.* 1. 15.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA V.
QUÆ SUPERFUIT
post Epiphaniam.
IN I. NOCTURNO.
Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1. v. 1. ad 6.

PAulus Apóstolus Jesu Christi, secúndùm impérium Dei Salvatóris nostri, & Christi Jesu spei nostræ: Timótheo dilécto fílio in fide: Grátia, misericórdia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Dómino nostro. Sicut rogávi te, ut remanéres Ephesi, cùm irem in Macedóniam, ut denuntiáres quibúsdam, ne áliter docérent, neque inténderent fábulis, & genealógiis interminátis; quæ quæstiónes præstant magis quàm ædificatiónem Dei, quæ est in fide. Finis autem præcépti est cháritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ.

℟. Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes; sed non ut lex tua: * Omnia mandáta tua véritas. ℣. Finis præcépti est cháritas de corde puro, & consciéntiâ bonâ, & fide non fictâ. * Omnia. *Ps.* 118. 85. 86. 1. *Tim.* 1. 5.

Lectio ij. v. 12. ad 17.

GRátias ago ei qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério; qui priùs blasphémus fui, & persecútor, & contumeliósus; sed misericórdiam Dei consecútus sum, quia ignórans feci in incredulitáte. Superabundávit autem grátia Dómini nostri, cum fide & dilectióne, quæ est in Christo Jesu. Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus; quòd Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum: sed ideò misericórdiam consecútus sum, ut in me primo osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi, in vitam ætérnam.

℟. Laudábis Deum, & gloriáberis in miseratiónibus illíus. * Quàm magna misericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad se! ℣. Omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis veníre. * Quàm magna. *Eccli.* 17. 27. 28. 1. *Tim.* 2. 4.

Lectio iij. Cap. 2. v. 1. ad 7.

OBsecro ígitur primùm ómnium fieri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus, pro régibus, & ómnibus qui in sublimitáte sunt; ut quiétam & tranquíllam vitam agámus in omni pietáte, & castitáte. Hoc enim bonum est & accéptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fieri, & ad agnitiónem veritátis

venire. Unus enim Deus, unus & Mediátor Dei & hóminum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis.

℟. Recordátus est Dóminus misericórdiæ suæ, & veritátis suæ dómui Israel: * Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri. ℣. Christus Jesus dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Ps.* 97. 3. 1. *Tim.* 2. 6.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iv. Serm. 175. de verbis Apost. aliàs Serm. 9. C. 1.

FIdélis sermo, & omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Nulla causa fuit veniéndi Christo Dómino, nisi peccatóres salvos fácere. Tolle morbos, tolle vúlnera, & nulla causa est medicínæ. Si venit de cœlo magnus médicus, magnus per totum orbem terræ jacébat ægrótus. Ipse ægrótus, genus humánum est.

℟. Dómine, nobis confúsio faciéi: * Tibi autem Dómino Deo nostro misericórdia, & propitiátio. ℣. Omnes enim peccavérunt, & egent gloriâ Dei. * Tibi autem. *Dan.* 9. 8. 9. *Rom.* 3. 23.

Lectio v. Serm. 176. Cap. 4.

DIcit Paulus unicuíque ægróto, & de se volenti desperare: Qui curávit me, misit me ad te; & dixit mihi: Illi desperánti vade, & dic quid habuísti, quid in te sanávi, quàm citò sanávi. De cœlo vocávi, unâ voce percússi, & dejéci; áliâ eréxi, & elégi; tértiâ implévi, & misi; quartâ liberávi, & coronávi. Vade, dic ægrótis, clama desperátis: (Fidélis sermo, & omni acceptióne dignus, quia Christus Jesus venit in mundum peccatóres salvos fácere.) Quid timétis? Quid trepidátis? (Quorum primus ego sum.) Ego, inquit, vobis loquor, sanus ægrotántibus, stans jacéntibus, secúrus desperántibus. Ideò enim misericórdiam consecútus sum, ut in me osténderet Christus Jesus omnem longanimitátem.

℟. Obsecro, Dómine, * Scio quia tu Deus clemens, & misericors es, pátiens, & multæ miseratiónis, & ignóscens super malítia. ℣. Superexáltat misericórdia judícium. * Scio. *Jonæ* 4. 2. *Jac.* 2. 13.

Lectio vj. Cap. 5.

NOlíte ergo desperáre. Ægróti estis; accédite ad eum, & sanámini: cæci estis; accédite ad eum, & illumináminì. Et qui sani estis, ei grátias ágite; & qui ægrotátis, ad eum sanándi currite: dícite omnes; Ve

nite, adorémus, & prosternnámur ei, & plorémus coram Dómino qui fecit nos, & hómines, & salvos. Nam si ille nos fecit hómines, nos autem ipsi nos fécimus salvos; áliquid illo mélius fécimus. Mélior est enim salvus homo, quàm quilibet homo. Si ergo te Deus fecit hóminem, & tu te fecísti bonum hóminem; quod tu fecísti mélius est. Noli te extóllere super Deum; subde te Deo, adóra, prostérnere, confitére illi qui fecit te; quia nemo récreat, nisi qui creat; nemo réficit, nisi qui fecit.

℟. Magnificáte Dóminum mecum; & exaltémus nomen ejus in idípsum. * Accédite ad eum, & illumináмini: & † Facies vestræ non confundéntur. ℣. Dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum. * Accédite. Glória. † Fácies. *Ps.* 33. 4. 6. *Coloss.* 1. 12. 13.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13. v. 24.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile factum est regnum cœlórum hómini qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

De Verbis Evang. Serm. 88. *Cap.* 18.

HOc in mystério lectiónis hujus cognóvimus, fratres, esse intus in Ecclésia & bonos & malos, quod sæpè dícimus fruméntum & páleam. Nemo ante tempus déserat áream, tóleret páleam in tritúra, toleret in área; quod enim tóleret, in hórreo non habébit. Véniet ventilátor, qui dívidet malos à bonis. Erit étiam corporális separátio, quam modò spiritális præcédit. A malis corde semper disjungímini, ad tempus autem cautè córpore copulámini. Nec tamen negligéntes sitis in corrigéndis vestris, ad curam scílicet vestram quoquo modo pertinéntibus, monéndo, docéndo, hortándo, terréndo.

℟. Pervérsæ cogitatiónes séparant à Deo: * Probáta autem virtus córripit insipiéntes. ℣. Servum Dómini opórtet mansuétum esse ad omnes, cum modéstia corripiéntem eos qui resístunt veritáti. * Probáta. *Sap.* 1. 3. 2. *Tim.* 2. 24. 25.

Lectio viij.

DUóbus modis non te máculat malus; si non consentías, & si redárguas: hoc est, non communicáre, non consentíre. Communicátur quippe, quando facto ejus consórtium voluntátis

vel approbatiónis adjúngitur. Hoc ergo nos ádmonens Apóstolus, ait: Nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum. Et quia parum erat non consentíre, si sequerétur negligéntia disciplínæ: Magis autem, inquit, & redargúite. Quid est, Magis autem & redargúite? Repreh éndite, corrípite, coercéte. Deinde in ipsa correctióne, vel coercitióne aliénorum peccatórum, cavéndum est, ne se extóllat, qui álterum córripit... Neque ergo consentiéntes sitis malis, ut approbétis; neque negligéntes, ut non arguátis; neque superbiéntes, ut insultánter arguátis.

℟. Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam, & super inimícos tuos tabescébam? * Perfécto ódio óderam illos; & inimíci facti sunt mihi. ℣. Hi resístunt veritáti, hómines corrúpti mente, réprobi circa fidem.* Perfécto. Ps. 138. 21. 22. 2. Tim. 3. 8.

Lectio ix.

QUi deserúerit unitátem, víolat charitátem; & quisquis víolat charitátem, quódlibet magnum hábeat, ipse nihil est. Si linguis hóminum loquátur & Angelórum, si sciat ómnia sacraménta, si hábeat omnem fidem, ut montes tránsferat, si distríbuat ómnia sua paupéribus, si corpus suum tradat ut árdeat, charitátem autem non hábeat, nihil est, nihil ei prodest. Univérsa inutíliter habet, qui unum illud, quo univérsis utátur, non habet. Amplectámur ítaque charitátem, studéntes serváre unitátem spíritûs in vínculo pacis. Non vos sedúcant qui carnáliter intélligunt, & corporáliter separatiónem faciéntes, ab Ecclésiæ fruméntis toto orbe diffúsis spirituáli sacrilégio separántur. Per totum enim mundum seminátum est bonum semen.

℟. Habitávi cum habitántibus Cedar: multùm íncola fuit ánima mea. * Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus: cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs. ℣. Idem sápite, pacem habéte; & Deus pacis, & dilectiónis erit vobíscum. * Cum his. Glória. * Cum his. Ps. 119. 5. 6. 7. 2. Cor. 13. 11.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* In consummatióne sæculi mittet Filius hóminis Angelos suos, & cólligent de regno ejus ómnia scándala, & eos qui fáciunt iniquitátem. *Matth.* 13. 40 41.

Oratio.

FAmíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínuâ protectióne custódi: ut quæ in sola spe grátiæ cœléstis innítitur, tuâ semper protectióne muniátur; Per Dóminum, &c.

CANON

Ex Concílio Burdigalénsi.

An. 1624. *Cap.* 3. *Num.* 3.

COnfessários quoscúmque, sive sæculáres, sive reguláres, scrutári pœniténtes, an Offício Parochiális Missæ satisfécerint, propósitâ eísdem gravitáte peccáti, obligátos esse declarámus.

Ad Magnif. *Ant. t.* 7. *a.* Justi fulgébunt sicut sol in regno Patris eórum. *Matth.* 13. 43.

Oratio ut suprà in Laudibus.

FERIA SECUNDA.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 7.

FIdélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilē esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem; non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum; non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum, fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum; ne in supérbiam elátus, in judícium íncidat diáboli.

℟. Narravérunt, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 359.

Lectio ij. Cap. 4 *v.* 12. *ad finem.*

NEmo adolescéntiam tuā contémnat: sed exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, & doctrínæ. Noli neglígere grátiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum Presbytérii. Hæc meditáre, in his esto; ut proféctus tuus maniféstus sit ómnibus. Atténde tibi, & doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, & teipsum salvum fácies, & eos qui te áudiunt.

℟. Laudábis, *pag.* 359.

Lectio iij. Cap. 6. *v.* 6. *ad* 13.

EST autem quæstus magnus, píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quòd nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, & quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, & in láqueum diáboli, & desidéria multa inutília, & nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum & perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidam appeténtes, erravérunt à fide, & inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge: sectáre verò

justítiam, pietátem, fidem, charitátem, patiéntiã, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fidei: apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, & conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus.

℟. Recordátus, *pag.* 360.

CANON

Ex Concílio Aquisgranénsi secúndo.

An. 836. *Cap.* 3. *Can.* 20.

LAïci monéndi sunt ne Sacerdótes contémptui hábeant, neve eórum mónita despíciant, & tam túrpiter tractent uti hácténus; ne supervéniat quod dicit Prophéta: Pópulus tuus sicut hi qui contradícunt Sacerdóti; & córrues hódie: córruet étiam Prophéta tecum.

FERIA TERTIA.

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad.* 7.

PAulus Apóstolus Jesu Christi per voluntátem Dei, secúndùm promissiónem vitæ, quæ est in Christo Jesu: Timótheo charíssimo fílio; Grátia, misericórdia, pax à Deo Patre, & Christo Jesu Dómino nostro. Grátias ago Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntia pura, quòd sine intermissióne hábeam tuî memóriam in oratiónibus meis, nocte ac die: desíderans te vidére, memor lacrymárum tuárum, ut gáudio ímplear, recordatiónem accípiens ejus fidei quæ est in te non ficta, quæ & habitávit primùm in ávia tua Lóïde, & matre tua Eúnice, certus sum autem quòd & in te. Propter quam causam admóneo te ut resúscites grátiam Dei, quæ est in te per impositiónem mánuum meárum.

℟. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 360.

Lectio ij. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 8.

TU ergo, fili mi, confortáre in grátia, quæ est in Christo Jesu; & quæ audísti à me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt & álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo, ímplicat se negótiis sæculáribus; ut ei pláceat, cui se probávit. Nam & qui certat in agóne, non coronátur, nisi legítimè certáverit. Laborántem agrícolam opórtet primùm de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico; dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

℟. Obsecro, *pag.* 360.

Lectio iij. v. 22. *ad finem.*

JUvenília autem desidéria fuge; sectáre verò justítiam, fidem, charitátem, & pacem cum iis qui ínvocant Dóminum de corde puro. Stultas autem & sine disciplína quæstiónes devíta; sciens quia génerant lites. Servum autem Dómini non

opórtet litigáre : sed mansuétum esse ad omnes, docibilem, patiéntem, cum modéstia corripiéntem eos qui resístunt veritáti ; nequándo Deus det illis pœniténtiam ad cognoscéndam veritátem, & resipíscant à diáboli láqueis, à quo captívi tenéntur ad ipsíus voluntátem.

℟. Magnificáte, *pag.* 361.

CANON

Ex Concílio Turonénsi secúndo.

An. 567. *Can.* 4.

LAïci secus altáre quo sancta Mystéria celebrántur, inter Clericos tam ad Vigílias quàm ad Missas, stare pénitus non præsúmant: sed pars illa quæ à cancéllis versus altáre divíditur, choris tantùm psallentium páteat Clericórum.

FERIA QUARTA.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

Lectio j. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

HOc scito quòd in novíssimis diébus instábunt témpora periculósa : erunt hómines seípsos amántes, cúpidi, eláti, supérbi, blasphémi, paréntibus non obediéntes, ingráti, sceléfti, sine affectióne, sine pace, criminatóres, incontinéntes, immítes, sine benignitáte, proditóres, protervi, túmidi, & voluptátum amatóres magis quàm Dei ; habéntes spéciem quidem pietátis, virtútem autem ejus abnegántes. Et hos devíta : ex his enim sunt qui pénetrant domos, & captívas ducunt muliérculas onerátas peccátis, quæ ducúntur váriis desidériis; semper discéntes, & numquam ad sciéntiam veritátis perveniéntes.

℟. Pervérsæ, *ex* 3. *Noct. Dom. pag.* 361.

Lectio ij. v. 10. *ad finem.*

TU autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, & Lystris: quales persecutiónes sustínui, & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui piè volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines & seductóres profícient in pejus; errántes, & in errórem mitténtes. Tu verò pérmane in iis quæ didicísti, & crédita sunt tibi, sciens à quo didíceris, & quià ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitùs inspiráta, útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia : ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus.

℟. Nonne, *pag.* 362.

Lectio iij. Cap. 4. v. 1. ad 6.

TEstíficor coram Deo, & Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos & mórtuos, per advéntum ipsíus, & regnum ejus: prædica verbum, insta opportúnè, importúnè: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia & doctrína. Erit enim tempus, cùm sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magistros, pruriéntes áuribus: & à veritáte quidem audítum avértent; ad fábulas autem converténtur. Tu verò vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto.

℟. Habitávi, *pag.* 362.

CANON

Ex Concílio Parisiénsi. *An.* 1528. *in Decret. Mor. Cap.* 25.

IN conversatióne cum Láïcis ita se hábeant Clerici, ut neque ex nímia famiIiaritáte, aut conversatióne æquali reddátur contémptus dignitátis: neque ex nímia austeritáte, fastu, aut pompa, supérbi, aut plus æquo eláti judicéntur.

FERIA QUINTA.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

PAulus servus Dei, Apóstolus autem Jesu Christi secundùm fidem electórum Dei, & agnitiónem veritátis, quæ secúndum pietátē est, in spem vitæ ætérnæ, quam promísit, qui non mentítur, Deus, ante témpora sæculária: manifestávit autem tempóribus suis verbum suum in prædicatióne, quæ crédita est mihi secúndum præcéptum Salvatóris nostri Dei: Tito diléćto fílio secúndùm commúnem fidem; Grátia & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Salvatóre nostro.

℟. Narravérunt, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 359.

Lectio ij. v. 5. *ad* 10.

HUjus rei grátiâ relíqui te Cretæ, ut ea quæ desunt córrigas, & constítuas per civitátes Presbyteros, sicut & ego dispósui tibi. Si quis sine crímine est, uníus uxóris vir, fílios habens fidéles, non in accusatióne luxúriæ, aut non súbditos. Opórtet enim Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem; non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum; sed hospitálem, benígnum, sóbrium, justum, sanćtum, continéntem, ampleċténtem eum, qui secúndùm doctrínam est, fidelem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrina sana, & eos qui contradícunt, argúere.

℟. Laudábis, *pag.* 359.

Lectio iij. v. 10. *ad finem.*

SUnt enim multi étiā inobedientes, vaníloqui, &

seductóres : máximè qui de circumcisióne sunt; quos opórtet redárgui : qui univérsas domos subvértunt, docéntes quæ non opórtet, turpis lucri grátiâ. Dixit quidam ex illis, próprius ipsórum Prophéta : Creténses semper mendáces, malæ béstiæ, ventres pigri. Testimónium hoc verum est. Quam ob causam íncrepa illos durè, ut sani sint in fide, non intendéntes Judaïcis fábulis, & mandátis hóminum aversántium se à veritáte. Omnia munda mundis; coinquinátis autem & infidélibus nihil est mundum, sed inquinátæ sunt eórum & mens, & consciéntia. Confiténtur se nosse Deum, factis autem negant; cùm sint abomináti, & incredíbiles, & ad omne opus bonum réprobi.

℟. Recordátus, pag. 360.

CANON

Ex Concílio Agathénsi.

An. 506. *Can.* 28.

MOnastéria puellárum lóngiùs à monastériis Monachórum & Clericórum, aut propter insídias diáboli, aut propter oblocutiónes hóminum, collocéntur.

FERIA SEXTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Titum.

Lectio j. Cap. 2. *v.* 1. *ad* 9.

TU autem lóquere quæ decent sanam doctrínam; senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia: anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes; ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domûs curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei. Júvenes simíliter hortáre, ut sóbrii sint. In ómnibus teípsum præbe exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, in gravitáte, verbum sanum, irreprehensíbile; ut is, qui ex advérso est, vereátur, nihil habens malum dícere de nobis.

℟. Dómine, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 360.

Lectio ij. Cap. 3. *v.* 1. *ad* 8.

ADmone illos princípibus, & potestátibus súbditos esse, dicto obedíre, ad omne opus bonum parátos esse; néminem blasphemáre, non litigiósos esse, sed modéstos, omnem ostendéntes mansuetúdinem ad omnes hómines. Erámus enim aliquándo & nos insipiéntes, incréduli, errántes, serviéntes desidériis & voluptátibus váriis, in malítia & invídia agéntes, odíbiles, odiéntes ínvicem. Cùm autem benígnitas & humánitas appáruit Salvatóris nostri Dei non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam sal-

vos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis & renovatiónis Spíritûs sancti, quem effúdit in nos abúndè per Jesū Christum Salvatórem nostrū; ut justificáti grátiâ ipsius, hærédes simus secúndū spem vitæ ætérnæ.

℟. Obsecro, *pag.* 360.

Lectio iij. v. 8. ad finem.

FIdélis sermo est; & de his volo te confirmáre: ut curent bonis opéribus præésse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & utília homínibus. Stultas autèm quæstiónes, & genealógias, & contentiónes, & pugnas legis devíta; sunt enim inútiles & vanæ. Hæréticum hóminem post unam & secúndam correptiónem devíta: sciens quia subvérsus est qui ejúsmodi est, & delínquit, cùm sit próprio judício condemnátus. Cùm mísero ad te Artemam, aut Tychicum, festína ad me veníre Nicópolim; ibi enim státui hiemáre. Zenam legisperítum, & Apóllo sollícitè præmítte, ut nihil illis desit. Discant autē & nostri bonis opéribus præésse ad usus necessários, ut non sint infructuósi. Salútant te qui mecum sunt omnes. Salúta eos qui nos amant in fide. Grátia Dei cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Magnificáte, *pag.* 361.

CANON

Ex Concílio Carthaginénsi quarto.

An. 398. *C.* 102.

AD reátum Epíscopi pértinet vel Presbyteri, qui Paróchiæ præest, si sustentándæ vitæ præséntis causâ, adolescentióres víduæ, vel Sanctimoniáles Clericórum familiaritátibus subjiciántur.

SABBATO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Philemónem.

Lectio j. v. 1. ad 7.

PAulus, vinctus Christi Jesu, & Timótheus frater: Philemóni dilécto & adjutóri nostro, & Appiæ soróri charíssimæ, & Archíppo commilitóni nostro, & Ecclésiæ quæ in domo tua est; Grátia vobis, & pax à Deo Patre, & Dómino Jesu Christo. Grátias ago Deo meo, semper memóriam tuî fáciens in oratiónibus meis, áudiens charitátem tuam, & fidem quam habes in Dómino Jesu, & in omnes sanctos; ut communicátio fídei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni, quod est in vobis in Christo Jesu.

Lectio ij. v. 7. ad 15.

GAudium enim magnum hábui, & consolatiónem in charitáte tua; quia víscera sanctórum requievérunt per te, frater. Propter quod multam fidúciam habens in Christo Jesu imperándi tibi quod ad rem pértinet, propter charitátem magis óbsecro, cùm sis talis, ut Paulus senex, nunc autem & vinctus

vinctus Jesu Christi: óbsecro te pro meo filio, quem génui in vínculis, Onésimo, qui tibi aliquándo inútilis fuit, nunc autem & mihi, & tibi útilis, quem remísi tibi. Tu autem illum, ut mea víscera súscipe. Quem ego volúeram mecum detinére, ut pro te mihi ministráret in vínculis Evangélii; sine consílio autem tuo nihil vólui fácere, uti ne velut ex necessitáte bonum tuum esset, sed voluntárium.

Lectio iij. v. 15. ad finem.

FOrsitan enim ídeo discéssit ad horam à te, ut ætérnum illum recíperes; jam non ut servum, sed pro servo charíssimum fratrem, máximè mihi: quantò autem magis tibi, & in carne, & in Dómino? Si ergo habes me sócium, súscipe illum sicut me; si autem áliquid nócuit tibi, aut debet, hoc mihi ímputa. Ego Paulus scripsi meâ manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teípsum mihi debes. Ita, frater. Ego te fruar in Dómino: réfice víscera mea in Dómino. Confidens in obediéntia tua, scripsi tibi: sciens quóniam & super id quod dico, fácies. Simul autem & para mihi hospítium; nam spero per oratiónes vestras donári me vobis. Salútat te Epaphras concaptívus meus in Christo Jesu, Marcus, Aristárchus, Demas, & Lucas, adjutóres mei. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro. Amen.

CANON

Ex Concílio Epaonénsi.

An. 517. *Can.* 38.

MOnastéria Puellárum, nonnisi probátæ vitæ, & ætátis provéctæ viri ad quascúmque eárum necessitátes vel ministratiónes permittántur intráre. Ad faciéndas verò Missas, qui ingressi fúerint, statim exacto ministério, régredi festinábunt. Aliàs autem nec Cléricus, nec Mónachus júvenis ullum ad Puellárum congregatiónem habébit accéssum.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *A.* Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitátis, virga regni tui. *Hebr.* 1. 8.

Oratio ut infrà in Laudibus.

DOMINICA VI.

QUÆ SUPERFUIT POST Epiphaniam.

IN I. NOCTURNO.

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 1. *v.* 1. *ad* 5.

MUltifáriam multísque modis olim Deus loquens patribus in Prophétis: novíssimè, diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit hærédem universórum, per quem fecit & sæcula. Qui cùm sit splendor glóriæ, & figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia ver-

bo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis; tantò mélior Angelis effectus, quantò differéntius præ illis nomen hæreditávit.

℟. Benedíctum nomen glóriæ tuæ, * Sanctum, & laudábile, & superexaltátum in ómnibus sæculis. ℣. Supra omne nomen quod nominátur non solùm in hoc sæculo, sed étiam in futúro. * Sanctum. *Dan.* 3. 52. *Eph.* 1. 21.

Lectio ij. v. 5. *ad* 10.

CUi enim dixit aliquándo Angelórum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursùm: Ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Fílium? Et cùm íterum introdúcit Primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos, spíritus; & ministros suos, flammam ignis. Ad Fílium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem; proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exultatiónis præ particípibus tuis.

℟. Regnum tuum, Dómine, regnum ómnium sæculórum; * Et dominátio tua in omni generatióne & generatiónem. ℣. Domine Deus omnípotens, accepísti virtútem tuam magnam, & regnasti. * Et dominátio. *Ps.* 144. 13. *Apoc.* 11. 17.

Lectio iij. v. 10. *ad finem.*

ET: Tu in princípio, Dómine, terram fundásti, & ópera mánuum tuárum sunt cœli. Ipsi períbunt, tu autem permanébis, & omnes ut vestiméntum veteráscent: & velut amíctum mutábis eos, & mutabúntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. Ad quem autem Angelórum dixit aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Nonne omnes sunt administratórii spíritus, in ministérium missi propter eos, qui hæreditátem cápient salútis?

℟. Tu Dóminus altíssimus super omnem terram: * Nimis exaltátus es super omnes deos. ℣. Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam, & honórem, & virtútem; quia tu creásti ómnia. * Nimis. Glória. * Nimis. *Ps.* 96. 9. *Apoc.* 4. 11.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Athanásii Epíscopi.

Lectio iv. Orat. 1. *contra Arianos, C.* 55. *aliàs Orat.* 2.

SI persónam, rem & tempus verbórum Apóstoli cognovíssent hærétici, non ea quæ ad humánam pértinent natúram transtulíssent in divinitátem, nec eò impietátis insáni devenissent. Id au-

tem is fácilè perspíciet, qui inítium hujus loci rectè intelléxerit. En enim Apóstoli verba: (Multifáriam multísque modis olim Deus locútus pátribus per Prophétas, hisce últimis diébus locútus est nobis in Filio.) Deinde paulò post ait: (Per seípsum purgatióne peccatórũ nostrórum factâ, sedet ad déxteram majestátis in excélsis, tantò præstántior factus Angelis, quantò excellentius præ illis nomen hæreditáte accépit.) Itaque Apóstoli dictum témporis méminit, quo nobis Deus in Filio locútus est, & peccatórum facta est purgátio.

℟. Domináre in médio inimicórum tuórum: * Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Ad quem Angelórum dixit Deus aliquándo: Sede à dextris meis, quoadúsque ponam inimícos tuos scabellum pedum tuórum? * Tecum. *Ps.* 109. 2. 3. *Hebr.* 1. 13.

Lectio v.

DEínde cùm sermo sit de dispensatióne, quæ nostri causâ suscépta est; de últimis tempóribus verba fáciens, conveniénter ádmonet neque prióribus tempóribus Deum tacuísse: siquidem per Prophétas locutus est. Quóniam igitur Prophétæ ministravére, & lex promulgata est per Angelos, deindeque advénit Filius ut ipse ministráret, necessariò hæc verba íntulit: (Tantò præstántior factus Angelis:) ut scilicet osténderet quantùm servo præstet filius, tantò étiam fílii administratiónem, servórum administratióne præstantiórẽ fuísse.

℟. Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, faciéntes verbũ illíus, * Ad audiéndam vocem sermónum ejus. ℣. Vidébitis Angelos Dei ascendéntes, & descendéntes supra Filium hóminis; * Ad audiéndam. *Ps.* 102. 20. *Joan.* 1. 51

Lectio vj.

VEterem ítaque & novam administratiónem distínguens Apóstolus, fidénter hæc ad Judæos scribit: (Tantò præstantior factus Angelis.) Quapropter nullâ hic usus est comparatióne, nec dixit: Major, vel honorátior; ne quis illum ejúsdem & illos esse géneris suspicarétur, sed, Præstántior dixit; ut natúræ Filii, & rerum creatárum differéntiam demonstráret.

℟. Quis símilis erit Deo in fíliis Dei? Deus qui glorificátur in concílio sanctórum, * Magnus & terríbilis † Super omnes qui in circúitu ejus sunt. ℣. Qui est de terra, terra est. Qui de cœlo venit, super omnes est, * Magnus. Glória. † Super omnes. *Ps.* 88. 7. 8. *Joan.* 3. 31.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 13. v. 31.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis parábolā hanc: Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminavit in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Lib. 2. in Matth.

REgnum cœlórum, prædicátio Evangélii est, & notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam, & de qua dícitur ad Judæos: Auferétur à vobis regnum Dei, & dábitur genti faciénti fructus ejus. Símile est ergo hujúsmodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo semináivit in agro suo. Homo qui séminat in agro suo, à plerísque Salvátor intellígitur, quòd in ánimis credéntium séminet: ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetipso, & in corde suo.

℟. Vobis datum est nosse mystéria regni cœlórum: * Vestri beáti óculi, quia vident; & aures vestræ, quia áudiunt: ℣. Beátus qui in istis versátur bonis; qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. * Vestri. *Matth.* 13. 11. 16. *Eccli.* 50. 30.

Lectio viij.

QUis est iste qui séminat, nisi sensus noster, & ánimus; qui suscípiens granum prædicatiónis, & fovens seméntem humóre fidei, facit in agro sui péctoris pulluláre? Prædicátio Evangélii mínima est ómnibus disciplinis. Ad primam quippe doctrínam, fidem non habet veritátis, hóminem Deum, Deum mórtuum, & scándalum crucis prædicans. Confer hujuscémodi doctrínam dogmátibus Philosophórum, & libris eórum, & splendóri eloquéntiæ, & compositióni sermónum; & vidébis quantò minor sit cæteris semínibus seméntis Evangélii.

℟. Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ; quia * Abscondísti hæc à sapiéntibus, & prudéntibus, & revelásti ea párvulis: ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. ℣. Declarátio sermónum tuórum illúminat; & intelléctum dat párvulis. * Abscondísti. *Matth.* 11. 25. 26. *Ps.* 118. 130.

Lectio ix.

SEd illa cùm créverit, nihil mordax, nihil vívidum, nihil vitále demónstrat; sed totum flaccidum, marcidúmque, & mollítum ebúllit in olera, & in herbas, quæ citò aréscunt, & córruunt. Hæc autem prædicátio, quæ parva videbátur in princípio, cùm vel in ánima credéntis, vel in toto mundo sata fúerit, non exúrgit in ólera; sed crescit in arbórem: ita ut vólucres cœli (quas vel ánimas credéntium, vel for-

titúdines Dei servítio mancipátas sentíre debémus,) véniant, & hábitent in ramis ejus. Ramos puto Evangélicæ árboris, quæ de grano sinápis créverit, dógmatum esse diversitátes, in quibus supradictárum vólucrum unaquæque requiéscit.

℟. Quæ seminàverit homo, hæc & metet; quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem; * Qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. ℣. Qui séminat iniquitátem, metet mala. * Qui autem. Glória. * Qui autem. *Gal. 6. 8. Prov. 22. 8.*

Ad Bened. *Ant. t. 3. a.* Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cùm autem créverit, majus est ómnibus oléribus. *Matth. 13. 31. 32.*

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, & dictis exequámur, & factis; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Tulléns ad Saponárias.

An. 859. Can. 2.

EPíscopi secúndùm illórum ministérium, ac sacram auctoritátem, uníti sint, & mútuo consílio atque auxílio reges, regnorúmque primóres, atque pópulum sibi commíssum in Dómino regant, & córrigant.

Ad Magnif. *Ant. t. 8. g.* Jesus sine parábolis non loquebátur turbis; ut impleréter quod dictum erat per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum; eructábo abscóndita à constitutióne mundi. *Matth. 13. 34. 35.*

FERIA SECUNDA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 2. v. 1. ad 5.

PRoptérea abundántiùs opórtet observáre nos ea quæ audívimus, ne fortè pereffluámus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricátio, & inobediéntia accépit justá mercédis retributiónem; quómodo nos effugiémus, si tantam neglexérimus salútem? Quæ cùm inítium accepísset enarrári per Dóminum, ab eis, qui audiérunt, in nos confirmáta est, contestánte Deo signis, & porténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti distributiónibus secúndùm suam voluntátem.

℟. Benedíctum, *ex 1. Noct. Dom. pag. 370.*

Lectio ij. v. 9. ad 14.

EUm autem, qui módicò quàm Angeli, minorá-

tus est, vidémus Jesum propter passiónem mortis glóriâ & honóre coronátum; ut grátiâ Dei pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, & per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat, & qui sanctificántur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis; in médio Ecclésiæ laudábo te. Et íterum: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego, & púeri mei, quos dedit mihi Deus.

℟. Regnum, *pag.* 370.

Lectio iij. v. 14. ad finem.

QUia ergo púeri communicavérunt carni & sánguini, & ipse similiter participávit eísdem; ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est, diábolum; & liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehéndit; sed semen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus similári, ut miséricors fíeret, & fidélis Póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse & tentátus, potens est & eis, qui tentántur, auxiliári.

℟. Tu Dóminus, *pag.* 370.

CANON

Ex Concílio Tulléusi ad Saponárias.

An. 859. *Epist. ad Brit.*

SAncti Dei, qui ante nos Ecclésiam rexérunt, eos qui voluntárium homicídium fécerint, pœniténtiam quámdiu víverent, fácere statuérunt, & ut numquam accíperent sanctam Communiónem, nisi in fine pro Viático, decrevérunt.

FERIA TERTIA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 3. v. 1. ad 7.

UNde, fratres sancti, vocatiónis cœléstis partícipes, consideráte Apóstolum & Pontíficem confessiónis nostræ Jesum: qui fidélis est ei qui fecit illum, sicut & Móyses in omni domo ejus. Amplióris enim glóriæ iste præ Móyse dignus est hábitus, quantò amplióre honórem habet domûs, qui fabricávit illã. Omnis namque domus fabricátur ab áliquo; qui autem ómnia creávit, Deus est. Et Móyses quidem fidélis erat in tota domo ejus tamquam fámulus, in testimónium eórum quæ dicénda erant: Christus verò tamquam fílius in domo sua; quæ domus sumus nos, si fidúciam, & glóriam spei usque ad finem, firmam retineámus.

℟. Domináre, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 371.

Lectio ij. v. 12. ad 17.

VIdéte, fratres, ne fortè sit in áliquo vestrûm cor malum incredulitátis, discedéndi à Deo vivo; sed adhortámini vosmetípsos per síngulos dies, donec Hódie cognominátur; ut non obdurétur quis ex vobis fallácià peccáti. Partícipes enim Christi effécti sumus; si tamen inítium substántiæ ejus usque ad finem, firmum retineámus. Dum dícitur: Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, quemádmodum in illa exacerbatióne. Quidam enim audiéntes exacerbavérunt; sed non univérsi qui profécti sunt ex Ægypto per Móysen.

℟. Benedícite, *pag. 371.*

Lectio iij. Cap. 4. v. 12. ad finem.

VIvus est enim sermo Dei, & éfficax, & penetrabílior omni gládio ancípiti, & pertíngens usque ad divisiónem ánimæ ac spíritûs, compágum quoque, ac medullárum, & discrétor cogitatiónum & intentiónum cordis. Et non est ulla creatúra invisíbilis in conspéctu ejus: ómnia autem nuda & apérta sunt óculis ejus, ad quem nobis sermo. Habéntes ergo Pontíficem magnū, qui penetrávit cœlos, Jesum Fílium Dei, teneámus confessiónem. Non enim habémus Pontíficem, qui non possit cómpati infirmitátibus nostris; tentátum autem per ómnia pro similitúdine absque peccáto. Adeámus ergo cum fidúcia ad thronum grátiæ; ut misericórdiam consequámur, & grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. Quis, *pag. 371.*

C A N O N

Ex Concílio Tulléns apud Tusíacum.

Can. 3.

DE his qui jurant & perjúrant in nómine Dei omnipoténtis mendáciter, (quod genus mali nimis prævaluísse dolémus) & de falsis téstibus quorum execrábilis malítia usquequáque prævaluit, quod à sanctis Pátribus nostris ex eis definítum est servétur; atque duræ & districtæ pœniténtiæ subdántur, quámdiu in crímine manent, forás ab Ecclésia projécti, neque nomen eórum inter fidéles recitátum habeátur.

FERIA QUARTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 6. v. 1. ad 7.

QUaprópter intermitténtes inchoatiónis Christi sermónem, ad perfectióra ferámur, non rursum jaciéntes fundaméntum pœniténtiæ ab opéribus mórtuis, & fidei ad Deum; baptísmatum doctrínæ, impositiónis quoque mánuum, ac resurrectiónis mortuórum, & judícii ætérni. Et hoc faciè-

mus, síquidem permíserit Deus. Imposśíbile est enim eos qui semel sunt illumináti, gustavérunt étiam donum cœléste, & partícipes facti sunt Spíritûs sancti, gustavérunt nihilóminus bonum Dei verbum, virtutésque sæculi ventúri, & prolapsi sunt, rursus renovári ad pœniténtiam, rursum crucifigéntes sibimetípsis Fílium Dei, & osténtui habéntes.

℟. Vobis, ex 3. *Noct. Dom. pag.* 372.

Lectio ij. v. 7. ad 13.

TErra enim sæpè veniéntem super se bibens imbrem, & génerans herbam opportúnam illis à quibus cólitur, áccipit benedictiónem à Deo. Próferens autem spinas ac tríbulos, réproba est & maledícto próxima; cujus consummátio in combustiónem. Confídimus autem de vobis, dilectíssimi, melióra, & vicinióra salúti; tamétsi ita lóquimur. Non enim injústus Deus, ut oblivíscatur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendístis in nómine ipsíus, qui ministrástis sanctis, & ministrátis. Cúpimus autem unumquémque vestrûm eámdem ostentáre sollicitúdinem ad expletiónem spei usque in finem; ut non segnes efficiámini, verùm imitatóres eórum, qui fide & patiéntiâ hæreditábunt promissiónes.

℟. Confitcor, *pag.* 372.

Lectio iij. Cap. 10. *v.* 19. *ad* 26.

HAbéntes ítaque, fratres, fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, & vivéntem per velámen, id est, carnem suam, & sacerdótem magnum super domum Dei: accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda à consciéntiâ malâ, & ablúti corpus aquâ mundâ, teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem: (fidélis enim est qui reprómisit) & considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis, & bonórum óperum; non deseréntes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibúsdam, sed consolántes, & tantò magis, quantò vidéritis appropinquántem diem.

℟. Quæ, *pag.* 373.

CANON

Ex Concílio Tullénsi ad Saponárias.

An. 859. *Epist. ad Brit.*

IN Canónibus divínitùs institútis, sócii excommunicatórũ eorúmdem senténtiâ feriúntur. Proínde monémus sanctam nobísque amábilem fraternitátem vestram, ut vestrâ instántiâ, opitulánte Dei grátiâ, gentem vestram ad olim tráditæ disciplínæ ac totíus Ecclesiásticæ religiónis observántiam invitétis, & unanímiter & constánter absque dilatióne reducátis. Síquidem illis é-

tiam observándum est, ne damnatórum illícitâ societáte, certam senténtiã damnatiónis incúrrant.

FERIA QUINTA.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 10. *v.* 26. *ad* 32.

VOluntáriè enim peccántibus nobis post accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia; terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur; quantò magis putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retribuã. Et íterũ: Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horréndum est incídere in manus Dei vivéntis.

℟. Benedíctum, *ex* 1. *Noct. Dom. pag.* 370.

Lectio ij. v. 32. *ad finem.*

REmemorámini autem prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum: & in áltero quidem oppróbriis & tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem, sócii táliter conversántium effécti. Nam & vinctis compássi estis, & rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem & manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum qui ventúrus est, véniet, & non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit: quòd si subtráxerit se, non placébit ánimæ meæ. Nos autem non sumus subtractiónis fílii in perditiónem, sed fídei in acquisitiónem ánimæ.

℟. Regnum, *pag.* 370.

Lectio iij. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 7.

ESt autem fides sperandárum substántia rerũ, arguméntum non apparéntium. In hac enim testimónium consecúti sunt senes. Fide intellígimus aptáta esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibílibus visibília fíerent. Fide plúrimam hóstiam Abel, quàm Caïn, óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, testimónium perhibénte munéribus ejus Deo; & per illam defúnctus adhuc lóquitur. Fide Henoch translátus est, ne vidéret mortem; & non inveniebátur, quia tránstulit illum Deus: ante

translatiónem enim testimónium hábuit placuísse Deo. Sine fide autem impossíbile est placére Deo. Crédere enim opórtet accedéntem ad Deum quia est, & inquiréntibus se remunerátor fit.

℟. Tu Dóminus, *pag.* 370.

C A N O N

Ex Concílio Moguntíno. *An.* 813. *Can.* 44.

OBlatiónem & pacem in Ecclésia fácere júgiter admoneátur pópulus Christiánus; quia oblatio sibi & suis magnum est remédium animarum; & in ipsa pace vera unanímitas, & concórdia demonstrátur.

FERIA SEXTA.

De Epístola beati Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 12. *v.* 1. *ad* 7.

DEponéntes omne pondus, & circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen: aspiciéntes in auctórem fídei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit crucem, confusióne contémptâ, atque in déxtera sedis Dei sedet. Recogitáte enim eum, qui talem sustínuit à peccatóribus advérsùm semetípsum contradictiónem: ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. Nondum enim usque ad sánguinem restitístis, advérsus peccátum repugnántes: & obliti estis consolatiónis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli neglígere disciplínam Dómini, neque fatigéris dum ab eo argúeris. Quem enim díligit Dóminus, castígat; flagéllat autem omnem fílium quem récipit.

℟. Domináre, *ex* 2. *Noct. Dom. pag.* 371.

Lectio ij v. 7. *ad* 12.

IN disciplína perseveráte. Tamquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non córripit pater? Quòd si extra disciplínam estis, cujus partícipes facti sunt omnes: ergo adúlteri, & non filii estis. Deínde patres quidem carnis nostræ eruditóres habúimus, & reverebámur eos: non multò magis obtemperábimus Patri spirítuum, & vivémus? Et illi quidem in témpore paucórum diérum, secúndùm voluntátem suam erudiébant nos: hic autem ad id quod útile est, in recipiéndo sanctificatiónē ejus. Omnis autem disciplína in præsénti quidem vidétur non esse gáudii, sed mæróris; póstea autem fructum pacatíssimum exercitátis per eam, reddet justítiæ.

℟. Benedícite, *pag.* 371.

Lectio iij. v. 12. *ad* 18.

PRopter quod remíssas manus, & solúta génua erígite, & gressus rectos fácite pédibus vestris; ut non cláudicans quis erret, ma-

gis autem sanetur. Pacem sequímini cum ómnibus, & sanctimóniam, sine qua nemo vidébit Deum: contemplántes ne quis desit grátiæ Dei, ne qua radix amaritúdinis sursum gérminans impédiat, & per illam inquinéntur multi. Ne quis fornicátor aut prophánus, ut Esaü, qui propter unam escam véndidit primitíva sua. Scitóte enim quóniam & póstea cúpiens hæreditáre benedictiónem, reprobátus est: non enim invénit pœniténtiæ locum, quamquam cum lácrymis inquisíisset eam.

℟. Quis, pag. 371.

CANON

Ex Concílio Turonénsi.

An. 1583. *Cap.* I.

SI quis potestáti regis, quæ non est nisi à Deo, contumáci ac infláto spíritu, contra auctoritátem & ratiónem pertinácitet contradícere præsúmpserit, & ejus justis impériis obtemperáre noluerit, anathematizétur.

SABBATO.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos.

Lectio j. Cap. 13. *v.* 1. *ad* 8.

CHáritas fraternitátis máneat in vobis. Et hospitalitátem nolíte oblivísci; per hanc enim latuérunt quidam, Angelis hospítio recéptis. Mementóte vinctórum, tamquam simul vincti; & laborántium, tamquam & ipsi in córpore morántes. Honorábile connúbium in ómnibus, & thorus immaculátus. Fornicatóres enim, & adúlteros judicábit Deus. Sint mores sine avarítia, contént i præséntibus; ipse enim dixit: Non te déseram, neque derelínquam. Ita ut confidénter dicámus: Dóminus mihi adjútor: non timébo quid fáciat mihi homo. Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

Lectio ij. v. 8. *ad.* 15.

JEsus Christus heri, & hódie; ipse & in sæcula. Doctrínis variis, & peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátiâ stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hîc manéntem civitátem; sed futúram inquírimus.

Lectio iij. v. 15. *ad* 22.

PEr ipsum ergo offerámus hóstiam laudis sem-

per Deo, id est, fructum labiorum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, & communiónis nolíte oblivísci; tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpositis vestris, & subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri; ut cum gáudio hoc fáciant, & non geméntes; hoc enim non éxpedit vobis. Oráte pro nobis; confídimus enim, quia bonam consciéntiam habémus, in ómnibus bene voléntes conversári. Ampliùs autem déprecor vos hoc fácere, quo celériùs restítuar vobis. Deus autem pacis, qui edúxit de mórtuis Pastórem magnum ovium, in sánguine testaménti ætérni, Dóminum nostrum Jesum Christum, aptet vos in omni bono, ut faciátis ejus voluntátem: fáciens in vobis quod pláceat coram se per Jesum Christum; cui est glória in sæcula sæculórum. Amen.


CANON

Ex Concílio Tulléns ad Saponárias.

An. 859. *Can.* 13.

PLácuit ómnibus, ut créditur, instínctu divíno, qui ad universále Concílium in vicínia Tulléusium confluxérunt, quóniam calamitátum tædio laborábant; quo invenírent áliquid ubi consolatiónis grátiâ respirárent. Statuérunt ítaque ut pro se ínvicem omnes, dum advíverent, preces hujúsmodi frequentárent: scilicet ut sínguli pro cunctis per síngulas hebdómadas Fériâ quartâ Missam celebrárent. Post vocatiónem autem cujúslibet eórum, supérstites obtíneant, ut pro eis qui decésserint in sédibus septénæ Missæ, totidémque Vigíliæ persolvántur. A Presbyteris autem Monasteriórum, sive Villárum, tres Missæ totidémque Vigíliæ dependántur.





PROPRIUM SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.

DIE XXXI. AUGUSTI.
S. GAUZELINI,
TULLENSIS EPISCOPI.
Dupl. 4. Clas.
Omnia de Comm. unius Pontif.
Oratio. Da Ecclésiæ tuæ, *pag.* xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Adsone auctore coævo, Vindrico, Flodard. Mabill. ex variis Chartis S. Gauzelini, & aliis, &c.

GAuzelínus, nobilíssimis Francórum natálibus ortus, & inter regni próceres óptimè educátus, Drogóni inclyto Leucórum Epíscopo succéssit non minùs amor, quàm sui gregis pastor: quippe qui pietáte & religione conspícuus, litterárum stúdiis adprimè erudítus, clementíssimi cordis benevoléntiâ, vultûs serenitáte, & lenitáte sermónis, ómnium sibi conciliáret ánimos, totus aliúnde in vigíliis, in eleemosynis inténtus, in labóribus insuperábilis. Póntifex ordinátus, hoc primùm in votis hábuit, ut Ecclésiæ suæ sævo Danórum incúrsu vastátæ damna resarcíret, Clerúmque dispérsum collígeret: quo in ópere dum fórtiter elabórat, bona amíssa víndicans, nova acquírens tum per se, tum ex Imperatórum Henríci & Othónis munificéntiâ, viros ínsuper prudéntes ad instituéndum Clerum undecúmque cólligens; urbem & Ecclésiam rebus auxit, sapiéntiâ decorávit. & providénti dispensatióne munívit.

Lectio v.

NEc iis stetit términis créscens in dies Gauzelini zelus: cónscius enim quantùm ad Ecclésiæ splendórem & pietátis increméntum conferret recta Monastcriórum institútio, lapsam dolens véterem in sanctiApri Monastério disciplínam, ascíto sibi Herchembóldo,

quem virum pietáte insígnem, illic Abbátem constítuit, locum hunc in religiónis Ordinem sub arctióri sancti Benedícti régulâ, commísit reparándum. Tum è Luxoviénsi Monastério Adsónem Mónachum doctrinâ célebrem accersívit, qui Episcopáles scholas in dicto sancti Apri Cœnóbio régeret, & Cléricos sacris litteris instituéndos curáret. Alteram quoque útilem Ecclésiæ cóntulit óperam, cùm laxióres saltûs Dervénsis Mónachos, misso eis in Abbátem Alberíco, ad priórem reguláris vitæ normam revocávit. Quin & ad bonórum óperum cúmulum adjécit ut Buxeriénse Cœnóbium à fundaméntis ædificáret, multísque dotátum provéntibus, aléndis destináret Virgínibus, quæ sub sancti Benedícti régula, sanctíssimæ Vírginis perpétuò deservírent obséquiis.

Lectio vj.

Ecclésiam sancti Mansuéti instauráre & vitam illuc monásticam indúcere cogitávit, primásque manus huic admóvit óperi, quod à beáto Gerárdo ipsíus succeſsóre perféctum est. Plúribus intérfuit Concíliis, ac inter cætera Virdunénsi & Mosoménsi, in quibus de Archiepiscopátu Reménsi Hugónem inter & Artáldum litigátum est, & Patrum ómnium judício sedes Artáldo adjudicáta. Tandem post multos in Christi milítia labóres, quadrienáli, quem patientíssimè tulit, languóre probátus, plenus diérum & bonórum óperum, óbiit anno Pontificátûs sui quadragésimo quarto. Delátus à Clero & pópulo, digníssimam, sicut vivens jússerat, in Buxeriénsi Cœnóbio inter choros Vírginum accépit sepultúram: quem sanctus Gerárdus inter cœlites annumerátum divínâ revelatióne cognóvit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 13. 33.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte, & oráte. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. Comm. in Marc. Cap. 13.

PErspícuè osténdit Dóminus, quare díxerit: De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater: quia non expédiat scire Apóstolis; ut péndulæ expectatiónis incérti, semper eum credant esse ventúrum, quem ignórant quando ventúrus sit. Et non dixit: Quia nescímus quâ horâ Dóminus ventúrus sit; sed: Nescítis; præmissóque Patrisfamílias exémplo, cur retíceat consummatiónis diem, mani-

... stius docet, dicens: Vigiláte ergo, nescítis enim quando Dóminus véniat; seró, an médiâ nocte, an galli cantu, an manè: ne cùm vénerit repéntè, invéniat vos dormiéntes.

Lectio viij. post pauca.

QUod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte. Non Apóstoli tantùm, & successóres eórum, rectóres nimírum Ecclésiæ, sed & omnes vigiláre præcípimur. Univérsi jánuas córdium nostrórum, ne hostis antíquus mala suggeréndo irrúmpat, instánter serváre jubémur; ne nos dormiéntes Dóminus véniens invéniat, sédulò sínguli præcavére debémus. Unusquísque enim pro se reddet rationem Deo.

Lectio ix.

VIgilat autem, qui ad aspéctum veri lúminis mentis óculos apértos tenet: vígilat, qui servat operándo quod credit: vígilat, qui à se torpóris & negligéntiæ ténebras repéllit. Hinc étenim Paulus dicit: Evigiláte, justi, & nolíte peccare. Hinc rursus ait: Hora est jam nos de somno súrgere.

Vesperæ de sequenti.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

S. GREGORII MAGNI, PAPÆ ET DOCTORIS Ecclésiæ.

Duplex 3. Clas.

Omnia de Comm. unius Doctor.

Oratio.

DEus coróna Pontíficum & lucérna Doctórum, qui beátum Gregórium Ecclésiæ tuæ providísti Pontíficem & Doctórem: quæsumus, ut ejus nos semper & exémplis erúdias, & documéntis infórmes; Qui vivis & regnas, &c.

Fit Commem. S. Gauzelini, deinde S. Ægidii, Abbatis. Oratio. Omnípotens, *pag.* xl.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita per Gregor. Turon. Bedam, Paulum Diaconum & alios scripta.

GRegórius, ex meritórum excelléntiâ cognómine Magnus, Gordiáni ex Senatório génere, & sanctæ Sylviæ fílius, urbánâ Præfectúrâ functus, patre mórtuo, ex própriis facultátibus sex in Sicília Monastéria, séptimum Romæ sancti Andreæ nómine in suis ædibus ad clivum Scauri extrúxit; ubi sub Valentióne Abbáte Mó-

nachi vitam proféssus, póstea Abbas fuit. Evocatus inde à Pelágio secúndo, Diáconus ordinátur; nec multò post ab eódem Constantinópolim Apocrisiárius míttitur, Sedis Apostólicæ respónsa factúrus. Ibi ne aulæ consuetúdine & curis sæculáribus píetas ejus refrigésceret, Scripturárum meditatióni, & conscribéndis Morálium libris ánimum adhibuit. Eâ in urbe Eutychium Patriárcham, qui contra veram & contrectábilem córporum resurrectiónem scrípserat, ita convícit, ut & Imperátor Eutychii librum in ignem conjécerit; & ipse paulò post Eutychius inter morbi dolóres, instánte morte, pellem manûs suæ contréctans, multis astántibus díxerit: Confíteor quia omnes in hac carne resurgémus.

Lectio v.

Romam revérsus, Pelágio pestilént iâ sublato, ómnium votis Póntifex elígitur, totísque licèt víribus renítens non sine multis lacrymis ordinátur. Fugâ suâ, & nímiâ, ut aiébat, resisténtiâ Joánni Ravennénsi offénso inscrípsit librum illum admirábilem de Cura Pastoráli, imitátus Gregórium Nazianzénum in Oratióne, & Joánnem Chrysóstomum in libris de Sacerdótio. In Epístola Synodica, quam pro more tunc scripsit ad Patriárchas, proféssus est se sicut sancti Evangélii quátuor libros, sic suscípere quátuor Concília, Nicænum nempe, Constantinopolitánum, Ephesínum & Chalcedonénse, quintum quoque páriter venerári; quas illa Concília persónas réspuunt, se respúere; quas venerántur, ampléctí. Vétuit ne ullus in Sicília Subdiáconus fíeret, nisi qui continéntiam servatúrum se pollicerétur. Joánni Patriárchæ Constantinopolitáno fórtiter óbstitit, qui sibi universális Epíscopi nomen arrogábat: qua de re ad Constantinam Augústam ita scripsit: Etsi peccáta Gregórii tanta sunt ut pati tália débeat; Petri tamen peccáta nulla sunt ut veltris tempóribus pati ista mereatur. Imo, inquit Joánnes Diáconus, se primus in princípio Epistolárum suárum Servum servórum Dei humíliter definívit: quod humilitátis documéntum ait hæreditário jure in Ecclésia Romana fuisse conservátum. Cum Imperatóre Mauritio gravíter expostulávit de lege quam túlerat, ne mílites in Monasteriis reciperéntur, Cùm plerique sint, inquit, qui nisi ómnia relíquerint, salvári nullátenus possunt.

Lectio vj.

Divíni Officii órdinem, cantúsque Ecclesiástici méthodum melióri formæ restítuit. Scripsit ad Theodoricum & Theodebertum Reges, ut Synodum in Gál-

liis congregárent, in qua constituerétur, ne ullus pro Ecclesiástico Ordine aliquid umquam daret, aut accíperet, nec quisquam de Laïcis ad Sacerdótium continuò transíret; prohiberentque ne Judæi Christiána mancípia possidérent. Scripsit ad Eulógium Alexandrínum contra Agnoítas. Reccarédo Gothórum in Hispánia Regi, Góthicæ gentis ab Ariana hæresi conversiónem gratulátus est. Donatístas représsit in Africa. Manichæos, in possessiónibus suis in Sicília degéntes, ab erróre revocári curávit. Cénsuit ut Judæi prædicatióne pótius, quàm vi ac necessitáte ad baptísmum compelleréntur. Anglórum gentem, missis in Británniam Augustíno & áliis Mónachis, ad fidem addúxit: unde Anglórum Apóstolus à Beda vocátus est. Admirabília sunt quæ fecit, scripsit, decrévit, præsértim infírmâ semper valetúdine. Non quærébat verbis prosperári, sed móribus; nec honórem esse deputábat, in quo fratres suos honórem suum pérdere cognoscébat. Meus, inquiébat, honor, est honor universális Ecclésiæ; meus honor, est fratrum meórum sólidus vigor. Multis in vita éditis miráculis, ferè sexagenárius óbiit, anno Pontificátûs sui décimo tértio, Christi sexcentésimo quarto.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. v. 13.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur foràs, & conculcétur ab homínibus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 17. in Evang. n. 9. & 10.

DEbémus pensáre contínuò quod à Dómino sanctis Apóstolis dícitur, & per Apóstolos nobis: Vos estis sal terræ. Si ergo sal sumus, condíre mentes fidélium debémus ... Curáre namque Sacerdótem necésse est, quæ síngulis dicat, unumquémque quáliter admóneat: ut quisquis Sacerdóti júngitur, quasi ex salis tactu, ætérnæ vitæ sapóre condiátur. Sal étenim terræ non sumus, si corda audiéntium non condímus. Quod profectò condiméntum ille veráciter próximo impéndit, qui prædicatiónis verbum non súbtrahit. Sed tunc verè recta áliis prædicámus, si dicta rebus osténdimus: si nos ipsi divíno amóre compúngimur, & humánæ vitæ, quæ sine culpa transíre nequáquam potest, quotidiánas lácrymis máculas lavámus.

Lectio viij. n. 14.

NUllum puto, fratres charíssimi, ab áliis majus præjudícium, quàm à Sacerdótibus tólerat Deus, quando eos quos ad aliórum correctiónem pósuit, dare de se exémpla pravitátis cernit: quando ipsi peccámus, qui compéscere peccáta debúimus: nulla animárum lucra quærimus, ad nostra quotídie stúdia vacámus, terréna concupíscimus, humánam glóriam inténtâ mente captámus. * Et quia eo ipso quo cæteris præláti sumus, ad agénda quælibet majórem licéntiam habémus: desuscéptæ benedictiónis ministérium vértimus ad ambitiónis arguméntum: Dei causam relínquimus, ad terréna negótia vacámus: locum sanctitátis accípimus, & terrénis áctibus implicámur. Implétum est in nobis profectò quod scriptum est: Et erit sicut pópulus, sic sacérdos. Sacérdos enim non distat à pópulo, quando nullo mérito vitæ suæ vulgi transcéndit actiónem.

Si Festum hoc transferatur, Lectio præcedens dividitur ad asteriscum, & sic in similibus.

Lectio ix. de S. Ægidio.

Apud Mabil. Annal. Lect. t. 3. P. 433. item Sæc. 3. Bened. Prolegom. & ex aliis, &c.

ÆGídius Athénis natus, adoléscens pátriam propter Christum relíquit, & Massíliam appúlsus, Arelátem ad beátum Cæsárium, audítâ sanctitátis ejus famâ, conténdit. Per biénnium ejus Magistério erudítus, cùm vitæ solitáriæ desidério æstuáret, secretiórem erémũ, primùm ad ripam Wardónis amnis in agro Vectiénsi, cum sancto Veredémio pétiit: mox, cùm illìc quoque frequentióri hóminum concúrsu gravarétur, ad oram Rhódani revérsus, tandem qualem optábat locum in valle Flaviánâ, quâ Paróchia Nemausénsis, ad Arelaténsis fines porrígitur, réperit. Illìc diútiùs solis ferè herbárum radícibus pastus: demum per magnátes quosdam de família regis qui tunc Gothórum tenébat monárchiã, detéctus est; & cæteris detrectátis munéribus, eò tandem addúctus, ut in loco spelúncæ Monastérium extrui paterétur. Hujus Abbas, jubénte rege, factus, iter Romam aggréssus est, cui testimónium perhibéri créditur in Actis Conciliórum, ubi legúntur Romam missi à Cæsário, Abbas Ægídius & Messiánus Notárius, ambo ex ejus discípulis, qui Symmacho Papæ libéllum in grátiam Arelaténsis Ecclésiæ deférrent, ejúsque privilégium ab Aquénsi Epíscopo impugnátum vindicárent. Redux in Septimániam Ægídius, Childebérto Francórum Regi innotuísse, & Parísios ab eódem vocátus

esse tráditur. Ubi in aula aliquámdiu detentus, tandem impetrátâ abeúndi facultáte, in Monastério suo defúnctus est, circa annum quingentésimum quadragésimum séptimum.

In Vesperis Comm. de sequenti.

DIE II.

SS. MARCELLI ET VALERIANI, Martyrum.

Simplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio. Exaúdi, *pag.* xvij.

Prima & secunda Lectio de Script. occurr: fit una ex secund. & tert. & sic in similibus.

Lectio iij.

Apud Ruinart, pag. 73.

MArcéllus & Valeriánus, furénte persecutióne ex urbe Lugdúno fugâ elápsi, mortem quam illic evâserant, paulò post in vicínis úrbibus oppetiérunt; Valeriánus quidem apud Trenórchium óppidũ; Marcéllus verò prope Cabilónem, ubi cíngulo tenus in terra defóssus, tértio post die beátum spíritum exhalávit. Utriúsque méminit Gregórius Turonénsis in libro primo de glória Mártyrum. Témpore autem Gumtrámni Regis, solémnis jam erat sancti Marcélli festívitas, ad quam, teste eódem Gregório, Princeps iste accéssit. Quin & eum Mártyrem véluti præcípuum egni sui Patrónum agnósc-ens Rex piíssimus, ad ejus sepúlchrum Basílicam construi curávit cum Monastério, quod hâctenùs persevérat Cluniacensibus addíctum.

DIE III.

S. MANSUETI, APOSTOLI & primi Epíscopi Tullénsis.

Duplex I. *Clas. Solemne majus.*

AD I. VESPERAS.

Gentis nostræ sedentis in tenebris miserebitur Dominus.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. 1. *irr.* ECce ego, ecce ego ad gentem quæ non invocábat nomen meum: expándi manus meas ad pópulum incrédulum. *Is.* 65. 1. 2.

Ant. 2. 5. *f.* Idóla pénitùs contereréntur: projíciet homo simulácra quæ fécerat sibi ut adoráret. *Is.* 2. 18. 20.

Ant. 3. 6. *F.* Audient in die illa surdi verba libri; & de ténebris & calígine óculi cæcórum vidébunt. *Is.* 29. 18.

Ant. 4. 8. *c.* Inclinábitur homo ad Factórem suum, & óculi ejus ad Sanctum Israel respícient. *Is.* 17. 7.

Ant. 5. 3. *A.* Redémptor Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocábitur. *Is.* 54. 5.

Capitulum. Is. 62. 10. 12.

ELeváte signum ad pópulos. Et vocabunt eos, Pópulus sanctus, redémpti à Dómino. Tu autem vocáberis: Quæsíta cívitas, & non derelícta.

℟. Pópulus, quem ignóro, sérviet mihi: * Filii aliéni audítu auris obédient mihi. ℣. Et erit: In loco, ubi dictum est eis: Non plebs mea vos; ibi vocabúntur filii Dei vivi. * Filii aliéni. Glória. * Filii. 2. *Reg.* 22. 44. 45. *Rom.* 9. 26.

HYMNUS.

Nostræ concínimus Gentis Apóstolum,
Per quem rellígio trádita pátribus,
Errorísque jugo líbera cívitas
Fructus prótulit úberes.
Ad nos, sponte suis finibus éxulans,
Missus Sede Petri, prótinùs ádvolat:
Merces est óperis, si pia cónsecret
Vero pectora Númini.
Ut Mansuétus adest, mox nova lux micat
Obscúrâ pópulis nocte jacéntibus,
Quos flecti fáciles léniter íncrepans
Ritus dédocet ímpios.
Quid frustrà cólitis numen inútile,
Quod sculpsit váriis íctibus ártifex?
Sensus nullus inest, & frágiles manus
Fulmen fútile sústinent.
Surgit sancta fides, fit nova civitas;
Et mutáta deos, fánaque díruit;
Sacris bárbara gens, jam dócilis Deo,
Christum fóntibus índuit.
Hinc quàm multa venit Christíadum seges!
Hi quos quotídie, Pastor Apóstolus
Fœcúndo fidei gérmine párturis,
Hi sunt tot tibi filii.
Sit laus summa Patri, summaque Filio;
Sit qui corda moves, laus tibi, Spíritus;
Da vox sancta tui, gestaque Præsulis
Natos ad bona próvocent.
Amen.

℣. Pópulus qui creábitur laudábit Dóminum: ℟. Quia prospéxit de excélso sancto suo. *Ps.* 101. 19. 20.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Occupábit salus muros tuos, & portas tuas laudátio: quia erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam. *Is.* 60. 18. 20.

Oratio ut infra in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum, qui de ténebris nos vocávit in admirábile lumen suum, * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 2. 9.

IN I. NOCTURNO.

Ad gentis nostræ illuminationem mittitur Mansuetus.

Ant. t. 1. *d.* Factum est verbum Dómini ad eum, dicens. Vade in civitátem, & prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. *Jonæ* 3. 1. 2.

In Psalm. 1. Beátus vir qui non ábiit, *pag.* 3.

Ant. t. 2. *D.* Fide obedí-

vit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem. *Hebr.* 11. 8.

In Psalm. 14. Dómine, quis habitábit, *pag.* 135.

Ant. 1. 3. *a.* Surréxit, & ábiit juxta verbum Dómini, & cœpit introíre in civitátem. *Jonæ* 3. 3. 4.

In Psal. 25. Júdica me, Dómine, *pag.* 94.

℣. Lingua ejus loquétur judícium; ℟. Lex Dei ejus in corde ipsíus. *Psal.* 36. 30. 31.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. C. 1. v. 2. ad med. 7.

GRatias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestrî faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, & labóris, & charitátis, & sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum & Patrem nostrum: sciéntes, fratres, dilécti à Deo, electiónem vestram; quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm, sed & in virtúte, & in Spíritu sancto, & in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostrî facti estis, & Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritûs sancti: ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℟. Exúrge; in Gentes nunc ego mitto te, aperíre óculos eórum, * Ut convertántur à ténebris ad lucem, & de potestáte sátanæ ad Deum. ℣. Scient quia ego sum Dóminus Deus eórum: dabo eis cor, & intélligent; aures, & áudient; * Ut convertántur. *Act.* 26. 16. 17. 18. *Baruc.* 2. 31.

Lectio ij. Cap. 1. v. 8. ad fin. & Cap. 2. v. 1.

IN omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est; ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitũ habuérimus ad vos; & quómodo convérsi estis ad Deum à simuláchris, servíre Deo vivo & vero, & expectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab irâ ventúrâ. Nam ipsi scitis, fratres, introítum nostrum ad vos, quia non inánis fuit.

℟. Noli timére, sed lóquere, & ne táceas; propter quod ego sum tecum; * Quóniam pópulus est mihi multus in hac civitáte. ℣. Verbum meum non revertétur ad me vácuum; sed fáciet quæcúmque vólui, & prosperábitur. * Quóniam. *Act.* 18. 9. 10. *Is.* 55. 11.

Lectio iij. v. 2. ad 9.

FIdúciam habúimus in Deo, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim

nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo; sed sicut probáti sumus à Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ; Deus testis est: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque à vobis, neque ab áliis. Cùm possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrûm, tamquã sinu trix fóveat filios suos. Ita desiderántes vos, cúpidè volebámus trádere vobis non solùm Evangéliũ Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam charíssimi nobis facti estis.

℟. Incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololatríæ déditam civitátem; * Disputábat ígitur in foro per omnes dies, ad eos qui áderant. ℣. Surréxit quasi ignis, & verbum ipsíus quasi fácula ardébat. * Disputábat. Glória. * Disputábat. *Act.* 17. 16. 17. *Eccli.* 48. 1.

IN II. NOCTURNO.

Ex Mansueti prædicatione & miraculis gentis nostræ conversio.

Ant. 1. 3. *a.* Locútus est ómnia verba quæ díxerat Dóminus; & fecit signa coram pópulo, & crédidit pópulus. *Exod.* 4. 30. 31.

In Psalm. 33. Benedícam Dóminum in omni, *pag.* 80.

Ant. 1. 4. *E.* Deseréntes cæremónias patrum suórum quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt. *Judith.* 5. 8. 9.

In Psalm. 42. Júdica me, Deus, & discérne, *pag.* 76.

Ant. 1. 5. *a.* Dóminus vóluit ut sanctificáret pópulum suum, & magnificáret legem, & extólleret. *Is.* 42. 21.

In Psalm. 46. Omnes gentes, pláudite, *pag.* 35.

℣. Vidérunt pópuli glóriam ejus: ℟. Confundántur omnes qui adórant sculptília. *Ps.* 96. 6. 7.

Lectio iv.

Ex Histor. Adsonis, ex Charta S. Gerardi an. 471. ex Ottonis Diplom. an. 965.

BEátum Mansuétum ad Leucórum pópulos à Sede Apostólica missum, primum fuisse Gentis nostræ Apóstolum, primum Ecclésiæ nostræ Doctórem, primum Tullénsis sedis Epíscopum, ex constánti & indubitátâ traditióne compértum est. Huic porrò traditióni suffragántur unanímiter antiquióra, quæ nobis supérsunt, vel históriæ monuménta, vel Episcopórum nostrórum Chartæ, vel Imperatórum Diplómata: ex quibus certâ voce Mansuétus conclamátur is fuisse, qui Leucórum appéllens oris, ópere potens, & ser-

mone, verbi divini prædicatiónem signis obtéstans & virtútibus, perversíssimos immutávit rerum status, vana deórum simulachra sústulit, superstitiónes nefárias, & execrábiles ritus discússit, struxit Deo altária, templa dedicávit; obtrúsit impietáti religiónem, erróri fidem; olim agréstes hóminum sensus mitigávit, áspera dedolávit ingénia, sensímque ab illa morum aspedo ad Christiánæ religiónis mansuetúdinem decúsque pelléxit.

℟. Populus qui ambulábat in ténebris vidit lucem magnam: * Habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. ℣. Hic suádens avértit multam turbam, dicens: Quóniam non sunt dii, qui mánibus fiunt. * Habitántibus. *Is.* 9. 2. *Act.* 19. 26.

Lectio v.

Ex Lib. 2. Histor. S. Mansuet.

QUantùm óperi Christi allaboráverit Mansuétus, quot ánimas ab erróribus & flagitiórum cæno expedíverit, quot cœlo fílios præmíserit, quot genúerit pósthumos, vel ex iis solis conjícere licet longe latèque diffusis Ecclésiæ nostræ fínibus. Cùm charíssimi gregis parva cunábula, magnâ incrementorum accessione locupletásset, multis méritis dives, morte placidâ defúnctus est, plenus diérum, & in Oratório quod ipse sub invocatióne sancti Petri Apostolórum Príncipis dedicásse tráditur, ad urbis subúrbium ipsíus nómine subinde vocatum, sepultúram accépit. In tantum autem increbúerat virtútum ipsíus fama, & sanctitátis opinio, ut vix è vivis excésserat, cùm ei populórũ suffrágiis Sanctórum honóres deláti sunt: cui quidem religiósæ veneratióni própalam suffragátus est Deus multis illis, quæ ad ipsíus túmulum patráta sunt, miráculis: ex quibus præcípua, quæ suo témpore fiébant, postulántibus sanctíssimis Præsúlibus nostris Gauzelíno & Gerárdo, conscrípsit Adso Monastérii sancti Apri Mónachus, & Episcopálium Scholárum Præféctus, tantò majóri fide dignus, quò certióra vel ex visu próprio, vel ex suprà dictórum sanctórum Præsulum testimónio scríbere se proféssus est.

℟. Intendébant turbæ his quæ dicebantur, videntes signa quæ faciébat: * Cùm verò credidíssent Evangelizanti, baptizabántur viri ac mulieres. ℣. Vidérunt manum magnam quam exercúerat Dominus; timuítque pópulus, & credidérunt Dómino. * Cum verò credidíssent Evangelizanti, baptizabántur, &c. *Act.* 8. 6. 12. *Exod.* 14. 31.

Lectio vj.

Ex Charta S. Gerardi. an. 982. & ex Vindrico in vita ejusd. S. Gerardi.

NEc dúbium quàm devótâ mente beáti Patris memóriam recoluérit sanctus Gerárdus, multa ipsíus patrocínio debére se sæpiùs testátus. Hic enim, ut primùm ad urbis nostræ mœnia accéssit confirmátus Antístes, in beáti Mansuéti Oratórium divértens, ibi cum lácrymis se totum & plebem suscéptam ejus méritis contrádidit ac devóvit; cùmque ipsíus intervéntu, ut ait, suæ Diœcésis status intrà & extrà prosperári cœpísset, ut promissiónis se voto absolveret, sancti Mansuéti Ecclésiam renováre, fratrúmque ibi beáto Patri famulántium necessitáti prædia conférre decrévit; nec sine fructu: quippe qui piæ suæ devotiónis remuneratum se & gregem persénserit; sive cùm, per arva torrénti siccitáte aréntia deláto beáti viri córpore, utpote nímiis æstibus misericórditer oppósito, in nubes mox cœlum cœpit denséscere, & largis ímbribus hiántes irrigáre terras; sive cùm grassántis úndique pestis, urbésque & vicos depopulántis contágia, delátis ipsíus Relíquiis, ita compréssa sunt, ut cognósceret omnis pópulus in die iræ Dómini ex advérso stare sanctum Mansuétum óvium suárum Adjutórem præstantíssimum: máximè verò cùm ipse Gerárdus longâ tabéscens infirmitáte, ac propè in extrémis agens, sancti Patris, cui se totum commíserat, interventióne, redeúntis sanitátis virtútem recepísse se cognóvit: quod usque hódie, inquit Adso, non sine suspíriis reférre sólitus est pius Póntifex; quanto scílicet fúerit incómmodo depréssus, & quàm poténti intervéntu sancti Mansuéti exstíterit cœlesti medicínâ salvátus. Tértio Nonas Septémbris, primi Epíscopi nostri memóriam laudant sanctus Ado, & Martyrológium Románum.

℟. Cùm sumpsísset cor ejus audáciam propter vias Dómini, étiam excelsa & lucos ábstulit: * Et † Misit de suis ut docérent in civitátibus. ℣. Magnificabátur nomen Dómini Jesu; & fórtiter crescébat verbum Dei, & confirmabátur. * Et misit. Glória. † Misit. 2. *Par.* 17. 6. 7. *Act.* 19. 17. 20.

IN III. NOCTURNO.

Summa in nos Apostoli nostri charitas.

Ant. t. 6. f. Scitis introítum nostrum ad vos, quia non inánis fuit: mémores enim estis labóris nostri. 1. *Thess.* 2. 1. 9.

In Psalm. 63. Exaudi, Deus, oratiónem meam cùm déprecor. *pag.* 77.

Ant. t. 7. a. Desiderántes

vos, cúpidè volebámus trádere vobis, non solùm Evangélium, sed étiam ánimas nostras; quóniam charíssimi nobis facti estis 1. Th. 2. 8.

In Psalm. 96. Dóminus regnávit, exúltet, *pag.* 33.

Ant. t. 8. *c.* Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantùm; sed & in virtúte, & in Spíritu sancto, & in plenitúdine multa. 1. *Thes.* 1. 5.

In Psal. 97. Cantáte Dómino... quia mirabília. *pag.* 83.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum; ℟. Facti sumus lætántes. *Ps.* 125. 3.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 16. *v.* 15.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 7. *in Epist.* 1. *ad Cor. n.* 6.

APóstoli ea quæ prædicárunt numquam prædicatúri fuíssent, nisi divínâ movénte grátiâ. Eam rem excutiámus, ostendamúsque non potuísse eos id suscípere vel cogitáre, nisi Christum secum habuíssent; non quia imbecílli advérsùs fortes; non quia pauci contra multos; non quia páuperes contra dívites; non quia indócti contra sapiéntes áciem instruébant; sed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines valídius esse véteris consuetúdinis tyránnide; máximè cùm de cultu religiónis & de Dei glória ágitur.

℟. In virtúte signórum & prodigiórum, in virtúte Spíritûs sancti * Prædicávi Evangélium, non ubi nominátus est Christus; sed quibus non est annuntiátum. ℣. Dómine Deus Israel, in signis, & in prodígiis, & in virtúte tua magna, * Prædicávi. *Rom.* 15. 19. 20. 21. *Baruc.* 2. 11.

Lectio viij. n. 7. & 8.

ALiud erat majus impediméntum, quod non modò consuetúdo tam antíqua mutarétur; sed étiam quòd mutátio illa cum perículo fíeret... Credéntem statim accidébat publicári, pelli, à pátria excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hostem esse & suis & aliénis... Ad consuetúdinem & ad perícula id addas, quòd hæc præcépta onerosióra essent, & ea à quibus abducébant, lévia & facília. Nam à fornicatióne ad castitátem vocábant, ab amóre vitæ ad mortem, ab ebrietáte ad jejúnium, à risu ad lácrymas & compunctiónem, ab avarítia ad paupertátem... Quid ergo illos inducébat? Annon virtus ejus qui prædicabátur, ut palam est?

℟. Debémus grátias ágere Deo semper pro vobis, quòd elegerit vos primítias in salútem, in fide veritátis, in qua * Vocávit vos per Evangélium nostrum, in acquisitiónem glóriæ Dómini nostri Jesu Christi. ℣. Vobis junctus est Dominus, & elégit vos, quia diléxit vos. * Vocávit. 2. *Thess.* 2. 12. 13. *Deuter.* 7. 7. 8.

Lectio ix. n. 9.

MAgnum est miráculum, quod bárbaris homínibus persuaserint, ut talem fidem susciperent, & bonam de futúris spem habérent, ac depositâ priórum peccatórum sarcinâ, cum magna ánimi alacritáte, deínde pro virtúte labóres susciperent; ómnibus corpóreis rebus superióres effecti, spirituália acciperent dona.

℟. State, & tenéte traditiónes quas didicístis: * Ipse autem qui dedit spem bonam in grátia, corda vestra confírmet in omni ópere bono. ℣. Judícium Patris audíte, fílii, & sic fácite ut salvi sitis: Deus enim honorávit patrem in fíliis. * Ipse. Glória. * Ipse. 2. *Thess.* 2. 14. 15. 16. *Eccli.* 3. 2. 3.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ad filios suos Patris nostri monita.

℣. *Sacerdos.* Deus meus, annuntiávi justítiam tuam, ℟. In Ecclésia magna. *Ps.* 39. 10.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. *G.* 3. *E.* GRátia data est mihi in vobis: Evangélii factus sum miníster secúndum operatiónem virtútis Dei. *Ephes.* 3. 2. 7.

Ant. 2. 5. *f.* Nonne opus meum vos estis in Dómino? & si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum, nam signáculum Apostolátûs mei vos estis. 1. *Cor.* 9. 1. 2.

Ant. 3. 6. *F.* Excipiéntes verbum cum gáudio Spiritûs sancti, convérsi estis ad Deum à simuláchris, servíre Deo vivo & vero. 1. *Thess.* 1. 6. 9.

Ant. 4. 8. *c.* Quæ est nostra spes.

CANTICUM

Is. 52. *v.* 7. *ad* 11.

QUam pulchri super montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem; * annuntiántis bonum!

Prædicántis salútem, dicéntis Sion: * Regnábit Deus tuus!

Vox speculatórum tuórum: * levavérunt vocem, simul laudábunt:

Quia óculo ad óculum vidébunt, * cùm convérterit Dóminus Sion.

Gaudéte, & laudáte simul, desérta Jerúsalem; * quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem.

Parávit Dóminus bráchium sanctum suum * in óculis ómnium Géntium.

Et vidébunt omnes fines

terræ, * salutáre Dei nostri. Glória Patri.

Et dicitur quando fit de Octava.

Ant. Quæ est nostra spes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum? vos enim estis glória nostra & gáudium. 1. *Th.* 2. 19. 20.

Ant. t. 2. d. In Christo Jesu per Evangélium ego vos génui: rogo ergo vos, imitatóres mei estóte. 1. *Cor.* 4. 15. 16.

Capitulum. 1. *Thess.* 4. 1.

FRatres, Rogámus vos & obsecrámus in Dño Jesu, ut quemádmodum accepístis à nobis quómodo opórteat vos ambuláre, & placére Deo, sic & ambulétis, ut abundétis magis.

℣. Annuntiávi, & locútus sum: ℟. Multiplicáti sunt super númerum. *Ps.* 39. 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *D.* Hoc oro ut cháritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, & in omni sensu; ut probétis potióra, ut sitis sincéri, & sine offénsa in diem Christi. *Philip.* 1. 9. 10.

Oratio.

DEus, qui beáti Mansuéti prædicatióne de incredulitátis ténebris nos vocásti in admirábile Evangélii lumen; fac ut ejus intercessióne crescámus in grátia & cognitióne Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui; Qui tecum vivit, &c.

Ad Horas *in fine Hymnorum Doxologia.*

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

Hymni & Psalmi de Dominicâ: Antiph. de Laud.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 10. 14. 15.

USque ad vos pervénimus in Evangélio Christi, non gloriántes in aliénis labóribus; spem autem habéntes crescéntis fídei vestræ in vobis magnificári.

℟. Scitis quáliter unumquémque vestrûm (sicut pater fílios suos) deprecántes vos & consolántes testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, * Qui † Vocávit vos in suum regnum & glóriam. ℣. Oculi vestri vidérunt ómnia ópera Dómini magna quæ fecit, ut custodiátis univérsa mandáta illíus. * Qui vocávit. Glória. † Vocávit. 1. *Thess.* 2. 11. 12. *Deuter.* 11. 7. 8.

℣. Servíte Dómino in lætítia: ℟. Introíte in conspéctu ejus, in exultatióne, allelúia. *Ps.* 99. 2.

Per Octavam ℟. *br.* Veníte, fílii, audíte me, * Allelúia, allelúia. Veníte. ℣. Timórem Dómini docébo vos. * Allelúia, allelúia. Glória. Veníte. *Ps.* 33. 12.

℣. Os meum loquétur sa-

piéntiam; ℟. Et meditátio cordis mei prudéntiam, allelúia. *Ps.* 48. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 12. 2.

SCitis quóniam cùm gentes essétis, ad simulachra muta prout ducebámini eúntes.

℟. *br.* Patres nostri annuntiavérunt nobis, * Allelúia, allelúia. Patres. ℣. Opus quod operátus es in diébus antíquis. * Allelúia, allelúia. Glória. Patres. *Ps.* 43. 2.

℣. Beáta gens cujus est Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elegit in hæreditátem sibi, allelúia. *Ps.* 32. 12.

AD NONAM.

Capitulum. *Philipp.* 4. 1.

FRatres mei charíssimi & desideratíssimi, gáudium meum, & coróna mea: sic state in Dómino.

℟. *br.* Confírma hoc Deus, * Allelúia, allelúia. Confírma. ℣. Quod operátus es in nobis. * Allelúia, allelúia. Glória. Confírma. *Ps.* 67. 29.

℣. Deus Israel ipse dabit virtútem, ℟. Et fortitúdinem plebi suæ, allelúia. *Ps.* 67. 36.

AD II. VESPERAS.

Patris nostri laus & gloria.

Psalmi de Dominica, & loco ultimi dicitur, Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 91.

Ant. 1. 5. *F.* HIc est qui fuit in Ecclésia, qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. 2. 6. *F.* Ipse est diréctus divínitùs in pœniténtiam gentis, & tulit abominatiónes impietátis. *Eccli.* 49. 3.

Ant. 3. 3. *E.* Edóctus viam Dómini, & fervens spíritu loquebátur, & docébat diligénter ea quæ sunt Jesu. *Act.* 18. 25.

Ant. 4. 8. *c.* Máximus in salúte electórum Dei, quam glóriam adéptus est! *Eccli.* 46. 2. 3.

Ant. 5. 2. *d.* Testimónium consecútus est esse justus; & defúnctus adhuc lóquitur. *Heb.* 11. 4.

Capitulum. *Hebr.* 13. 7.

MEmentóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

HYMNUS.

CHriste, qui mundi réparas salútem,
Mitte quem nosti fídei minístrum:
Usquequò mortis sedet urbs sepúlta
Nostra sub umbris?

Poscit ardéntes ager ille curas:
Non tulit tellus inaráta fructus;
Quæ dabit lætam ségetem fidéli
Culta labóre.

En Deo plenus, fidéique Præsul

Advolat; signum crucis inferéndo,
Ficta disturbat simuláchra, veri
Núminis ultor.
Quàque Leucánis tonat ore Christum:
Signa nec verbis manifésta desunt:
Bárbaras gentes docet, & salúbri
Abluit undâ.
Séduli Pastor pátiens labóris,
Fit sui Doctor gregis atque forma:
Quas Pater sanxit, sóbolem pudéret
Sólvere leges.
Prisca nostrórum píetas avórum
Fluxit ex illo; máneat supérstes,
Fracta nec longo minuéntis ævi
Cóncidat usu.
Summa laus Patri, Genitóque summa:
Laus tibi compar, utriúsque Nexus:
Fac tuis vivat, Deus, in minístris
Prístina virtus. Amen.

℣. Magna est glória ejus,
℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20. 6.

Ad Magnif. *Ant. t. 6 e f.* Hic est fratrum amátor & pópuli Israel: hic est qui multùm orat pro pópulo, & univérsa civitáte. 2. *Mach.* 15. 14.

Oratio ut suprà ad Laudes.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
S. MANSUETI.

Ad Officium Nocturnum, *Invitat. ut in die: novem Psalmi de Feria, Antiphonæ,* ℟. ℟. ℟. *&* ℣. *ex uno Nocturno Festi juxta Rubricam: Lectiones ut notantur in qualibet die.* Te Deum *dicitur.*

Ad Laudes, *Prima Antiphona de Laud. Festi, Psalmi de Feria; reliqua ut in die.*

Ad horas br. *Antiphonæ de Laud. quartâ omissâ, Psalmi de Feria; cætera ut in Festo.*

Ad Vesperas, *prima Antiph. de Vesperis Festi, Psalmi de Feria, reliqua ut in Festo ad 2. Vesp.*

DIE IV.
DE OCTAVA
S. MANSUETI.
Semiduplex.

Prima & secunda Lectio de Script. occurr.

Lectio iij.

Ex enarratióne sancti Augustíni Epíscopi super Psalmos.

In Psal. 96. n. 2.

Coepit fervére per Judæam Ecclésia Christi, ubi ferbúerat oppróbrium Christi. Sed quia díxerat ipse: Hábeo álias oves quæ non sunt de hoc ovíli; opórtet me & eas addúcere, ut sit unus grex & unus pastor; étiam ad gentes, ad quas Prophétæ missi non erant, Apóstoli missi sunt. Quæsíti sunt qui non quæsíerant; in-

vénti sunt qui nihil expectábant : quem non tenébant Deum pollicitatórem, invenérunt Redemptórem. Jam enim Judæi tenébant Deum pollicitatórem, quia ibi Prophétæ Christum prædicáverant; ibi Christum promíserant: sed quem promíssum audíerant, præséntem non agnóverant. Illis autem promíssum nihil erat : sed tamen in Prophétis étiam de fide ipsórum dictum erat. Non dictum erat ipsis, sed dictum erat de ipsis. Missum est & ad illos, & audístis ex dispensatióne Dei.

DIE V.

DE OCTAVA S. MANSUETI.

Semiduplex.

Prima & secunda Lectio de Script. occurr.

Lectio iij.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 233. aliàs Serm. 86. de div. n. 1.

AUdístis quid Christus díxerit discípulis suis post resurrectiónem. Misit eos ad Evangélium prædicándum, & factum est : prædicátum est Evangélium, pervénit ad nos. Et ecce, In omnem terram éxiit sonus eórum, & in fines orbis terræ verba eórum. Ambulándo & ambulándo, Evangélium pervénit ad nos, & ad fines terræ. Bréviter constítuit nobis, loquens discípulis suis, quid faciámus, quid sperémus. Ait enim, sicut audístis quando loquebátur : Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit. Exígitur à nobis fides, offértur salus. Qui credíderit, & baptizátus fúerit, salvus erit. Pretiósum est quod nobis promíttitur, gratis fit quod jubétur.

DIE VI.

DE OCTAVA S. MANSUETI.

Semiduplex.

Prima & secunda Lectio de Script. occurr.

Lectio iij.

De Expositióne sancti Ambrosii Epíscopi in Psalmum centésimum décimum octávum.

Serm. 22. n. 41.

EXultávit spíritus in Prophéta, dicens : Vinea facta est Salomóni : dedit Dóminus víneam suam iis qui servant. Clamat ergo spíritus : Plantáta est congregátio populórum, & vitis ætérnæ fundáta radíce, & spirituália sub jugum verbi corde mansuéto colla subjécit. Plantáta autem est in multitúdine natiónum : data est vínea novis fidelibúsque cultóribus, qui non solum fácere fructum possent, sed étiam custodíre. Una ígitur ovis errávit : sed revocáta, totíus spátia orbis implévit. Unam ovem error abduxerat : sed multitúdinem populórum Dómini grátia congregávit.

Die vii.

De Octava Sancti Mansueti.

Semiduplex.

Prima & secunda Lectio de Script. occurr.

Lectio iij.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi, de Civitáte Dei.

Lib. 18. Cap. 50.

Primùm se ab Jerúsalem diffúdit Ecclésia, & cùm in Judæa & Samaría plúrimi credidíssent, & in álias gentes itum est, eis annuntiántibus Evangélium, quos Christus sicut luminária & aptáverat verbo, & accénderat Spíritu sancto. Díxerat enim eis: Nolíte timére eos qui corpus occídunt, ánimam autem non possunt occídere. Qui ut frígidi timóre non essent, igne charitátis ardébant. Denique per ipsos, non solùm qui eum & ante passiónem & post resurrectiónem víderant & audíerant, verùm étiam post óbitum eórum per pósteros eórum, inter horréndas persecutiónes, prædicátum est toto orbe Evangélium, contestánte Deo signis, & osténtis, & váriis virtútibus, & Spíritûs sancti munéribus.

Vesperæ de sequenti sine Commem.

Die viii.

In Festo Nativitatis B. M. V.

Duplex 1. Class. Solemne majus.

Ad I. Vesperas.

De Maria Virgine vaticinia. Psalmi de Feria.

Ant. t. 8. c. Lauda, stérilis, quæ non paris; decánta laudem, quæ non pariébas; quia non confundéris. *Is.* 54. 1. 4.

Ant. t. 7. C. Oriétur stella ex Jacob, & consúrget virga de Israel. *Num.* 24. 17.

Ant. t. 1. d. Egrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet. *Is.* 11. 1.

Ant. t. 2. d. Partúriens páriet, & relíquiæ fratrum ejus converténtur ad fílios Israel. *Mich.* 5. 3.

Ant. t. 4. e. In diébus illis salvábitur Juda, & Israel habitábit confidénter. *Jerem.* 23. 6.

Capitulum. Jerem. 23. 5.

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus: & suscitábo David germen justum: regnábit Rex, & sápiens erit: & fáciet judícium & justítiam in terra.

℟. Nunc, Dómine, sermo quem locútus es David & super domum ejus confirmétur in perpétuum, * Fac sicut locútus es, & † Magnificétur nomen tuum in sempitérnum. ℣. Ut pollicitatiónem Spíritûs accipiámus. * Fac. Glória. † Magnificétur. 1. *Par.* 17. 23. 24. *Gal.* 3. 14.

HYMNUS.

Debitam morti sóbolem crearat
Eva peccátrix: nova destinatur,
Quæ sacro partu scelus atque mortem
Déstruat, Eva.

Victa serpéntis fuit illa fraude;
Intimis virus récipit medúllis:
Vulnus hæc sanat, tumidíque colla
Cónterit anguis.

Quò dolus cessit? dómitâ paréntè,
Totíus sperat sóbolis ruínam:
Omnibus reddet sóboles paréntis
Una salutem.

Sic lucro cedunt, Dómino volénte,
Damna, dum gratâ vice per Maríam
Delet antíquam nova vita mortem,
Grátia culpam.

Díceris mater quoque nostra, Virgo;
Te proba nostram, pia Virgo, matrem,
Et tuis insta précibus sevérum
Fléctere Numen.

Laus sit ætérnæ suæ Trinitáti,
Quæ laborántem miseráta mundum,
Próximos Christi, præeúnte matre,
Núntiat ortus. Amen.

℟. Jurávit Dóminus David veritátem, & non frustrábitur eum. ℣. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Ps.* 131. 11.

Ad Magnif. t. 1. *D.* Reple glóriâ pópulum tuum, Dómine; & súscita prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres. *Eccli.* 36. 16. 17.

Oratio ut infrà.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Deum cui præparátur habitátio, * Veníte, adorémus. 1. *Paral.* 29. 1.

Psal. ex parvo Offic. B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Quæ nascitur ipsa est in qua adimplendæ sunt promissiones.

Ant. t. 1. *d.* Ipsa est múlier quam præparávit Dóminus filio Dómini mei. *Gen.* 24. 44.

Ant. t. 2. *d.* Opus grande est: neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo. 1. *Paral.* 29. 1.

Ant. t. 3. *a.* Hæc est domus Dei: talis esse debet, ut in cunctis regiónibus nominétur. 1. *Paral.* 22. 1. 5.

℣. Elégit Dóminus eam: ℟. Elegit eam in habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

De Isaia Prophéta.

Lectio j. Cap. 11. *v.* 1. *ad* 6.

Egredietur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascendet: & requiéscet super eum Spíritus Dómini; spíritus sapiéntiæ & intelléctûs, spíritus consílii & fortitúdinis; spíritus sciéntiæ & pietátis: & replébit

plébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet: sed judicábit in justítia páuperes, & árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: & percútiet terram virgâ oris sui, & spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium: & erit justítia cíngulum lumbórum ejus; & fides cinctórium renum ejus.

℟. Exultáte in lætítia, Jacob, personate, & cánite, quia * Creávit Dóminus novum super terram: Fœmina circúmdabit virum. ℣. Ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, quod propósuit in dispensatióne plenitúdinis témporum, * Creávit *Jerem.* 31. 7. 22. *Ephes.* 1. 9. 10.

Lectio ij. v. 10. *ad* 13.

IN die illa, radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, & erit sepúlchrum ejus gloriósum. Et erit in die illa: Adjíciet Dóminus secúndò manum suam ad possidéndum resíduum pópuli sui, quod relinquétur ab Assyriis, & ab Ægypto, & à Phetros, & ab Æthiópia, & ab Ælam, & à Sénnaar, & ab Emath, & ab ínsulis maris. Et levábit signum in natiónes, & congregábit prófugos Israel, & dispersos Juda cólliget à quátuor plagis terræ.

℟. Benedícam ei: & * Ex illa dabo fílium cui benedictúrus sum: constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum. ℣. Páriet María Fílium; ipse salvum fáciet pópulum suum. * Ex illa. *Gen.* 17. 16. 19. *Matth.* 1. 21.

Lectio iij. Cap. 14. *v.* 1. *ad* 3.

PRopè est ut véniat tempus ejus, & dies ejus non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Jacob, & éliget adhuc de Israel, & requiéscere eos fáciet super humum suam: adjungétur ádvena ad eos, & adhærébit dómui Jacob. Et tenébunt eos pópuli, & addúcent eos in locum suum; & possidébit eos domus Israel super terram Dómini in servos & ancíllas: & erunt capiéntes eos qui se céperant, & subjícient exactóres suos.

℟. Semel jurávi in sancto meo, si David méntiar: * Semen ejus in ætérnum manébit; & thronus ejus sicut sol in conspéctu meo. ℣. Ante promíserat Deus per Prophétas de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndùm carnem: * Semen. Glória. * Semen. *Ps.* 88. 36. 37. 38. *Rom* 1. 2. 3.

IN II. NOCTURNO.

Quantis ornata gratiis Maria nascitur ad futuram maternitatem præparanda.

Ant. t. 2. *d.* Glória Líbani ad te véniet ad ornándum locum sanctificatiónis meæ. *Isa.* 60. 13.

Ant. t. 4. E. Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant. 4. 7.*

Ant. t. 5. a. In te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. *Gen. 12. 3.*

℣. Conféssio & pulchritúdo in conspéctu ejus:

℟. Et magnificéntia in sanctificatióne ejus. *Ps. 95. 6.*

Sermo sancti Joánnis Damascéni.

Lectio iv.

Serm. 1. in Nat. B. M.

ADéste, gentes omnes, omne hóminum genus, omnes cujúsvis linguæ, ætátis ac dignitátis orbis univérsi. Lætítiæ Natálem lætis ánimis celebrémus: Dei Genitrícis natálem complectámur, per quam mortálium genus redintegrátum est. Hódie virgínea ac divína jánua prodit, ex qua, & per quam Deus, qui rebus ómnibus supérior est, in orbem terrárum corporáliter introívit. Hódie de radíce Jesse virga orta est, ex qua mundo flos divínitus exíſtens ascéndit.

℟. Erúmpet quasi manè lumen tuum, * Et implébit Dóminus splendóribus ánimam tuam, & erit quasi hortus irríguus, & sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ. ℣. Invenísti grátiam apud Deum. * Et implébit. *Is. 58. 8. 11. Luc. 1. 30.*

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio v. de 12. Prærog. B. M. V. n. 7. & 8.

INveníre est in María prærogatívas cœli, prærogatívas carnis, prærogatívas cordis. Primò quidem, quid si déreum micat in generatióne Maríæ? Planè quòd ex régibus orta, quòd ex sémine Abrahæ, quòd generósi ex stirpe David. Si id parum vidétur, adde quod generatióni illi ob singuláre privilégium sanctitátis divínitus noscitur esse concéssa: quòd longè ante eísdem Pátribus cœlitùs repromíssa; quòd mysticis præfiguráta miráculis; quòd oráculis prænuntiáta prophéticis.

℟. Hæc dicit Dóminus fáciens & formans te ab útero: * Effúndam spíritum meum super semen tuum, & benedictiónem meam super stirpem tuam. ℣. Benedícta tu inter mulíeres, quóniam perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi à Dómino. * Effúndam. *Is. 44. 2. 3. Luc. 1. 42. 45.*

Lectio vj. n. 8. & 15.

HAnc Sacerdotális virga, dum sine radíce flóruit; hanc Gedeónis vellus, dum in médio siccæ áreæ máduit; hanc in Ezechiélis visióne Orientális porta, quæ nulli umquam patuit, præsignábat. Hanc dénique præ cæteris Isaías nunc virgam de radíce Jesse oritúram promit-

trebat; nunc evidéntiùs Vírginem paritúram. Méritò signum hoc magnum in cœlo apparuísse scríbitur, quod tantò antè de cœlo nóscitur fuísse promíssum... Plena es gratiárum, María, plena rore cœléstí, delíciis áffluens. Ciba hódie páuperes tuos, Dómina; & potum tríbuas de supereffluénti hydria tua: quia tu verè puélla es præeléсta & præparáta Altíssimi Fílio.

℟. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: * Deus in médio ejus, non commovébitur: adjuvábit eam Deus manè dilúculo. ℣. Cláritas Dei illuminávit eam: non intrábit in eam áliquod coinquinátum. * Deus. Glória. * Deus. *Ps.* 45. 5. 6. *Apoc.* 21. 23. 27.

IN III. NOCTURNO.

Beneficiorum acceptorum memor & gratus Mariæ animus.

Ant. t. 8. *c.* Vivit ipse Dóminus; quóniam non permísit me ancillam suam coinquinári; sed sine pollutióne peccáti revocávit me. *Judith.* 13. 20.

Ant. t. 6. *F.* Exultábit ánima mea in Deo meo: quia induménto justítiæ circúmdedit me. *Is.* 61. 10.

Ant. t. 7. *a.* Fructificávi suavitátem odóris; & flores mei, fructus honóris & honestátis. *Eccli.* 24. 23.

℣. De ventre matris meæ Deus meus es tu: ℟. Spes mea ab ubéribus matris meæ. *Ps.* 21. 10. 11.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 1. *v.* 1.

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac, Isaac autem génuit Jacob. Et réliqua.

Homília sancti Joannis Chrysóstomi.

Hom. 2. *in Matth. n.* 2.

Admodum admirábile est audíre, Deum ineffábilem, inenarrábilem, incomprehensíbilem, Patri coæquálem, per Vírginis ad nos venísse úterum, & ex mulíere nasci dignátum esse, avósque habére Davídem & Abrahámum. Et quid dico Davídem & Abrahámum? Etiam illas (quod magis stupéndum est) mulíeres, uxórem Uríæ, & Thamar, & Ruth. Hæc áudiens ánimum érige, & nihil vile suspicéris... Quòd si de tuis dúbitas, ab iis quæ ad ipsum spectant, hæc ut credas inducáris. Longè enim difficílius est, quantùm ad humánum intelléctum pértinet, Deum hóminem fíeri, quàm hóminem Dei Fílium esse. Cùm ígitur audis Fílium Dei fílium esse Davídis & Abrahæ, dubitáre jam désine, te fílium Adæ, fílium Dei futúrum esse. Neque enim frustrà & incássum seípsum ita humiliásset, nisi nos exaltatúrus esset. Natus est enim secúndùm carnem,

ut tu nascerémis secúndùm spíritum.

℟. Ego sum, ego sum quæ Dómino canam: * Cessavérunt fortes in Israel, & quievérunt, donec súrgeret mater in Israel. ℣. Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret. * Cessavérunt. *Judic.* 5. 3. 7. *Gal.* 4. 4. 5.

Lectio viij. n. 3. & 4.

CUr autem non dixit, Filii Abraham, & póstea, Filii David? Hi enim máximè mirábiles erant: hic útpote Rex & Prophéta; ille ut Patriárcha & Prophéta. Et unde probátur, ínquies, Christum ex Davíde ortum esse? Si enim non ex viro, sed ex muliére tantùm natus est, Vírginis autem genealógia non téxitur, quómodo sciémus ipsum ex Davíde esse ortum? Quid ergo priùs perquiréndum est? Quómodo ex Davíde Virgo orta fúerit. Quo pacto autem sciémus ex Davíde ortam esse? Audi Deum Gabriéli præcipiéntem ut adíret Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo & família David. Quid clárius póstulas, cùm audis, de domo & família David Vírginem fuisse? Unde patet Joseph etiam inde fuisse ortum. Lex quippe erat, quæ vetáret uxóres dúcere, nisi ex própria tribu... Non modò enim non licébat ex ália tribu uxórem dúcere, sed neque ex ália família, id est, ex ália cognatióne. Itaque si illud (Ex domo & família David) Vírgini aptémus, dictum illud constábit; si Joséph o, illud ipsum consequitur. Si enim ex domo & família David erat Joseph, non aliúnde accépit uxórem, quàm ex cognatióne sua.

℟. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui * In me ancilla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. ℣. Suscépit Israel púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ, sicut locútus est ad patres nostros. * In me. *Judith.* 13. 17. 18. *Luc.* 1. 54. 55.

Lectio ix.

VErùm ex génere David Vírginem fuisse ex jam dictis palàm est. Jam verò óperæ prétium fúerit dícere, cur non illíus, sed Joséphi genealógiam Evangelísta dúxerit. Qua de causa ígitur? Non erat mos apud Judæos muliérum genealógiam téxere. Ut ígitur secúndùm morem ágeret, nec viderétur illùm ab inítio tránsgredi, utque simul nobis Vírginis genus indicáret, ipsíus majóres réticens, Joséphi genealógiam duxit. Si enim id de Vírgine fecísset, novitátis notam non effugísset: si Joséphum tacuísset, Vírginis progenitóres non nossémus. Ut ítaque discérémus quæ esset

María, & unde orta, legésque intáctæ manérent, sponsi ejus genealogiam contéxuit, & ex domo David osténdit esse. Hoc enim commonstráto, illud quoque simul osténditur Vírginem étiam inde ortam fuisse.

℟. Tu ipse, Dómine Deus, qui elegísti, * Posuísti nomen ejus; & inveníslti cor ejus fidéle coram te, & impléssti verba tua, quóniam justus es. ℣. Nomen Vírginis, María. * Posuísti. Gloria. * Posuísti. 2. Esdræ 9. 7. 8. Luc. 1. 27.

Te Deum.

AD LAUDES.

De gratiarum & nominis magnificentia, Mariæ gratulatur Ecclesia.

℣. *Sacerdos.* Glorióa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. Ps. 86. 3.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. 1. irr. BEnedícta es tu, fília, à Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23.

Ant. t. 5. a. Ecce ténebræ opérient terram, & calígo pópulos: super te autem oriétur Dóminus. *Is.* 60. 2.

Ant. t. 6. f. In splendóre ortûs tui omnes vénient, laudem Dómino annuntiántes. *Is.* 60. 3. 4. 6.

Ant. t. 3. a. Erit tibi Dóminus.

CANTICUM.

Judicum 5.

AUdíte, reges; áuribus percípite, príncipes: * Ego sum, ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel.

Dómine, cùm exíres de Seïr, * & transíres per regiónes Edom,

Terra mota est, * cœlíque ac nubes distillavérunt aquis.

Montes fluxérunt à fácie Dómini, * & Sinaï à fácie Dómini Dei Israel.

Cessavérunt fortes in Israel, & quievérunt; * donec súrgeret mater in Israel.

Nova bella elégit Dóminus, * & portas hóstium ipse subvértit.

Salvátæ sunt relíquiæ pópuli: * Dóminus in fórtibus dimicávit.

Benedícta inter mulíeres: * benedicátur in tabernáculo suo.

Qui autem díligunt te, Dómine, * sicut sol in ortu suo splendet, ità rútilent.

Glória Patri.

Et dicitur quando fit de Octava.

Ant. Erit tibi Dñus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Is.* 60. 19.

Ant. t. 5. a. In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith.* 13. 31.

Capitulum. Baruc. 5. 3. 4.

DEus osténdet splendórem suum in te, omni qui sub cœlo est: nominábi-

tur enim tibi nomen tuum à Deo in sempitérnum; Pax justítiæ & honor pietátis.

℣. Superextollétur super Líbanum fructus ejus: ℟. Sit nomen ejus benedíctum in sæcula. *Ps.* 71. 16. 17.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *d.* Vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit; & eris coróna glóriæ in manu Dómini, quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 2. 3. 4.

Oratio.

DEus, qui in beneplácito tuo mundum tibi reconciliáre voluísti: præsta, quæsumus, ut qui Nativitátem sanctæ Dei Genitrícis celebrámus, ipsam quam Fílius ejus operátus est salútem, matris intercessióne consequámur; Per eumdem Dóminum, &c.

Ad Horas Antiphonæ de Laudib. Psal. & Hymni de Dominica: in fine Hymnorum Doxologia hodie & per Octavam.

Qui natus es de Vírgine, Jesu, tibi sit glória, &c.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de María Vírgine. *Matth.* 1. 16.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

An. 1547. *Seſſ. de justificat. Can.* 23.

SI quis hóminem semel justificátum díxerit posse in tota vita peccáta étiam veniália vitáre, nisi ex speciáli Dei privilégio, quemádmodum de beáta Vírgine tenet Ecclésia, anathéma sit.

AD TERTIAM

Capitulum. 2. *Reg.* 23. 4.

SIcut lux auróræ, oriénte sole, manè absque núbibus rútilat.

℟. Una est perfécta mea. * Vidérunt eam fíliæ, & beatíssimam prædicavérunt; regínæ laudavérunt eam. ℣. In médio ejus lignum vitæ áfferens fructus: omne maledíctum non erit ámpliùs; sed sedes Dei & Agni in illa erunt. * Vidérunt. Glória. * Vidérunt. *Cant.* 6. 8. *Apoc.* 22. 2. 3.

℣. Magna est glória ejus, ℟. In salutári tuo, Dómine. *Ps.* 20. 6.

Per Octavam ℟. *br.* Deus præcínxit me virtúte. * Allelúia allelúia. Deus. ℣. Pósuit immaculátam viã meã. * Allelúia, allelúia. Glória. Deus. *Ps.* 17. 33.

℣. In hoc cognóvi, Dómine, quóniam voluísti me: ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me, allelúia. *Ps.* 40. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Baruc. 5. 1. 2.

INdue te decóre & honóre ejus, quæ à Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ. Circúmdabit te Deus diplóide justítiæ, & impónet mitram cápiti honóris ætérni.

℟. *br.* Concupíscet Rex decórem tuum. * Allelúia, allelúia. Concupíscet. ℣. Quóniam ipse est Dóminus Deus

tuus. * Allelúia, allelúia. Glória. Concupíſcet. *Pſ.* 44. 12.

℣. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, ℟. In fímbriis aúreis, circumamícta varietátibus, alleluia. *Pſ.* 44. 14. 15.

AD NONAM.

Capitulum. Judith. 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℟. *br.* Pópuli confitebúntur tibi. * Allelúia, allelúia. Pópuli. ℣. Mémores erunt nóminis tui. * Allelúia, allelúia. Glória. Pópuli. *Pſ.* 44. 18.

℣. Vultum tuum deprecabúntur ℟. Omnes dívites plebis, allelúia. *Pſ.* 44. 13.

AD II. VESPERAS.

Salutem proximam eſſe nuntiat illa quæ ſine labe eſt, mulier.
Pſalmi ut in parvo Officio B. M. V.

Ant. 1. 3. *E.* SIcut Lílium inter ſpinas, ſic amíca mea inter fílias. *Cant.* 2. 2.

Ant. 2. 4. *E.* Progréditur quaſi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut ſol. *Cant.* 6. 9.

Ant. 3. 5. *f.* Quaſi dilúculum præparátus eſt egréſſus ejus. *Oſee* 6. 3.

Ant. 4. 6. *F.* Lauda, & lætáre, fília; quia ecce habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2. 10.

Ant. 5. 8. *C.* Gaudébit ſuper te Dóminus in lætítia, ſilébit in dilectióne ſua, exultábit ſuper te in laude. *Soph.* 3. 17.

Capitulum. Apoc. 21. 3.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipſi pópulus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eórum Deus.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

AUróra, quæ ſolem paris,
Et ipſa ſolis fília,
Quàm ſpléndidum, cùm náſceris,
Affers diem mortálibus!
Te luce ſol veſtit ſuâ,
Tibíque luna ſtérnitur;
Aptáta ſacro vértici
Nectunt corónam sídera.
Te mille virtútum chori,
Te turma cingit cœlitum;
Ambit ſuo te Númine,
Qui te facit matrem Deus.
Uti potens exércitus,
Tu, Virgo, terror hóſtium;
Te ſic obumbrátam Deo
Pavent tremúntque tártara.
Qui tabe nos infécerat
Serpéntis elídis capût;
Attrítus ætérno jacet,
Non jam timendus, vúlnere.

Fac, Virgo, quem scimus Deum
Veniſſe terris hóſpitem,
Per te, manens nobis adhuc,
Noſtri ſit hoſpes péctoris.
Sit laus Patri, laus Filio,
Par ſit tibi laus, Spíritus,
Per quem ſacrâ ſe Filius
Infúdit alvo Vírginis.
Amen.

℣. Hæc réquies mea in ſæculum ſæculi: ℟. Hîc habitábo quóniam elégi eam. *Pſ.* 131. 14.

Ad Magnif. *Ant. t. 6. F.* Ex te egrediétur qui ſit Dominátor in Iſrael, & egréſſus ejus ab inítio, à diébus æternitátis: & erit iſte pax, allelúia. *Mich.* 5. 2. 5.

Oratio ut ſuprà in Laudibus.

DIEBUS INTRA OCTAVAM.

Ad Officium Nocturnum. *Invitat. ut in die, novem Pſalmi de Feria, tres Antiph.* ℟. ℟. ℟. *&* ℣. *ex uno Nocturno Feſti, juxta Rubricam*: *Lectiones ut aſſignantur in qualibet die.* Te Deum *dicitur.*

Ad Laudes, *Prima Antiph. de Laudibus diei, Pſalmi de Feria, & ſic in toto Officio.*

Ad Horas *br. Antiphonæ de Laudibus, quartà omiſſà; & reliqua ut in die.*

Ad Veſp. I. *Antiph. de Veſperis Feſti: Pſalmi de Feria; reliqua ut in die.*

DIE IX.
DE OCTAVA NATIVITATIS B. M. V.
Semiduplex.

Commem. Octavæ S. Manſueti, & Ss. Petri, Dorothei, & Gorgonii, Martyrum.

Oratio.

Sancti tui, Dómine, Petrus, Dorótheus & Gorgónius Mártyres ſuâ nos interceſſióne tueántur, & miſericórdiæ tuæ fáciant accéptos; Per, &c.

Lectio I. *de Script. occurr. ex tribus fit una.*

Lectio ij.

Sermo ſancti Joánnis Damaſcéni.

Orat. I. *de Nativ. B. M. V.*

Hodie mundi ſalus inchoátur: jubiláte Déo, omnis terra, cantáte & exultáte, & psállite, quóniam nobis nata eſt Dei mater in ſancta probática, ex qua Dei Agnus qui mundi peccáta tollit, in lucem edi vóluit. Exultáte, montes, hoc eſt, ratióne præditæ natúræ, quæque ad ſpirituális contemplatiónis faſtígium aſsúrgitis: síquidem clariſſimus Dei mons páritur, qui collem omnem ac montem, id eſt, Angelórum & hóminum ſublimitátem exsúperat, ex quo citra ullam mánuum óperam exſcíndi vóluit lapis anguláris, Chriſtus, unâ perſónâ diſtínctas natúras cópulans, divinitátem nimírum & humanitátem: mons Dei, mons pinguis, mons

in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo.

Lectio iij. de Ss. Petro, Dorotheo, & Gorgonio.

Ex libro octávo Históriæ Ecclesiásticæ Eusébii Cæsariénsis Epíscopi.

Cap. 6.

PRæ ómnibus qui umquã sive apud Græcos, sive apud bárbaros, admiratióne digni, & ob fortitúdinem célebres exstitérunt, glorióſos atque illústres Dei Mártyres ea tempéstas tulit Dorótheum scílicet & réliquos cubiculários púeros: qui tamétsi summi honóris prærogatívâ ab Imperatóribus ornáti, probra tamen pro pietáte toleráta, & divérsa mortis génera, majóris prétii esse duxérunt quàm glóriam & delícias hujus sæculi. Horum ígitur unius dúmtaxat hîc éxitum réferam, ut ex illo lectóres conjícere possint quid réliquis contígerit. Prodúctus est in médium quidam illórum coram Diocletiáno & Maximiáno; jussúsque diis sacrificáre, cùm id pertináciter recusáret, nudáto cápite sublímis tolli præcípitur, & verbéribus concídi, quoad tandem vel invitus jussis obtemperáret. Ipsis jam óssibus denudátis, commíxtum sale acétum tabescéntibus córporis membris infúnditur: tum in médium affértur cratícula & ignis; & relíquiæ córporis ipsius igne assántur; idque non simul ac semel, sed paulátim, ne scílicet céleri éxitu defungerétur. Verùm ille victor in ipsis torméntis ánimam exhalávit, dignus profécto suo nómine; Petrus enim ille vocabátur. Reliquórum verò martyria, níhilo inferióra, brevitátis stúdio hîc omittémus. Id tantùm retulisse sufficiet, quod Dorótheus & Gorgónius unà cum áliis plúribus, qui in palátio ministrábant, post cujúsque modi certámina, elisis láqueo faucibus, divínæ victoriæ præmium adépti sunt.

Vesperæ de sequenti.

Commem. Octavæ Nativitatis B. M. V. & S. Nicolái, Tolentinatis, Eremitæ.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

DIE X.

OCTAVA S. MANSUETI, Tullénsis Apóstoli.

Duplex 4. Claß.

Psalmi de Feria in toto Officio; reliqua ut in Festo, incipiendo à primis Vesperis, exceptis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Tres Lectiones de Script. occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Máximi Epíscopi.

Lectio iv.

Inter Homil. de Sanctis 2. in nat. S. Euſ.

AD sancti ac beatíssimi Patris nostri, cujus hé-

die festa celebrámus, laudes addidisse, aliquid decerpsisse est: síquidem virtútum ejus grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobanda. Cùm enim dicat Scriptúra: Glória patris est filius sápiens, quantæ hujus sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntiâ & devotionē lætátur? In Christo enim Jesu per Evangélium ipse nos génuit. Quidquid ígitur in hac plebe potest esse virtútis & grátiæ, de hoc, quasi fonte lucidíssimo, omnium rivulórum púritas emanávit.

Lectio v.

DIcit sermo divínus: Ne laudes hóminem in vita sua: tamquam si díceret: Lauda post vitam, magnífica post consummatiónem. Beáti autem Patris mérita jam in tuto pósita secúri magnificémus, qui gubernáculum fídei viríliter tenens, ánchorâ spei tranquilla jam in statióne compósuit, & plenam cœléstibus divítiis, & ætérnis mércibus navem optáto in líttore collocávit. Qui contra omnes adversários scutū timóris Dei tamdiu infatigabíliter ténuit, donec ad victóriam perveníret.

Lectio vj.

QUantórum áuribus surdis & infidelitátis obturatióne damnátis, ad percipiéndam vocem cœléstium mandatórum, pretiósum infúdit audítum, ut vocánti Deo ad misericórdiam respondérent per obediéntiam? Quantos intrinsecùs vulnerátos Angélici oris arte & oratiónum ab infirmitáte curávit? Quantos per longam incúriam peccáti labe resolútos, & quâdam lepræ contagióne perfúsos, castigatiónibus, exhortatiónibus expiándo, Deo in se operánte, mundávit? Illíus ergo, in quantum póssumus vestígiis insistámus; quibus per illam nimis arctam viam ad cœli ampla festínans, quâ eum sequerémur, osténdit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Marc. 16. 15.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

In Evang. 29. n. 2.

POtest omnis creatúræ nómine, omnis nátio Géntium designári. Ante enim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis. Nunc autem dícitur: Prædicáte Evangélium omni creatúræ; ut scílicet priùs à Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cùm hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium, supérba repulísset. Sed cùm discípulos ad præ-

dicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. Neque enim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa electa grana prædicántium non veníssent.

Lectio viij. n. 3.

QUi credíderit, & baptizátus fúerit, salvus erit; qui verò non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quòd de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant. Quod cùm ita fit, fídei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim verácitcr fidéles sumus, si quod verbis promíttimus, opéribus implémus. In die quippe baptísmatis ómnibus nos antíqui hostis opéribus, atque ómnibus pompis abrenuntiáre promísimus. Itaque unusquísque vestrûm ad considerationem suam mentis óculos redúcat; & si servat post baptísmum, quod ante baptísmum spopóndit, certus jam quia fidélis est, gáudeat.

Lectio ix. de S. Nicolao Tolentinate.

Ex ejus vita apud Monbr. & Sur.

NIcoláus, Tolentínas ob diutúrnam apud Tolentínum commoratiónem nuncupátus, in óppido sancti Angeli in Picéno piis natus est paréntibus; qui liberórum desidério Bárium ad sepúlchrum sancti Nicolái Pontíficis, voti causâ profécti, quem suscepérunt fílium, de illíus nómine vocavérunt. Is ab infántia multárum virtútum, sed abstinéntiæ in primis spécimen dedit; quippe qui anno vix séptimo, complúres hebdómadæ dies jejunáre cœpit, eámque póstea retínuit consuetúdinem, solo pane & aquâ víctitans. Adúltâ jam ætáte, Clericáli milítiæ ascríptus & Canónicus factus, cùm quodam die Eremítam Ordinis sancti Augustíni de mundi contémptu conciontem audíisset, eo inflammátus sermóne, eúmdem statim Ordinem ingréssus est; in quo sic exáctam religiósæ vitæ ratiónem instítuit, ut áspero vestítu, verbéribus, & férreâ caténâ corpus domans, à carne & omni ferè obsónio ábstinens, charitáte, humilitáte, patiéntiâ, cæterísque áliis virtútibus illústris obíerit. Demum sex ante óbitum ménsibus, cùm jam pa-

radísi gáudia prægustaret, crebrò illud Apóstoli repetébat: Cúpio dissolvi, & esse cum Christo. Obitûs sui die frátribus prænuntiáto, ábiit ad Dóminum anno millésimo trecentésimo nono: quem miráculis clarum Eugénius quartus in Sanctórum númerum rétulit.

In 2. Vesp. post Comm. Octavæ Nativit. B. M. V. fit Comm. de S., Bodone Tullensi Episcopo.

Oratio. Da Ecclesiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Die XI.

DE OCTAVA NATIVITATIS B. M. V.

Semiduplex.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex libro sancti Augustíni Epíscopi de sancta virginitate. *Cap.* 5. & 6.

MAría fáciens voluntátem Dei, corporáliter Christi tantúmmodo mater est, spirituáliter autem & soror & mater. Ac per hoc illa una fœmina, non solùm spíritu, verùm étiam córpore & mater est & Virgo. Et mater quidem spíritu; non cápitis nostri quod est ipse Salvátor, ex quo magis illa spirituáliter nata est; quia omnes qui in eum credidérunt, in quibus & ipsa est, rectè filii sponsi appellántur: sed planè mater membrórum ejus, quod nos sumus; quia cooperáta est charitáte, ut fidéles in Ecclésia nascerentur, qui illíus cápitis membra sunt. Córpore verò mater ipsíus cápitis. Oportébat enim caput nostrum, propter insígne miráculum, secúndum carnem nasci de Vírgine, quo significáret membra sua de Vírgine Ecclésia secúndùm spíritum nascitúra.

Lectio iij. de S. Bodone, Tullensi Episcopo.

Ex vita S. Salabergæ apud Mabil. 2. secul. Bened. Spicil. Tom. 3. & aliis Tull. Eccl. Documentis.

LEudínus, qui & Bodo, patrem hábuit Gundoínum ex Francórum génere prænóbilem virum, qui cum Saretrúde paris nobilitátis uxóre, & tota família, ad Mosam, vicum à fonte flúvii cognóminis sic dictum, Tullum inter & Língonas, in regnórum scílicet Burgúndiæ & Aústriæ confínio commorabátur, cùm sanctum Eustásium Luxoviénsem Abbátem gratíssimè excépit hóspitem; eíque de líberis ejus percunctánti & rogánti, duos bonæ índolis adolescéntulos, nempe Leudínum natu majórem, & minórem, nómine Fulculfum, puellámque Salabérgã prótulit. Ad virílem provéctus ætátem Leudínus, cónjugem accépit Odilam, ex qua fi-

liam suscépit Thebérgam nómine: verùm sancti Valbérti, qui in Abbátem Eustásio succésserat, prædicatióne commóti pii cónjuges, vitam cœlibem, qui totos se mundo ad Dei obséquium subdúcerent, ampléxi sunt. Hinc Laudúnum ad sorórem suam Salabérgam, quæ ibi Monastérium duplex, unum Moniálibus, viris álterum constrúxerat, véniens Bodo, calcáto sæculi fastu, Mónachum índuit, & sub disciplína Sacerdótis nómine Itali, in ómnibus se exércuit vitæ religiósæ officiis, donec ex divulgáta sanctitátis fama ad sedem Tullénsem accersítus est. Is tria ex prædiis suis constrúxit Monastéria; scílicet Stivagiénse in Vósago, in quo Canónicis succesére Præmonstraténses; álterum Offónis villam nuncupátum; tértium dénique puellárum, ab auctóre Bodónis Monastérium dictum, cui Thebérgam filiam præfécit; quodque à Bertholdo Tullénsi Epíscopo in superiórem locum sub título sancti Salvatóris translátum, à Benedictínis Mónachis ad Canónicos reguláres tránsiit. Post multa pietátis insígnia defúnctus Bodo, in cæmetério sancti Mansuéti sepelítur; unde ejus Relíquiæ Laudúnum translátæ, in Monastério sancti Joannis, unà cum óssibus sanctæ Salabérgæ recónditæ sunt.

Die xii.

DE OCTAVA NATIVITATIS B. M. V.

Semiduplex.

Prima & secunda Lectio de Script. occurr. fit una ex secunda & tertia.

Lectio iij.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Nativit. B. M. V. n. 7.

Totis medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, & votis ómnibus Maríam venerémur; quia sic est volúntas ejus qui totum nos habére voluit per Maríam. Hæc, inquam, volúntas ejus est, sed pro nobis. In ómnibus síquidem & per ómnia próvidens míseris, trepidatiónem nostram solátur, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem. Ad Patrem verebáris accédere; Jesum tibi dedit Mediatórem... Hunc tibi fratrem María dedit. Sed fórsitan & in ipso majestátem vereáre divínam, quòd licèt factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum vis habére & ad ipsum? Ad Maríam recúrre. Pura síquidem humánitas in María, non modò pura ab omni contaminatióne, sed & pura singularitáte natúræ. Nec dúbius díxerim, exaudiétur & ipsa pro reveréntia sua. Exáudiet útique matrem Fílius, & exáudiet Fílium Pater. Filíoli,

hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ.

Die XIII.

De Octava Nativitatis B. M. V.

Semiduplex.

In Vesperis & Laudibus fit Comm. S. Amati, Tullensis Abbatis.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xl.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

De sermone sancti Bernárdi Abbátis.

Homil. 2. super Missus est. *n.* 17.

MAría ipsa est nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat, cujus splendor & præfúlget in supernis, & ínferos pénetrat... Ipsa, inquam, est præclára & exímia stella, super hoc mare magnum & spatiósum necessário subleváta, micans méritis, illústrans exémplis. O quisquis te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter procéllas & tempestátes fluctuáre, quàm per terram ambuláre; ne avértas óculos à fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópulos tribulatiónum; réspice stellam, voca Maríam. Si jactáris supérbiæ undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis; réspice stellam, voca Maríam. Si iracúndia, aut avarítia, aut carnis illécebra navículam concússerit mentis, réspice ad Maríam... Et ut ímpetres ejus oratiónis suffrágium, non déseras conversatiónis exémplum.

Lectio iij. de S. Amato, Tullensi Monacho.

Ex ejus vita ab auctore coævo; apud Mabil. Act. Ss. Ord. Bened. sæc. 2.

AMátus nobílibus paréntibus ex Románâ seu Gallicâ stirpe in Subúrbio Gratianopolitáno exórtus, à prima ætáte Deo in Agaunénsi Monastério oblátus, ibidémque lítteris imbútus & virtúte, post annos trigínta in monásticis régulis diligénter exáctos, majóris solitúdinis stúdio, in devéxam excelsíssimi montis rupem se ábdidit; in qua duríssimam per triénnium vitam jam égerat, cùm ab Itália revértens sanctus Eustásius, ipsum inde ad Luxoviénse Monastérium secum abdúxit. Postquam Luxóviis per tempus aliquod novos virtútibus suis pietátis excitásset stímulos, ad Vósagos pópulos eâ quâ pollébat prædicatiónis grátiâ erudiéndos ab Eustásio missus est, & ab eódem subínde dúplici præféctus Monastério, virórum uni, mulíerum álteri, quod Romarícus, Amáti verbis totus ad divína convérsus, in Habendensi castro, seu Monte sancto, constrúxerat. Interim

Amátus, solitúdinis summópere amans, in oblíqua prærúpti montis parte, quò vix áditus erat, cóncavam rupem invéniens, angústum sibi soli præparávit habitáculum, ad léctuli sui mensúram, ut in ea quæ usque hódie non sine intuéntium horróre vísitur, specu, soli Deo vacáret, exíguam panis partículam cum módico aquæ ad annónam quotidiánam accípiens, nec inde, nisi diébus Domínicis, egrédiens, qui frátribus & soróribus sacras Scriptúras relégeret. Ut autem finem vitæ suæ imminére præsénsit, accítis frátribus, in cínere & cilício prostrátus, quidquid se deliquísse méminit, públicà voce conféssus, & juxta beati Leónis ad Flaviánum Epístolam, quam sibi rélegi præcéperat, orthódoxum se proféssus, vale ómnibus dicto, emísit spíritum, & extra Ecclésiam Monastérii, uti optáverat, sepúltus. Post trecéntos círciter annos sacræ ejus Relíquiæ à Drogóne Tullénsi Epíscopo translátæ sunt, & recónditæ in novo Monastério, quod, díruto ab Hunnis antíquo, in valle ultra Moséllam, Ludovíci tértii Imperatóris curis & súmptibus extrúctum est; unde à Leóne nono olim Tullénsi Epíscopo in decentiórem locum levatæ sunt, & populórum veneratióni expósitæ.

Vespera de sequenti.

D I E X I V.

EXALTATIO S. CRUCIS.

Duplex 4. Clas.

AD I. VESPERAS.

De futura Crucis gloria Prophetiæ, & figuræ.

Psalmi de Feria.

Ant. 1. ANnuntiáte in Juda, & in Jerúsalem audítum fácite, leváte signum in Sion. *Jerem.* 4. 5. 6.
8. c.

Ant. 1. 4. *E.* In die illa radix Jesse, qui stat in signum populórum, ipsum Gentes deprecabúntur, & erit sepúlchrum ejus gloriósum. *Is.* 11. 10.

Ant. 1. 1. *a.* Exaltávi lignum húmile, & frondére feci lignum áridum: ego Dóminus locútus sum, & feci. *Ezech.* 17. 24.

Ant. 1. 2. *D.* Dabit lignum fructum suum, & scient quia ego Dóminus, cùm contrívero caténas jugi eórum. *Ezech.* 34. 27.

Ant. 1. 7. *a.* Ascéndet sicut virgúltum coram Dómino, & sicut radix de terra sitiénti. *Is.* 53. 2.

Capitulum. Is. 49. 22. 26.

ECce levábo ad Gentes manum meam, & ad pópulos exaltábo signum meum: & sciet omnis caro quia ego salvans te, & Redemptor tuus fortis, Jacob.

℟. Omnes habitatóres orbis, qui morámini in terra, * Cùm elevátum fúerit signum in móntibus, vidébitis, & † Deferétur munus

Dómino ad montem Sion. ℣. Cùm exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoscétis quia ego sum. * Cùm elevátum. Glória. † Deferétur. *Is.* 18. 3. 7. *Joan.* 8. 28.

HYMNUS

Ex Sam. Vict.

CRux alma, salve, Crux venerábilis,
Torrénte Christi sánguinis ébria;
Testis dolórum, tu supréma
Verba Dei moriéntis audis.

Tu celsa sedes, unde suos docet;
Vitális, in quo nos péperit, thorus;
Currus triumphántis, tribúnal
Júdicis, atque litántis ara.

Non rapta cæsis hóstibus ímpia
Hìc arma fulgent; nec dómiti duces,
Graves caténis, hìc trahúntur:
Nobílior Crucis est triúmphus.

Orbis redémpti quália pígnora!
Crux tincta Christi sánguine adhuc madet;
Speráte, mortáles: salútem
Plena necis monuménta præstant.

Crux, certa cœli sémita, quæ Patris
Thronum peténti pandis iter Deo;
Nunc alterâ nobis necesse est
Ire viâ malè delicátos.

Laus summa Patri, qui creat ómnia;
Natóque, mundum qui réparat Cruce;
Qui cuncta replet, summa sancto
Spirítui: tribus una semper. Amen.

℣. De torrénte in via bibet: ℟. Proptérea exaltabit caput. *Ps.* 109. 7.

Ad Magnif. Ant. s. 2. *D.* Si posúerit pro peccáto ánimam suam, justificábit ipse justus multos, & iniquitates eórum ipse portábit. *Is.* 53. 10. 11.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Fit Commem. de Octava Nativitatis B. M. V. deinde de S. Cornelio, Pontifice & Martyre.

Oratio. Fac nos, Dómine, *pag.* xj.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jesum quem Príncipem & Salvatorem exaltávit Deus, * Veníte, adorémus. *Act.* 5. 31.

Psalmi de Feria, & sic in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

In ligno, quo salvati sunt homines ab aquis diluvii; quo sanatæ sunt aquæ in deserto, virtutem Crucis aspicito.

Ant. s. 1 *a.* Ab initio cùm períssent supérbi gigantes, spes orbis terrárum, ad ratem confúgiens, remisit sæculo

culo semen nativitátis. *Sap.* 14. 6.

Ant. t. 2. D. Cùm aqua deléret terram, sanávit íterum sapiéntia, per contemptíbile lignum justum gubérnans. *Sap.* 10. 4.

Ant. t. 3. a. Benedíctum est lignum, per quod fit justítia. *Sap.* 14. 7.

℣. Deus Rex noster ante sæcula, ℟. Operátus est salútem in médio terræ. *Ps.* 73. 12.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Quóniam potens es, Dómine, ex ómnibus salváre, *Transeúntes mare hómines exíguo ligno liberáti sunt. ℣. Quia complácuit per Christum reconciliáre ómnia, pacíficans per sánguinem Crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. * Transeuntes. *Sap.* 14. 4. 5. *Colos.* 1. 19. 20.

℟. 2. Nonne à ligno indulcáta est aqua amára? & * Dedit homínibus sciéntiam Altíssimus, honorári in mirabílibus suis. ℣. Quia aquæ amáræ factæ sunt, * Dedit. *Eccli.* 38. 5. 6. *Apoc.* 8. 11.

℟. 3. In hoc ostendísti inimícis nostris, Dómine, * Quia tu es, qui líberas ab omni malo. ℣. Non est in álio áliquo salus.* Quia. Gloria.* Quia. *Sap.* 16. 8. *Act.* 4. 12.

IN II. NOCTURNO.

In serpente æneo Crucis figuram agnosce.

Ant. t. 4. a. Mórsibus colubrórum exterminabántur, sed ad correptiónem in brevi turbáti sunt, signum habéntes salútis. *Sap.* 16. 5. 6.

Ant. t. 5. a. Qui convérsus est, non per hoc quod vidébat, sanabátur, sed per te ómnium Salvatórem. *Sap.* 16. 7.

Ant. t. 6. f. Neque herba, neque malágma sanávit eos, sed tuus, Dómine, sermo, qui sanat ómnia. *Sap.* 16. 12.

℣. Misit verbum suum, & sanávit eos: ℟. Et erípuit eos de interitiónibus eórum. *Ps.* 106. 20.

Lectio iv.

Ex Theophanis Annal. & Paulo Diac. de Histor. Miscell. & aliis.

CHósroes Persárum rex, extrémis Phocæ tempóribus, Ægypto & Africâ occupátis, ac Jerosólymâ captâ, multísque ibi Christianórum míllibus partim cæsis, partim in captivitátem cum Zacharía Patriárcha abdúctis, Crucem étiam Dómini quam Hélena in monte Calváriæ collocárat, in Pérsidem asportávit, anno Christi sexcentésimo décimo quarto. Heráclius, qui jam ab annis quátuor Phocæ succésserat, étiam per sequéntes annos multis belli incómmodis & calamitátibus afféctus, pacem bis à Chósroa pétiit; sed hanc ille pertinácitèr utrâque vice denegávit, nisi, Crucifíxo abnegáto, sol adorarétur à Románis. Quam impietátem detestátus Herá-

clius, imploráto Dei auxilio, bellum quasi sacrum suscépit, militésque ad martyrium hortátus, signa cum hoste cóntulit. Post diutúrnum bellum, anno demum sexcentésimo vigésimo séptimo exeúnte, Persas ingénti prælio superávit.

℟. Locútus est Dóminus ad Móysen: Fac serpéntem æneum, & pone eum pro signo: * Qui percússus aspéxerit eum, vivet. ℣. Sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto; ita exaltári opórtet Filium hóminis; ut omnis qui credit in ipsum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. * Qui percússus. *Num.* 21. 8. *Joan.* 3. 14. 15.

Lectio v.

Victus ígitur Chósroes, in fuga, quâ trajícere Tigrim parábat, Medársen fílium, regni sócium desígnat. Quam contuméliam cùm Síroes Chósroæ major natu fílius ægrè ferret, patre simul & fratre interémptis, regno Persárum potítus est, pacémque cum Heráclio fecit, quibúsdam accéptis conditiónibus, quarum ea prima fuit, ut Crucem Dómini restitúeret. Captívos ítaque, in primis Zacharíam Patriárcham, dimísit cum sacris Crucis lignis, quorum thecam argénteam íntegram, illæsáque sigílla ipse Patriárcha agnóvit. Igitur Crux sancta quatuórdecim post annos quàm vénerat in Persárum potestátem, recépta est, & deláta primùm Constantinópolim, & anno sequénti Jerosolymam: ubi in locum prístinum restitúta est, post perástas Deo multas de victóriis grátias. Exínde Exaltatiónis sacræ Crucis festívitas, quæ hâc die quotánnis agebátur, celébrior habéri cœpit.

℟. Fecit ergo Móyses serpéntem æneum, & pósuit eum pro signo; quem cùm percússi aspícerent, * Sanabántur. ℣. Aspiciéntes in auctórem fídei, & consummatórem Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem, * Sanabántur. *Num.* 21. 9. *Heb.* 12. 2.

Lectio vj.

Hac eâdem die sanctus Ludovícus, Francórum Rex, anno millésimo ducentésimo quadragésimo primo, partem Domínicæ Crucis, quæ in Syria título pígnoris apud Templários mílites remánserat, à Balduino Oriéntis Imperatóre, accéptam cum ália non módicâ portióne, ex qua Imperatóres Ecclésiis & amícis dare consuéverant, item ália multa Domínicæ passiónis instruménta, Parísios, præcedénte Clero, solémniter tránstulit. Tunc Rex piíssimus magnum exhíbuit Christiánæ pietátis arguméntum, cùm abjéctis véstibus régiis, & pedes nudátus, in urbem íntulit instruméntum quo mundi prétium persolútum est. De-

num constrúctâ in régio Palátio magníficâ Capéllâ, sacrosáncta redemptiónis nostræ insígnia religiósè in ea asservári vóluit.

℟. In médio civitátis sanctæ Jerúsalem lignum vitæ, & fólia ligni ad sanitátem géntium, * Et † Omne maledíctum non erit ámpliùs. ℣. Laudábunt ligna saltus coram Dómino. * Et omne. Glória. † Omne. *Apoc.* 22. *a.* 3. 1. *Paral.* 16. 33.

IN III. NOCTURNO.

His qui hoc signo fuerint signati, salus; aliis certa damnatio.

Ant. t. 7. *a.* Vidi Angelum habéntem signum Dei vivi, & clamávit; Nolíte nocére quoadúsque signémus servos Dei in fróntibus eórum. *Apoc.* 7. 2. 3.

Ant. t. 4. *a.* Dixit Dóminus ad virum qui indútus erat líneis: Signa thau super frontes virórum geméntium super abominatiónibus quæ fiunt. *Ezech.* 9. 4. 3.

Ant. t. 8. *c.* Percútite usque ad interneciónem: omnem autem super quem víderitis thau, ne occidátis. *Ezech.* 9. 5. 6.

℣. Dedísti metuéntibus te significatiónem; ℟. Ut liberéntur dilécti tui. *Ps.* 59. 6.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 12. *v.* 31.

IN illo témpore; Dixit Jesus turbis Judæórũ: Nunc judícium est mundi; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs. Et ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad meipsum. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

Serm. 57. *de Pass. Dom.* 8. *Cap.* 6.

EXaltáto, dilectíssimi, per Crucem Christo, non illa tantùm spécies aspéctui mentis occúrrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, & timébis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Isti enim nihil in crucifíxo Dómino præter fácinus suum cogitáre potuérunt, habéntes timórem, non quo fides vera justificátur, sed quo consciéntia iníqua torquétur. Noster verò intelléctus, quem Spíritus veritátis illúminat, glóriam Crucis cœlo terrâque radiántem puro ac líbero corde suscípiat, & interióre ácie vídeat, quale sit quod Dóminus, cùm de passiónis suæ loquerétur instántia, dixit: Nunc judícium mundi est; nunc princeps hujus mundi ejiciétur foràs; & si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad me.

℟. In funículis Adam * Traham eos, in vínculis charitátis; & ero eis quasi exáltans jugum super maxillas eórum. ℣. Nunc judícium est mundi, nunc princeps

hujus mundi ejiciétur foràs. Et ego si exaltátus fúero à terra, ómnia traham ad me ipsum. * Traham eos. *Osee* 11. 4. *Joan.* 12. 31. 32.

Lectio viij. Cap. 7.

O Admirábilis poténtia Crucis! ô ineffábilis glória passiónis, in qua & tribúnal Dómini, & judícium mundi, & potéstas est Crucifíxi! Traxísti enim, Dómine, ómnia ad te: & cùm expandísses totâ die manus tuas ad pópulum non credéntem & contradicéntem tibi, confiténdæ majestatis tuæ sensum totus mundus accépit. Traxísti, Dómine, ómnia ad te; cùm in execratiónem Judaïci scéleris, unam protulérunt ómnia eleménta senténtiam, cùm obscurátis luminaribus cœli, & convérso in noctem die, terra quoque mótibus quateretur insólitis, univérsaque creatúra impiórum úsui se negáret. * Traxísti, Dómine, ómnia ad te; quóniam scisso templi velo, sancta sanctórum ab indígnis Pontifícibus recessérunt; ut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, & lex in Evangélium verteréntur. Traxísti, Dómine, ómnia ad te; ut quod in uno Judææ templo obumbrátis significatiónibus tegebátur, pleno apertóque sacraménto, universárum ubíque natiónum devótio celebráret.

℟. In similitúdinem hóminum factus Christus Jesus, * Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltávit illum. ℣. Dícite in Natiónibus quia Dóminus regnávit à ligno. * Humiliávit. *Phil.* 2. 7. 8. 9. *Ps.* 95. 10. *secund.* 70. *Interpr.*

Si Festum hoc transferatur Lectio præcedens dividitur ad astericum; & sic in similibus

Lectio ix. de S. Cornelio.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris ad Antoniánum.

FActus est Cornélius Epíscopus de Dei & Christi ejus judício, de Clericórum penè omnium testimónio, de plebis quæ tunc áffuit suffrágio, & de Sacerdótum antiquórum & bonórum virórum collégio; cùm nemo ante se factus esset; cùm Fabiáni locus, id est, cùm locus Petri & gradus cáthedræ sacerdotális vacáret: quo occupáto de Dei voluntáte, atque ómnium nostrûm consensióne firmáto, quisquis jam Epíscopus fieri volúerit, foris fiat necésse est, nec hábeat Ecclesiásticam ordinatiónem, qui Ecclésiæ non tenet unitátem. Quanta in ipso suscépto Episcopátu suo virtus? quantum robur ánimi? qualis firmitas fídei? quod nos símplici corde & perspícere pénitus & laudáre debémus: sedisse intrépi-

dum Romæ in sacerdotali cáthedra eo témpore cùm tyránnus inféstus Sacerdótibus Dei fanda atque infánda comminarétur; cùm multò patiéntiùs & tolerabíliùs audíret levári advérsùs se æmulum príncipem, quàm constítui Romæ æmulum Sacerdótem. Nonne hîc summo virtútis & fidei testimónio prædicándus est? nonne inter glorióſos Confessóres & Mártyres deputándus, qui tantum témporis sedit expéctans córporis sui carnifices & tyránni ferociéntis ultóres? (Centūcéllis óbiit anno Christi ducentésimo quinquagésimo secúndo, die décimâ quartâ Septembris.)

℟. Mihi absit gloriári, nisi * In Cruce Dómini nostri Jesu Christi; per quem mihi mundus crucifíxus est, & ego mundo. ℣. Ego in Dómino gaudébo; & exultábo in Deo Jesu meo. * In Cruce. Glória. * In Cruce. *Galat.* 6. 14. *Habac.* 3. 18.

Te Deum.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Tu es Deus, qui mandas salútes Jacob: ℟. Salvásti nos de affligéntibus nos. *Ps.* 43. 5. 8.

Ant. t. 3. a. CHristus nos redémit de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum: quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno. *Galat.* 3. 13.

Ant. t. 7. a. Delens quod advérsùs nos erat chirógraphum decréti, ipsum tulit de médio; affígens illud Cruci. *Coloss.* 2. 14.

Ant. t. 5. a. Fecit útraque unum, solvens inimicítias in carne sua, ut reconcíliet ambos in uno córpore Deo per Crucem. *Eph.* 2. 14. 16.

Ant. t. 6. f. Sic oportébat Christum pati, & resúrgere; & prædicári in nómine ejus pœniténtiam, & remissiónem peccatórum in omnes gentes. *Luc.* 24. 46. 47.

Ant. t. 8. g. Verbum Crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, nobis, Dei virtus est. 1. *Cor.* 1. 18.

Capitulum. 1. *Cor.* 1. 23. 24.

PRædicámus Christū crucifixum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam.

℣. A Dómino factum est istud: ℟. Et est mirábile in óculis nostris. *Ps.* 117. 23.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Parébit signum Fílii hóminis in cœlo: & vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa & majestáte. *Matth.* 24. 30.

Oratio.

DOmine Deus, qui discípulis tuis mortem tuam signíficans, te exaltátum à terra, ómnia tractúrum ad teípsum prænuntiásti; da nobis, quæsumus,

tibi crucifixo configurári, & non nisi in ipsa Cruce gloriári; Qui vivis, &c.

Fit Commem. de Octava Nativ. B. M. V. & de S. Cornelio, Martyre.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus; in Hymnis dicitur Doxologia.

Qui per Crucem nos líberas,
Fili, tibi laus máxima,
Cum Patre: nec tibi minor
Laus, utriúsque Spíritus. Amen.

AD PRIMAM.

In ℟. br. ℣. Qui hóminem reconcílias Deo per Crucem. *Ephes.* 2. 15. 16.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Pet.* 2. 24.

PEccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum; ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus.

℟. Cum Christo vetus homo noster simul crucifíxus est; * Ut destruátur corpus peccáti, & † Ultrà non serviámus peccáto. ℣. Ipse peccáta multórum tulit, & pro transgressóribus rogávit. * Ut destruátur. Glória. † Ultrà. *Rom.* 6. 4. 6. *Is.* 53. 12.

℣. Apud Dóminum misericórdia; ℟. Et copiósa apud eum redémptio. *Ps.* 129. 7.

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 5. 11.

GLoriámur in Deo per Dóminum nostrum Jesum Christum, per quem nunc reconciliatiónem accépimus.

℟. *br.* Remisísti * Iniquitátem plebis tuæ. Remisísti. ℣. Operuísti ómnia peccáta eórum. * Iniquitátem. Glória. Remisísti. *Ps.* 84. 3.

℣. Mitigásti omnem iram tuam; ℟. Avertísti ab ira indignatiónis tuæ *Ps.* 84. 4.

AD NONAM.

Capitulum. Ephes. 3. 16. 18. 19.

DEt vobis Deus, ut possítis comprehéndere quæ sit latitúdo, & longitúdo, & sublímitas, & profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi; ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

℟. *br.* Magnus Dóminus noster, * Et magna virtus ejus. Magnus. ℣. Et sapiéntiæ ejus non est númerus: * Et magna. Glória. Magnus. *Ps.* 146. 5.

℣. Notam fecísti in pópulis virtútem tuam; ℟. Redemísti in bráchio tuo pópulum tuum. *Ps.* 76. 15. 16.

Vesperæ de sequenti.

Pro Commem. Exaltat. S. Crucis, Ant. t. 1. *a.* Christo confíxus sum Cruci: vivo ego, jam non ego: vivit verò in me Christus: in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me, & trádidit semetípsum pro me *Galat.* 2. 19. 20.

℣. Quid mihi est in cœlo, & à te quid vólui super ter-

ram? ℟. Deus cordis mei, & pars mea Deus in ætérnum. *Ps.* 72. 25. 26.

Si Festum Exaltationis S. Crucis transferatur & habeat 2. Vesp. sumuntur Antiphonæ, Capit. & ℣. de Laudibus, Hymnus de 1. Vesp. & pro Antiph. ad Magnif. *Ant. ad Commem. ut suprà.*

Deinde fit Commem. de Octava Nativ. B. M. V. per Antiph. ad Magnif. *ex* 1. *Vesp. Festi.*

DIE XV.

S. APRI,

EPISCOPI TULLENSIS.

Duplex 3. Class.

Omnia de Communi unius Pontificis.

Oratio.

DEus, qui beáti Apri Pontíficis tui méritis delectáris & précibus: tríbue, quæsumus, ejus nos méritis refovéri, ac précibus adjuvári; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita apud Martene, Thes. nov. Tom. 3.

APer, in território Trecénsi, vico qui Tranquíllus dícitur, nobilibus & piis paréntibus éditus, & à púero diligénter Christiánæ religiónis institútus præcéptis, sic à cunis virtútum ómnium tyrocínia pósuit, ut in ténera ætáte, qualis futúrus esset in juveníli præmonstráret, puerílium inexpértus, circa Ecclesias & loca sancta frequens, perfectissimórum quorúmque sectator æmulus, ac præcípuè véluti innátâ in páuperes propensióne mirabilis; ádeò ut sæpiùs suâ quâ nudos vestíret, túnicâ se puer sanctus exúerit. Crevit autem cum annis illa quæ de útero matris cum eo egréssa videbátur miserátio; quippe qui juris sui factus, cunctas possessiónes suas paupéribus erogáverit. Cùmque his & áliis virtútum insígnibus longè latèque ipsíus fama crebrésceret, ad Pontifícium Leucórum, concórdi Sacerdótum ac cívium voluntáte, & commúni ómnium acclamatióne, non minùs raptus quàm eléctus addúcitur.

Lectio v.

IN Epíscopum assúmptus, idem constantíssimè persevéravit, qui priùs fúerat. Eadem in corde humílitas, in vestitu simplícitas, in cibo párcitas, in sólitis exercítiis assidúitas: nunc, ut ántea, mitis allóquio, vultu serénus, cunctis congréssu fácilis. Quin pótiùs tantùm augebántur lucra virtútis, quantùm erat sublímior dígnitas Sacerdótis. Omnibus nempe ómnia factus, ut omnes lucrifáceret, infírmus infírmis, afflíctis contristátus, púero párvulus, perfécto viro perféctus, ómnium in se visus est conditiónes & ætátes tamquam suas suscípere: ínsuper in verbi divíni dispensatióne ita assíduus,

ut nullum tempus à salutári prædicatióne, aut ætérnæ vitæ mónitis vácuum esse síneret; gémino sic modo subjectórum salúti cónsulens; quátenus eos vidélicet & verbo prædicatiónis, & exémplo boni óperis sédulò informáret.

Lectio vj.

NEc tantis virtútibus signa defuére: prætérquam quòd enim magnum in dæmones exercéret impérium, vexatósque à spirítibus immúndis solo Crucis signo liberáret, insígne illud de ipso refértur miráculum, quòd Cabillóne tribus reis neci addíctis, & in cárcere deténtis indulgéntiam ab Adriáno Júdice precátus, & íterum atque íterum repúlsam passus, quam ab hómine non pótuit exoráre vinctórum libertátem, hanc ab omnipoténte Deo mox impetráverit, damnatórum vínculis contínuò disrúptis, & cárceris fóribus divínitùs reserátis. His & plúribus áliis quibus elúxit Aper, clarus opéribus, dum novam extra muros Basílicam cónstruit, priúsquam suprémam óperi manum imponeret, ad labórum præmia vocátus, sepelítur in suburbánâ quam ædificáre cœperat, Ecclésiâ. Tanta autem mox ab óbitu fuit ipsíus sanctitátis opínio, ut séptimo ineúnte sæculo, illa in Subúrbio Basílica tituléri sancti Apri patrocínio jam gaudéret; & paulò post sub ipsíus nómine sancta Salabérga, & sanctus Hydúlphus Ecclésias dedicáverint.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. v. 42.

IN illo témpore; Dixit Dóminus Petro: Quis, putas, est fidélis dispensátor & prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Lib. de Cura Pastor. Part. 1 Cap. 9. & 10.

CUm curam pópuli eléctus Præsul súscipit, quasi ad ægrum médicus accédit. Si ergo adhuc in ejus córpore passiónes vivunt; quâ præsumptióne percússum medéri próperat, qui in fácie vulnus portat? Ille ígitur modis ómnibus debet ad exémplum bene vivéndi pértrahi, qui cunctis carnis passiónibus móriens, jam spiritáliter vivit, qui próspera mundi postpónit, qui nulla advérsa pertimésсit, qui sola intérna desíderat. Cujus intentióni bene cóngruens, nec omníno per imbecillitátem corpus, nec valdè per contumáciam repúgnat spíritus. Qui ad aliéna cupiénda non dúcitur; sed própria largítur. Qui per pietátis víscera citiùs ad ignoscédum flec-

titur; sed numquam plus quam déceat ignóscens, ab arce rectitúdinis inclinátur.

Lectio viij.

QUi nulla illícita pérpetrat; sed perpetráta ab áliis ut própria deplórat. Qui ex afféctu cordis aliénæ infirmitáti compátitur, sicque in bonis próximi sicut in suis profectibus lætátur. Qui ita se imitá bilem cæteris, in cunctis quæ agit, insínuat, ut inter eos non hábeat quod saltem de transáctis erubéscat. Qui sic studet vivere, ut proximórum quoque corda aréntia doctrínæ váleat fluéntis irrigáre. Qui oratiónis usu & experiménto jam dídicit quòd obtinére à Dómino quæ popóscerit, possit; cui prophéticâ voce jam quasi speciáliter dícitur: Adhuc loquénte te, dicam; Ecce adsum.

Lectio ix.

SI enim fortásse quis véniat, ut pro se ad intercedéndum nos apud poténtem quémpiam virum, qui sibi irátus, nobis verò est incógnitus, ducat; prótinus respondémus: Ad intercedéndum veníre non póssumus, quia familiaritátis ejus notítiam non habémus. Si ergo homo apud hóminem, de quo mínimè præsúmit, fíeri intercéssor erubéscit; quâ mente apud Deum intercessiónis locum pro pópulo árripit, qui familiárem se ejus grátiæ esse per vitæ méritum nescit? Aut ab eo quómodo áliis véniam póstulat, qui utrùm sibi placátus ignórat? Quâ in re adhuc áliud est sollicítiùs formidándum; ne qui placáre iram posse créditur, hanc ipse ex próprio reátu mereátur. Cuncti enim líquidò nóvimus, quia cùm is qui dísplicet, ad intercedéndum míttitur, iráti ánimus ad deterióra provocátur.

In Laudibus Comm. Octavæ Nativ. B. M. V. In Vesperis post Commem. de Octava, fit Comm. de sequenti, & de sancta Euphemia, Virgine.

DIE XVI.

S. CYPRIANI, CARTHAGINENSIS EPISCOPI & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Martyris.

Oratio.

BEáti Cypriáni, quæsumus, Dómine, nos tibi sancta comméndet orátio, qui simul & vigóre Sacerdótii cláruit, & glorióßæ passiónis triúmpho refúlsit; Per, &c.

Fit Comm. S. Euphemiæ Virg. & Martyris.

Oratio. Deus, qui inter, *pag.* li.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Hieron. de Scriptor. Eccles. ex Cypriani vita & passione apud Ruinart.

CYpriánus, Afer, primùm cum laude Rhetó-

ricam dócuit: exínde suadénte Presbytero Cæcílio, à quo & cognoméntum sortítus est, Christiánus factus, omnem substántiam suam paupéribus erogavit: ac post non multùm témporis eléctus in Presbyterum, étiam Carthaginénsis Epíscopus constitútus est. Hujus ingénii supérfluum est, inquit Hierónymus, índicem téxere, cùm sole clariora sint ejus ópera. In persecutióne Décii proscríptus, & divíno mandáto secédere jussus, Ecclésiæ laboránti, nec actu, nec mónitis défuit; & inter lapsórum importúnas petitiónes, & schismáticam Novatiáni severitátem, sic disciplínæ vigórem temperávit, ut ejus judícium & agéndi ratiónem cum lapsis vária dehinc Concília secúta sint.

Lectio v.

Grassánte póstmodum sub Gallo & Volusiáno Princípibus dirâ peste, quæ innúmeros per diem pópulos abrúpto ímpetu rápiens, treméntis vulgi álios contágio, álios horróre & fugâ dissipáverat; convocátam plebem suam de misericórdiæ bonis instítuens, ómnia pietátis offícia non fidélibus tantùm, sed étiam infidélibus per Christiános exhibéri curávit. Ab Ecclésia Románа sub Pontifícibus Cornélio & Lúcio sæpè consúltus, de baptísmo hæreticórum, cum Stéphano eórum successóre ácriter disputávit; sed, Augustíno teste, vicit pax Christi in córdibus eórum; nec dúbium sub Xisto Stéphani successóre concórdiam reparátam fuísse, cùm ipse Cypriánus Epístolâ octogésimâ, quam paulò ante óbitum scripsit, Succéssum móneat de ejúsdem Xisti Pontíficis passióne, núntiis quos Romam míserat, ut explorátam veritátem habéret, de gravíssimâ persecutióne & de Papæ Martyrio factus cértior.

Lectio vj.

Recrudescénte súbitò Valeriáni persecutióne, Cypriánus jam ante annum Curúbim in exilium missus, à Galério máximo Procónsule Carthágìnem, ut audirétur, vocátus est. Quem prodúctum coram se in Subúrbio Sexti, octávo décimo die Calendárum Octóbrium, sic allocútus est: Tu es Cypriánus, qui te Papam sacrilegæ mentis homínibus præbuísti? Jussérunt te Imperatóres sacrificáre: cónsule tibi, ne péreas. Sanctus Martyr respóndit: Ego sum Cypriánus, Christiánus sum, & diis sacrificáre non pótero. Irátus Procónsul dixit: Diu sacrílegâ mente vixísti, & inimícum te diis Románis constituísti: sánguine tuo sanciétur disciplína. Et his dictis, decrétum ex tabéllа recitátum est: Cypriánum gládio animadvérti placet. Cypriánus respóndit: Deo

grátias. Et cùm ducerétur, pópulus plangens & éjulans dicébat: Et nos decollémur cum ipso. Prodúctus autem in agrum extra Subúrbium, cùm se lacérnâ, byrro, & dalmáticâ expoliásset, stans in línea spiculatórem expectábat; qui cùm venísset, jussit suis ut ei vigínti quinque áureos darent. Póstea verò manu suâ óculos sibi texit, & sic gládio percússus occúbuit. Cujus corpus, nocte adveniénte, cum céreis in área cujúsdam Cándidi Procuratóris magno triúmpho sepúltum est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 9. 24.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Qui volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet illam; nam qui perdíderit ánimam suam propter me, salvam fáciet illam. Et réliqua.

Homília sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris.

Epist. 56. de Exhort. Mart. ad Thibarit.

GAudére nos in persecutiónibus vóluit Dóminus, quia tunc dantur corónæ fídei, tunc probántur mílites Dei, tunc Martyribus patent cœli. Neque enim sic nomen milítiæ dédimus, ut pacem tantúmmodo cogitáre, & recusáre milítiam debeámus, quando in ipsa milítia primus ambuláverit Dóminus, humilitátis, & tolerántiæ, & passiónis magíster; ut quod fíeri dócuit, prior fáceret; & quod pati hortátur, prior pro nobis ipse paterétur. Sit ante óculos, fratres dilectíssimi, quòd qui omne judícium à Patre solus accépit, & qui ventúrus est & judicatúrus, jam judícii sui & cognitiónis futúræ senténtiam protúlerit, prænúntians & contéstans confessúrum se coram Patre suo confiténtes, & negatúrum negántes... Neque áliquis persecutiónis metu sic terreátur, ut non Evangélicis exhortatiónibus & præcéptis, ac mónitis cœléstibus ad ómnia inveniátur armátus... Iráscitur adversárius & minátur; sed est qui possit de ejus mánibus liberáre: ipso præmonénte & dicénte: Qui amat ánimam suam, perdet illam: & qui odit ánimam suam in isto sæculo, in vitam ætérnam conservábit illam.

Lectio viij.

ECce agon sublímis & magnus, & corónæ cœléstis præmio gloriósus. Præliántes nos spectat Deus, spectant Angeli ejus; spectat & Christus. Quanta est glóriæ dígnitas? quanta felícitas, præsénte Deo cóngredi, & Christo júdice coronári? Armémur víribus totis, & parémur ad agónem mente incorrúptâ, fide íntegrâ, virtúte devótâ... Armat nos

Apóstolus, dicens, Indúite arma Dei, ut possitis resístere in die nequissimo... Induámus loricam justítiæ, ut contra inimíci jácula munítum sit pectus & tutum. Calceáti simus Evangélico magistério & armáti pedes; ut cùm serpens calcári à nobis cœperit, mordére & supplantáre non possit. * Portémus fórtiter scutum fidei, quo protegénte, quidquid jaculátur inimícus possit extíngui. Accipiámus ad teguméntum cápitis gáleam salutárem, ut muniántur aures, ne áudiant edícta ferália: muniántur óculi, ne vídeant detestánda simuláchra: muniátur frons, ut signum Dei incólume servétur: muniátur os, ut Dóminum suum Christum victrix lingua fateátur. Armémus & déxteram gládio spirituáli, ut sacrifícia funésta fórtiter réspuat, & Eucharístiæ memor, quæ Dómini corpus accépit, ipsum complectátur, póstea à Dómino sumptúra præmium cœléstium coronárum.

Lectio ix. de sancta Euphemia.

Ex Ecphrasi sancti Astérii, Epíscopi.

Extat in 7. Synod. Act. 4.

Fuit quædam sacra Virgo, nómine Euphémia, quæ incorrúptam Deo pudicítiam vóverat. Hæc, cùm Tyránnus aliquándo pios persequerétur, mortis periculum alácriter elégit. Porrò cives, & communicatóres religiónis pro qua & mórtua est, eam ut virílem & sacram Vírginem admirántes, pósito juxta sacrárium lóculo, honóres ei concélebrant, & annuátim diem festum agunt, ac solémnem: & Dei mysteriórum Hierophántæ sermóne étiam memóriam ejus honórant; & quáliter agónem passiónis perfécerit, pópulos qui adsunt diligénter édocent. Pictor autem piè agens, & ipse per artem, totam ejus históriam in sindone figúrans, circa ejus capsam sacrum hoc spectáculum pósuit. (In Subúrbio Chalcedonénsi, ipso in loco ubi martyrium igne consummávit, constrúcta est insígnis Basílica in qua celebrátum est Concílium Chalcedonénse generále quartum.)

In Vesperis Comm. S. Lamberti Trajecti Episcopi & Mart. ut infrà notatur post quatuor Tempora.

FERIA QUARTA

POST EXALTATIONEM SANCTÆ Crucis

Celebrantur quatuor Tempora Septembris, sic etiam Feriâ 6. & Sabbato: Officium fit de Feriâ, additis quæ his tribus Feriis propria sunt.

Si in quatuor Tempora occurrat Festum Semidupl. aut suprà, fit de Festo, cum Comm. de Feria, & Homil. in Evangel. legitur pro ultima Lect. De Simpl. fit tantùm Comm.

Lectio prim. & sec. de Script. occurr. fit una ex sec. & tertia.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio iij. Cap. 9. v. 16.

IN illo tempore; Respóndens unus de turba, dixit: Magíster, átturi filium meum ad te, habéntem spíritum mutum; qui ubicúmque eum apprehénderit, allídit illum, & spumat, & stridet déntibus, & aréscit: & dixi discípulis tuis ut ejícerent illum, & non potuérunt. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 58. in Matth.

SI fide opus est ut ejiciántur dæmones, cur jejunáre opórtet? quia vidélicet unà cum fide non parvas vires affert jejúnium: quamvis non jejúnio solùm, sed oratióne quoque, ac multò magis oratióne opus sit. Qui enim orat & jejúnat ut opórtet, is multis rebus non índiget, numquam fiet avárus: & qui non est avárus, prónior semper ad misericórdiam erit. Qui jejúnat, lévior est, & vigilánter orat, & cupiditátis incéndia extínguens, àc ánimam suam humílians, fácilè Deum placat. Si verò imbecíllis córpore jejunáre semper non potes, non eris tamen ad orándum infírmus, neque ad contemnéndas carnis delícias inválidus. Jejunáre quidem non potes, sed non vívere in delíciis potes; quod sanè parvum non est, nec magno intervállo à jejúnio distat. Sed súfficit étiam hoc diáboli furórem deprímere, cui nemo magis amícus est, quàm qui delíciis & ebrietáte maculétur. Hic enim fons, hæc mater, atque orígo vitiórum ómnium est.

℟. Sciróte quóniam * Exáudiet Dóminus preces vestras, si manéntes permanséritis in jejúniis & oratiónibus in conspéctu Dómini. ℣. Vigilémus, & sóbrii simus: sine intermissióne oráte: hæc est enim volúntas Dei. * Exáudiet. Glória. * Exáudiet. *Judith.* 4. 12. 1. *Thess.* 5. 6. 17. 18.

Ad Bened. *Ant. t.* 2. *D.* Discípuli secrétò interrogábant Jesum: Quare nos non potúimus ejícere spíritum immúndum? & dixit illis: Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne, & jejúnio. *Marc.* 9. 27. 28

Preces flexis genibus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, Dómine, famíliæ tuæ supplicánti, ut dum à cibis corporálibus ábstinet, à vítiis quoque mente jejúnet; Per Dóminum, &c.

Quæ Oratio dicitur ad Horas br. tantùm; & sic in símilibus.

CANON

Ex Concílio Moguntíno.

An. 813. *Can.* 35.

SI quis indíctum jejúnium superbiéndo contémpserit, & observáre cum cæte-

ris Christiánis noluerit, in Concílio Gangrénsi præcípitur ut anathematizétur, nisi emendáre se stúdeat.

Ad Vesperas, si fiat de Feria, omnia ut in Psalterio, cum Precibus flexis genibus, & Oratione de Dominica; & sic in similibus.

FERIA SEXTA.

QUATUOR TEMPORUM.

Lectio j. & ij. de Script. occurr.

Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio iij. Cap. 7. v. 36.

IN illo témpore; Rogábat Jesum quidam de Pharisæis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum Pharisæi, discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 33. in Evang. habita in Basilica S. Clementis Feria 6. quat. Temp. n. 5.

QUem Pharisæus de falsa justítia præsúmens, nisi Judáicum pópulum; quem peccátrix múlier ad vestígia Dómini véniens & plorans, nisi conversam gentilitatem desígnat? Nos ergo illa múlier expréssit, si toto corde ad Dominum post peccata redeámus, si ejus pœniténtiæ luctus imitémur... Si ígitur recta opera ágimus, quibus opinionis bonæ odóre Ecclesiam respergamus, quid in Domini corpore nisi unguéntum fundimus? Secus pedes Domini mulier stetit. Si ad veram pœniténtiam post peccáta convértimur, jam retro secus pedes Dómini stamus, quia ejus vestígia séquimur, quem impugnabámus. Lácrymis múlier pedes ejus rigat: quod nos quoque veráciter ágimus, si quibúslibet últimis membris Dómini per compassiónis affectum inclinámur, si Sanctis ejus in tribulatióne compátimur, si eórum tristítiam, nostram putámus. Capíllis múlier pedes, quos rigáverat, tersit: capíllis quoque pedes Dómini térgimus, quando Sanctis ejus, quibus ex charitáte compátimur, étiam ex his quæ nobis supérfluunt, miserémur.

℟. Sacrifícium Deo spíritus contribulatus; * Cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. ℣. Múlier peccátrix stans retrò secus pedes Jesu, lácrymis cœpit rigáre pedes ejus. * Cor. Glória. * Cor. *Ps.* 50. 19. *Luc.* 7. 38.

Ad Bened. *Ant. t.* 3. *a.* Convérsus Jesus ad mulíerem, dixit Simóni: Vides hanc mulierem? Dico tibi: remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multùm. *Luc.* 7. 44. 47.

Preces flexis genibus.

Oratio.

DEus, qui multùm diligéntibus multa peccáta remittis; infúnde córdibus nostris tui amoris af-

fectum; ut à multis, quibus onerámur, peccátis pro tua benignitáte liberémur; Per Dominum, &c.

C A N O N

Ex Synodo Aquénsi.

An. 1585. *Tit. de his quæ ad Ordinem spectant.*

HOrtátur hæc Synodus omnes qui ad Ordines promovéndi sunt, ut ántequam accédant, de peccátis ómnibus totíus anteactæ vitæ confiteántur ac spirituáles áliquas exercitatiónes ab Epíscopo præscribéndas óbeant, adhíbito sibi duce & moderatóre viro religióso, quem Epíscopus præfécerit.

S A B B A T O

Quatuor Temporum.

Lectio j. & ij. de Scrip. occurr.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 13. *v.* 6.

IN illo témpore; Dicébat Jesus hanc similitúdinem: Arborem fici habébat quidã plantátam in vínea sua, & venit quærens fructum in illa, & non invénit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Homil. 31. *in Evang. habit. Sabb. quat. Temp. n.* 2. & 3.

TErtiò Dóminus víneæ ad ficúlneam venit, quia natúram géneris humáni ante legem, sub lege, sub grátia, expectándo, admonéndo, visitándo requisívit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres sunt, ex quo vénio fructum quærens in ficúlnea hac, & non invénio. Venit ante legem; quia per naturalem intelléctum quid unusquísque exémplo suì, qualiter erga próximum ágere debuísset, innótuit. Venit in lege; quia præcipiéndo dócuit. Venit post legem per grátiam; quia pietátis suæ præséntiam exhibéndo monstrávit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenísse conquéritur; quia quorúmdam pravórum mentes nec inspiráta lex naturális córrigit, nec præcépta erúdiunt, nec incarnatiónis ejus mirácula convértunt. Quid verò per cultórem víneæ, nisi præpositórum ordo exprímitur? qui dum præsunt Ecclésiæ, nimírum Domínicæ víneæ curam gerunt.

℟. Arborem fici habébat quidam in vinea sua, & quærens fructum in illa, non invénit. Dixit ad cultórẽ víneæ: Succíde illam: * Ut quid terram óccupat? Ille dicit: † Dómine, dimítte illam usque dum fódiam circa illam. ℣. Ecce vigil & sanctus de cœlo descéndit; clamávit fórtiter, & sic ait: Succídite árborem: * Ut quid. Glória. † Dómine. *Luc.* 13. 6. 7. 8. *Dan.* 4. 10. 11.

Ad Bened. *Ant. t.* 4. *a.* Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidétur,

& in ignem mittétur. *Matth.* 3. 10.

Preces flexis genibus.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut salutáribus jejúniis castigáti & mundáti, mereámur bonórum óperum frúctibus abundáre; Per, &c.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi.

An. 1536. *Part.* 1. *Cap.* 1.

APostolórum exémplis docémur, quantâ curâ ac deléctu manûs impositiónem fieri opórteat.

DIE XVII.

S. LAMBERTI,

TRAJECTENSIS EPISCOPI & Martyris.

Simplex.

Omnia de Comm. unius Martyris.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xj.

Lectio j. & ij. de Script. occur. fit una & secunda & tertia.

Lectio iij.

Ex ejus vita, auctore Godesc. Diac. apud Mabil. Sæc. 3. P. 2.

LAmbértus Trajecto ad Mosam oriúndus, Theodárdo Trajecténsi Epíscopo & Mártyri suffféctus, justítiæ & libertátis públicæ se víndicem præbuit acérrimũ, eamque ob causam ab Ebroíno Palátii Majóre sub Rege Theodoríco, Episcopátu pulsus est. Cedéndum témpori ratus in Monastérium Stabulénse secéssit; ex quo post septénnium à Pippíno Cároli Martélli patre revocátus, ac sedi suæ restitútus, Toxándriæ íncolis Evangélii lucem íntulit. Cùm autem, ut refert sanctus Ado, régiam domum zelo religiónis increpásset; Dodo Pippíni doméslicus redeúntem è Matutínis Láudibus aggréssus est: eúmque in cubículo orántem unus è Dodónis satellítibus telo confódit Corpus ejus. Trajécti sepúltum, inde Leódium unà cum Episcopáli sede translátum fuit.

DIE XIX.

S. GOERICI,

EPISCOPI METENSIS.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Pontificis.

Oratio. Exaudi, *pag.* xxiv.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio. iv.

Ex ejus vita apud Sur. & Vincent. Bellov. & ex Hist. Episc. Metens. auct. Meur.

GOëricus, Aquitánus, virtútum ómnium stúdio non minùs quàm natálium splendóre illústris, vices régias in sua provincia laudabíliter gessit, córpore, non voto, sæculi negótiis implicátus, & sólita pietátis ópera cum váriis múneris sui curis compónere quoquo témpore studiosíssimus. Utróque orbátus óculo, ut

Tobías alter, immóbilis permánsit in timóre Dómini, cæcitátis plagam æquo sústinens ánimo; nec sine fructu: quippe quòd fámuli sui patiéntiæ & sincéræ pietáti volens Deus grátiam repéndere, ipsum cœlésti revelatióne admonúerit, ut civitátem Metensem properáret, ibi visum certò recuperatúrus. Páruit íllico divínis mónitis; statímque ad beátum Arnúlphum Meténsem Epíscopum proféctus, & ab ipso honorífice suscéptus, dum Basílicam in honórem sancti Petri Apostolórum Príncipis in urbe Meténsi cónstruit, fídei & munificéntiæ suæ præmium à Deo récipit, restitúto sibi oculórum lúmine.

Lectio v.

Episcopátum abdicánte Arnúlpho, & in Vósagi solitúdinem secedénte, commúni Cleri & pópuli suffrágio in ejus locum suffícitur Goërícus; quo in múnere nulli umquam défuit óptimi Pastóris offício, cuicúmque óvium suárum necessitáti próvidens, totus in ministério suo, aris assíduus, & Missæ Sacrifícium quotídie multis cum lácrymis offérre sólitus. Tantùm autem témporis jactúram abhórruit, ut ne mínimam quidem ejus partem lúdicris concéderet, semper sérius, semper de commissi sibi gregis reddéndâ ratióne sollícitus: cibi aliúnde parcíssimus, & in tali versátus abstinéntiâ, ut, quod in eo stupéndum, bíduo nonnúmquam triduóve nullum prorsus cibum súmeret.

Lectio vj.

Accéptâ beáti Arnúlphi morte, corpus ejus ex erémo Metas solémni cum apparátu transférri curávit Goërícus; sácraque pígnora, quæ multis per viam claruerant miráculis, in Ecclésia sancti Joánnis Baptístæ, quæ póstmodum sancti Arnulphi dicta est, honorífice repósuit. Dénique cùm plebem sibi créditam per annos octódecim sanctíssimè rexísset, jam sénio & assíduis conféctus labóribus, ex última ægritúdine in léctulo cinéribus conspérso decúmbens, orans & psallens ánimam Deo réddidit. Sacrum illíus corpus primùm extra urbem in Ecclésia sancti Symphoriáni cónditum, inde Spínalum à Theodorico Meténsi Epíscopo translátum est; cómite sibi sancto Gerárdo Tulléns Præsule, qui in hac translatióne miráculo coram ómnibus patráto & per Vindrícum in ejus vita conscrípto gloriosíssimè enítuit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25. v. 14.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábo-

lam hanc. Homo péregre proficiscens, vocavit servos suos; & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Gregórii Papæ.

Hom. 9. in Evang. n. 1.

Lectio sancti Evangelii, fratres charissimi, sollicitè considerare nos admonet, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cérnimur ab auctore mundi, grávius inde judicemur. Cum enim augéntur dona, rationes etiam crescunt donórum. Tantò ergo esse humilior, atque ad serviéndum Deo prómptior quisque debet ex múnere, quantò se obligatiórem esse cónspicit in reddénda ratióne. Ecce homo qui péregrè profíciscitur, servos suos vocat, eisque ad negótium talénta partítur. Post multùm verò témporis positúrus ratiónem revértitur; bene operántes pro apportáto lucro remúnerat, servum verò à bono ópere torpéntem damnat. Quis ítaque iste homo est qui péregrè proficiscitur, nisi Redémptor noster, qui servis suis bona sua trádidit, quia fidelibus suis spirituália dona concéssit? Et uni quidem quinque talénta, álii duo, alii verò commísit unum.

Lectio viij. n. 1. 2. 4. & 7.

Servus qui unum taléntum accéperat, ábiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Dómini sui. Taléntum in terra abscóndere, est acceptum ingénium terrenis áctibus implicare, lucrum spiritale non quærere, cor à terrenis cogitationibus numquam leváre. Servus qui geminata talenta retulit, à Domino laudatur, atque ad ætérnam remunerationem intromíttitur. Pigrum verò servum quà senténtià feriat, audiamus: Tollite ab eo taléntum, & date ei qui habet decem talenta. Sciendum verò est quod nullus piger ab hac talenti acceptione securus est. Nullus namque est qui veraciter dicat, Taléntum mínimè accepi, non est unde rationes pónere cogar. Taléntì enim nómine, cuilibet páuperi étiam hoc ipsum reputabitur, quod vel mínimum accépit.

Lectio ix.

Alius namque accépit intelligéntiam, prædicatiónis ministérium debet ex talénto. Alius terrénam substantiam accépit, erogatiónem taléntì debet ex rebus. Alius nec internórum intelligéntiam, nec rerum affluéntiam accépit, sed tamen dídicit artem quâ páscitur; ipsa ars ei in talenti acceptióne reputátur. Alius nihil horum assecútus est, sed tamen fortasse familiaritatis locum apud dívitem méruit; taléntum profectò familiaritátis accépit. Si ergo nihil ei

pro indigéntibus lóquitur, pro talénti retentióne damnátur. Habens ergo intelléctum, curet omníno ne táceat. Habens rerum affluéntiam, vígilet ne à misericórdiæ largitáte torpéscat. Habens artem quâ régitur, magnópere stúdeat ut usum atque utilitátem illíus cum próximo partiátur. Habens loquéndi locum apud dívitem, damnatiónem pro reténto talénto tímeat, si cùm valet, non apud eum pro paupéribus intercédit.

DIE XXI.

S. MATTHÆI,

APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Duplex 3. Class.

Omnia de Comm. Apostolorum, exceptis quæ sequuntur.

IN I. VESPERIS

Ad Magnif. *Ant. t. 8. c.*

Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthæum nómine; & ait illi: Séquere me. *Matth. 9. 9.*

Oratio ut infrà ad Laudes.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio iv. Cap. 3.

Matthæus, qui & Levi, ex Publicano Apóstolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisióne credíderant, Evangélium Christi Hebráïcis lítteris verbísque compósuit: quod quis póstea in Græcum transtúlerit, non satis certum est. Porrò ipsum Hebráïcum habétur usque hódie in Cæsariénsi bibliothéca, quam Pámphilus Martyr studiosíssimè confécit. Mihi quoque à Nazaræis, qui in Berœa, urbe Syriæ, hoc volúmine utúntur, describéndi facúltas fuit. In quo animadverténdum, quòd, ubicúmque Evangelísta, sive ex persóna sua, sive ex persóna Dómini Salvatóris, véteris Scriptúræ testimóniis útitur, non sequátur Septuaginta auctoritátem, sed Hebráïcam; è quibus illa duo sunt, Ex Ægypto vocávi Fílium meum; &, Quóniam Nazaræus vocábitur.

Ex libro sancti Epiphánii Epíscopi advérsùs hæreses.

Lectio v. Hæresi 51.

Matthæus, primus Evangélium scríbere aggréssus est; ei quippe inítio prædicándi Evangelii munus est commíssum; idque méritò. Oportébat enim ut ille qui ad salútem humáni géneris advénerat, quique díxerat, Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam; ad exémplum eórum qui salvándi erant, ei hómini potíssimùm prædicándæ salútis munus injúngeret, qui à peccátis convérsus & à telónio suscitátus fúerat: ut ab illo, quanta sibi esset advéntu Christi benígnitas collláta, hómines díscerent. Nam post remissiónem pec-

catórum, largítus est étiam ipsi suscitatiónem mortuórum, & fugatiónem dæmonum; ut non solùm verbo persuadéret auditóribus, sed facto étiam Evangélia pérditis homínibus prædicáret, quòd scílicet possint per pœniténtiam recuperári.

Lectio vj.

Sermo sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 1. in Matth.

IN véteri testaménto cùm Móyses ascendísset in montem, descéndit Deus: in novo verò, cùm nostra in cœlum esset eleváta natúra, Spíritus sanctus descéndit de cœlo. Non descendérunt Apóstoli de monte tábulas lapídeas afferéntes in mánibus, sicut Móyses; sed sanctum Spíritum mente portántes, & thesáurum quemdam dógmatum donorúmque gestántes. Sic innumerábiles pópulos attraxérunt, Deo per illórum linguam cunctis accedéntibus disserénte; à quo étiam Matthæus replétus Spíritu, Evangélium conscrípsit; Matthæus ille publicánus, non enim ab arte sua illum erubúerim nuncupáre, nec réliquos: hoc est enim quod máximè osténdit Spíritûs sancti grátiam, eorúmque virtútem. Non abs re verò scriptiónem suam Evangélium vocávit: síquidem pœnárum sublatiónem, véniam peccatórum, sanctificatiónem, justítiam, redemptiónem, adoptiónem filiórum, cœlórum hæreditátem, & cum Dei Fílio fraternitátem, ómnibus nuntiávit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9. v. 9.

IN illo témpore; Vidit Jesus hóminem sedéntem in telónio, Matthæum nómine. Et ait illi: Séquere me. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

In Matth. Lib. 1.

CÆteri Evangelístæ, propter verecúndiam & honórem Matthæi, noluérunt eum nómine appelláre vulgáto; sed dixérunt, Levi: dúplici quippe vocábulo fuit. Ipse autem Matthæus, secúndùm illud quod dícitur à Salomóne, Justus accusátor est suî in princípio sermónis; & in álio loco, Dic tu peccáta tua, ut justificéris; Matthæum se & Publicánum nóminat: ut osténdat legéntibus, nullum debére salútem desperáre, si ad melióra convérsus sit; cùm ipse de Publicáno in Apóstolum sit repéntè mutátus.

Lectio viij.

ARguit hoc loco Porphyrius, & Juliánus Augústus, vel imperítiam histórici mentiéntis, vel stultítiam eórum qui statim secúti sint Salvatórem, quasi irrationabíliter quémlibet vo-

cántem hominem sint secúti; cùm tantæ virtútes, tantaque signa præcésserint, quæ Apóstolos, antequam créderent, vidisse non dúbium est. Certè fulgor ipse, & majéstas divinitátis occúltæ, quæ étiam in humána fácie relucébat, ex primo ad se vidéntes tráhere póterat aspéctu. Si enim in magnéte lápide & súccinis hæc esse vis dícitur, ut ánnulos, & stípulas, & festúcas sibi cópulent; quantò magis Dóminus ómnium creaturárum ad se tráhere póterat quos vocábat?

Lectio ix.

ET factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni & peccatóres veniéntes discumbébant cum Jesu. Vidébant Publicánum à peccátis ad melióra convérsum, locum invenísse pœniténtiæ; & ob id étiam ipsi non desperábant salútem. Neque verò in prístinis vítiis permanéntes véniunt ad Jesum, ut Pharisæi & Scribæ múrmurant: sed pœniténtiam agéntes, ut sequens Dómini sermo signíficat, dicens: Misericórdiam volo, & non sacrifícium; non enim veni vocare justos, sed peccatóres. Ibat autē Dóminus ad convívia peccatórum, ut occasiónem habéret docéndi, & spirituáles invitatóribus suis præbéret cibos.

Ad Bened. *Ant.* 4. I. *f.* Relíctis ómnibus Levi secútus est Jesum: & fecit ei convívium magnum in domo sua. *Luc.* 5. 28. 29.

Oratio.

DEus, qui ad pœniténtiam peccatóres ineffábili misericórdiâ vocáre dignáris: da nobis exémplo & intercessióne beáti Matthæi, quem de Publicáno Apóstolum fecisti, ut te, relíctis ómnibus, sequi, tibi firmiter adhærére, & te liberâ voce ac bonis opéribus confitéri valeámus; Qui vivis, &c.

Ad Magnif. *in* 2. *Vesp. Ant.* 1. 6. *f.* Misericórdiam volo, & non sacrifícium: non enim veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam. *Matth.* 9. 13. *Luc.* 5. 32.

Fit Commem. de sequenti.

DIE XXII.

SS. MAURICII, ET SOCIORUM MARTYRUM.

Semiduplex.

De Communi plurium Martyrum.

Oratio.

ANnue, quæsumus, omnípotens Deus, ut sanctórum Mártyrum tuórum Maurícii & Sociórum ejus nos lætíficet votíva festívitas; ut quorum suffrágiis nítimur, eórum natalítiis gloriémur; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Epist. S. Eucherii Lugd. ad Sylvium apud Ruinart.

SUb Maximiáno, qui Románæ reipúblicæ cum

Diocletiáno impérium ténuit, erat in exércitu légio mílitum qui Thebæi appellabántur. Hi in auxílium Maximiáno ab Oriéntis pártibus accíti vénerant, viri in rebus béllicis ſtrénui & virtúte nóbiles, ſed nobilióres fide, erga Imperatórem fortitúdine, erga Chriſtum devotióne certábant; Evangélici præcépti étiam ſub armis non immémores. Tranſcénſis ígitur Alpibus, Maximiánus Cæſar Octodúrum venit: ibíque ſacrificatúrus idólis ſuis conveníre exércitum juſſit, atróci propóſitâ juſſióne ut per aras dæmónibus conſecrátas jurárent. Soli id Thebæi detrectáre auſi ſunt; eóque cógnito, Maximiánus irâ præcípiti férvidus, Agáunum mittit, ubi illi octávo ab Octodúro milliári consédera nt, ac décimum quemque gládio feríri jubet, cæteros parére mandátis. Ubi verò ad Thebæos denuntiátio iteráta pervénit, vociferátio paſſim in caſtris exóritur, affirmántium numquam ſe ulli in hæc tam ſacrílega miniſtéria ceſſúros, idolorum ſe profána ſemper deteſtátos, Chriſtiánis ſe imbútos ſacris, extréma quæque experíri sátius eſſe, quàm advérsùs Chriſtiánam fidem veníre. His compértis, Maximiánus furens ímperat ut íterum décimus eórum morti detur: & cæteri nihilóminus ad ea quæ ſpréverant compellántur. Quibus juſſis dénuò in caſtra perlátis, percúſſus eſt qui décimus ſorte obvénerat.

Lectio v.

Flagrábat in illis martyrii glorióſus ardor, incitánte imprímis ſancto Mauricio tunc Primicério legiónis, qui cum Exſupério campi Ductóre & Cándido Senatóre mílitum, síngulos hortabátur ut pro ſacraménto Chriſti ánimas ultrò profúnderent, ſequerentúrque contubernáles ſuos, qui jam in cœlum præcéſſerant. His ítaque primóribus ſuis atque auctóribus accénſi, Maximiáno adhuc insániâ æſtuánti mandáta hæc mittunt ſicut pia, ita & fórtia: Mílites ſumus, Imperátor, tui; ſed tamen ſervi, quod líberè confitémur, Dei: tibi milítiam debémus, illi innocéntiam: tenémus ecce arma, & non resíſtimus: ſi quid in nos ultrà ſtatúeris, ignes, torménta, ferrum ſubíre paráti ſumus, Chriſtiános nos fatémur.

Lectio vj.

Cum hæc tália Maximiánus audíſſet, obſtinatóſque in Chriſti fide cérneret virórum ánimos, deſpérans glorióſam eórum conſtántiam poſſe revocári, unâ ſenténtiâ intérfici omnes decrévit, & rem cónfici jubet circumfúſis mílitum agmínibus. Qui cùm miſſi ad bea-

tíssimam legiónem veníssent, stringunt in sanctos ímpium ferrum, mori non recusántes vitæ amóre. Cædebántur itaque passim gladiis, non reclamántes saltem aut repugnántes; sed depósitis armis, cervíces persecutóribus, júgulum percussóribus, vel intéctum corpus offeréntes. Non vel ipsâ suórum multitúdine eláti sunt, ut ferro conaréntur asérere justítiæ causam; sed hoc solùm reminiscéntes se illum confitéri, qui nec reclamándo ad occisiónem ductus est, & tamquam agnus non apéruit os suum; ipsi quoque tamquam grex Domínicus óvium, laniari se ab irruéntibus lupis passi sunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 6. v. 17.

IN illo témpore; Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulorum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysostomi.

Serm. quod Martyres imit. sunt, aut non laudandi.

QUi Sanctórum mérita religiósâ charitáte mirátur, quique justórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque justítiam imitétur; quóniam quem deléctat Sancti alicújus méritum, delectáre debet par circa Dei cultum obséquium. Quare, aut imitári debet, si laudat; aut laudáre non debet, si imitári detréctat: ut qui laudat, laudábilem se reddat; & qui Sanctórum mérita admirátur, mirábilis ipse vitæ sanctitáte reddátur. Nam si proptérea justos fidelésque dilígimus, quòd in ipsis justítiam fidémque suspícimus; póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt. Neque enim difficile nobis est quod ab ipsis géritur imitári, cùm sine præcedénti exémplo ab antíquis tália gesta conspícimus; ut non ipsi aliórum æmuli redderéntur, sed æmulándæ virtútis seípsos nobis præbérent exémplum: ut dum nos ex ipsis, & ex nobis álii profíciunt, sic Christus in suis semper servis in Ecclésia sancta laudétur.

Lectio viij.

UNde ab orígine mundi ínnocens Abel occíditur; Enoch Deo placens transfértur; justus Noë invenítur; Abraham fidélis probátur; Móyses mansuétus agnóscitur; Jesus castus, David lenis, Helías accéptus, Dániel sanctus, tres púeri victóres reddúntur: Apóstoli, discípuli Christi, credéntium magístri habéntur, è quibus erudíti Confessóres fortíssimi pugnant, Mártyres per-

fecti triúmphant, & Christiáni semper exércitus diabolum Deo armati debéllant. In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victoriæ. *Lectio ix.*

UNde, tu Christiáne, delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exere vires, fórtiter dímica, atróciter in prælio isto concérta. Consídera pactum, conditiónem atténde, milítiam nosce; pactum, quod spopondísti; conditiónem, quâ accessísti; milítiam, cui nomen dedísti. Hoc enim pacto, quos miráris cuncti pugnárunt; hâc conditióne univérsi vicérunt; hâc milítiâ omnes triumphárunt.

In Vesp. Commem. de sequenti.

DIE XXIII.

S. LINI, PAPÆ ET MARTYRIS.

Simplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio. Fac nos, *pag.* xj.

Comm. S. Theclæ, Virginis, & Martyris.

Oratio. Deus, qui inter cætera, *pag.* lj.

Lectio j. de Script. occurr. ex tribus fit una.

Lectio ij.

Ex libro tértio sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris advérsùs hæreses. *Cap* 3. *n.* 2. *&* 3.

MAximæ & antiquíssimæ, & ómnibus cógnitæ, à gloriosíssimis duóbus Apóstolis, Petro & Paulo, Romæ fundátæ & constitútæ Ecclésiæ, eam quam habet ab Apóstolis traditiónem, & annuntiátam homínibus fidem, per successiónes Episcopórum perveniéntem usque ad nos, vindicántes, confúndimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sui placéntiã malam, vel vanã glóriam, vel per cæcitatẽ & malã senténtiã prætérquã opórtet, cólligunt. Ad hanc enim Ecclésiam propter potentiórem principalitátem, necésse est omnem convenire Ecclésiã; hoc est, eos qui sunt úndique fidéles; in qua semper ab his qui sunt úndique, conserváta est ea, quæ est ab Apóstolis, tradítio. Fundántes ígitur & instituéntes Apóstoli Ecclésiam, Lino Episcopátum administrándæ Ecclésiæ tradidérunt. Hujus Lini Paulus in his quæ sunt ad Timótheum, Epístolis méminit. Succédit autem ei Anaclétus.

Lectio iij. de S. Thecla.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de Virgínibus.

Lib. 2. *Cap.* 3.

THecla cópulam fúgiens nuptiálem, & sponsi furóre damnáta, natúram étiam bestiárum virginitátis veneratióne mutávit. Namque paráta ad feras, cùm aspéctus quoque declináret virórum, ac vitália ipsa sævo offérret leóni, fecit ut qui impudícos detúlerant óculos, pudícos reférrent. Cér-

mere erat lingéntem pedes béstiam cubitáre humi, muto testificántem sono quòd sacrum Vírginis corpus violáre non posset. Ergo adorábat prædam suam béstia: & própriæ oblita natúræ, natúram indúerat quam hómines amíserant. Vidéres quâdam natúræ transfusióne hómines feritátem indútos, sævitiam imperáre béstiæ, béstiam exosculántem pedes Vírginis, docére quid hómines debérent. Tantùm habet virgínitas admiratiónis, ut eam étiam leónes mirénur. Non impástos cibus flexit, non citátos ímpetus rápuit, non stimulátos ira exasperávit, non usus decépit assuétos, non feros natúra possédit. Docuérunt religiónem, dum adórant Mártyrem.

Die xxiv.

S. SALABERGÆ, VIDUÆ.

Simplex.

De Comm. S. Viduæ.

Oratio. Tuórum corda, *pag.* lvij.

Lectio j. & ij. de Script. occurr. fit una ex 2. & 3.

Lectio iij. Ex ejus vita apud Mabil. 2. Sæc. Bened.

Salabérga sancti Bodónis Epíscopi Tulléneis soror, infans lumínibus orbáta, & à sancto Eustásio Luxoviénsi Abbáte, post triduánum jejúnium, in prístinum oculórum usum incunctánter restitúta, Gundoíni patris voluntáti parens, invíta núptiis semel & íterū alligáta est. Blandíno cui secúndis núptiis conjúncta erat, ad cœlibem vitam convérso, & líberis quos ex eo suscéperat, Deo sacrátis, ipsa religiónis vestem índuit, & beáti Valbérti, qui Eustásio successerat, consílio, viríque sui assénsu, in possessióne patérnâ ad Burgúndiæ & Austrásiæ confínium, Cœnóbium extrúxit, prædiísque ditávit; in quo puéllæ ámpliùs centum Christo consecrátæ sunt. Cùm autem Cœnóbium illud utriúsque regni bellis pérvium esset, vérita prudens múlier ne sexus imbéllis militári obnóxius fieret injúriæ, sancto Valbérto cómite & consílii auctóre, cum Virgínibus ámpliùs centum Laudúnum venit: & ab Attilóne Epíscopo cum Clero honorífice occurrénte in urbem dedúcta, nóbile & amplum cum Oratóriis septem cóndidit Cœnóbium: ubi brevi confluéntibus nobílium Francórum puéllis, vírgines ferè trecéntæ congregátæ sunt: quas in turmas dívidens Salabérga, perénnem Deo laudem, more Agaunénsium Monachórum, Virginúmque Habendénsiū, die noctúque concinéndam instítuit. Tandem de instánte morte præmónita, post data convocátis soróribus salútis mónita, virtútibus ómnibus illústris óbiit anno cir-

citer sexcentésimo quinquagésimo sexto.

DIE XXV.

S. FIRMINI,
AMBIANENSIS
Epíscopi & Martyris.

Simplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Actis apud Bosq. Lib. 5. Hist. Eccl. Gall. & Coint. Tom. 4.

FIrmínus Pampelonénsis, à beato Honésto sancti Saturníni Epíscopi Tolosáni discípulo baptizátus, & à sancto Honorato Saturníni successóre Epíscopus ordinátus, primùm Aginnénsibus, deínde Arvérnis, tum Andibus, ac demum Bellóvacis Evangélium prædicásse tráditur. Inde Ambiános venit, ubi post vária torménta cápite truncátus est in persecutióne Maximiáni, Rictiovaro Prǽside. Elápsis quátuor ferè sǽculis, regnánte Theodoríco Clodovæi junioris & Batíldis Regínæ fílio, sanctus Sálvius Ambianénsis Epíscopus, reveláto sibi divínitùs Mártyris sepúlchro, edúctum inde corpus in urbem, cum hymnis & cánticis, solemníque concúrsu pópuli vestiménta sua substernéntis, tránstulit; atque in crypta Basílicæ, quam ipse cónstrui curáverat, & quæ Cathedrális est, honorífice cóndidit; sepulchrúmque auro & gemmis ornávit.

DIE XXVII.

Ss. COSMÆ
ET DAMIANI,
Mártyrum.

Semiduplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio.

MAgníficet te, Dómine, sanctórum tuórum Cosmæ & Damiáni veneránda solémnitas, quâ & illis glóriam sempitérnam, & opem nobis ineffábili providéntiâ contulísti; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Theodor. Procop. Marcell. Com. ex actis 7. Synodi generalis & aliis.

COsmas & Damiánus fratres, natióne Arabes, arte médici, Mártyres celebérrimi, antiquíssimo ritu colúntur, tum in Orientáli, tum in Occidentáli Ecclésia. In urbe Cyro, in quam primùm eórum córpora credúntur fuísse transláta, célebrem sub eórum nómine eréctam fuísse Basílicam, testis est sǽculo quinto Theodorétus, ejúsdem urbis Epíscopus. Póstea hanc ipsam urbem Justiniánus Imperátor, referénte Procópio, auxit, munívit & decorávit, in memóriam recuperátæ divínitùs, sanctórum Mártyrum benefício, valetúdinis. Idem Imperátor Constantinópoli Basílicam sub eórum nómine, & quidem magni-

ficentíssimam constrúxit, destrúctâ véteri quæ jam à tempóribus Theodósii junióris fúerat sub eórum invocatióne Deo dicáta. Hæc jam pridem erat clara & multis frequentáta miráculis; quorum, ut refert Marcellínus comes, auxit famam & celebritátem sánitas Sanctórũ ope restitúta Lauréntio Epíscopo Lychnidis.

Lectio v.

IN séptima Synodo œcuménica referuntur mirácula quædam, sanctórum Cosmæ & Damiáni patrocínio à Deo impetráta; traditúrque coli solére depictas in Basílicis & privátis in ædibus horum Mártyrum imágines, eorúmque ope salútem ægris étiam desperátis plerùmque fuisse restitútam. Romæ autem eórum cultum non minùs célebrem fuisse testátur, non solùm dicata Deo sub illórum nómine in foro Románo à sancto Felíce, sancti Gregórii magni átavo, Ecclésia; sed étiam insértum jam ántea Cánoni Missæ sanctórũ Mártyrũ nomen. Horum Relíquias Joánnes de Bellomónte Eques, dum ab expeditióne sacrâ témpore Alexándri Papæ tértii, reverterétur, asportávit in Gállias, & apud Lusárcam in Basílica sancti Ætérni Ebroïcénsis Epíscopi, sub custódia Canonicórum depósuit.

Ex libro sancti Gregorii Turonénsis, de miraculis.

Lectio vj.

Lib. j. Cap. 98.

DUo gémini, Cosmas & Damiánus, arte medici, postquam Christiáni effécti sunt, solo virtútum mérito & oratiónum intervéntu infirmitátes languéntium depellébant. Qui divérsis cruciátibus consummáti, cœléstibus sunt conjúncti, multa mirácula íncolis ostendéntes; nam si quis infirmus ad eórum sepúlchrum fide plenus oráverit, statim adipíscitur medicínam. Réferunt autem pleríque apparére eos per visum languéntibus, & quid fáciant indicáre; quod cùm fecerint, sani discédunt. Vocántur à Græcis Anárgyri, quòd medicínam absque lucro exercérent.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 6. v. 17.

IN illo témpore; Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Matth. Hom. 14. n. 3.

UBíque, si quando res insólita & inopináta accidat, si novum inducátur vitæ institútum, signa solet

Deus fácere, potentiæ suæ pignora præbens iis qui leges susceptúri sunt. Sic ítaque cùm hómĭnem factúrus erat, mundum totum creávit, tuncque ipsi legem illam in paradíso dedit... Cùmque Judæis legem statutúrus esset, mirácula fecit & prodígia magna. Ita & nunc excélsum quódpiam institútum inductúrus, mirabílium operatióne dicta sua confírmat. Quóniam enim regnum illud quod prædicabátur, non apparébat; ex iis quæ sub aspéctum cadébant, id quod occúltum erat maniféstum fecit.

Lectio viij.

ET vide mihi quómodo non síngulos eórum qui sanáti sunt comméĭnoret Evangelísta; sed brevi sermóne innúmera signa prætercúrrat. Nam ait: Obtulérunt Christo omnes malè habéntes váriis languóribus, & torméntis corréptos, dæmónia habéntes, lunáticos, paralyticos: & sanávit eos. Ex longínquo ægros afferébant, non allatúri, nisi magnam de illo opiniónem concepíssent. Et nos quoque illum sequámur: nam multis ánimi morbis laborámus, & hos ille præcípuè vult curáre. Ideò enim illa mala curat, ut hæc expéllat ex animábus nostris.

Lectio ix.

JAm verò si morbo corpóreo laborémus, ómnia fácimus, ómnia movémus, ut ab illa moléstia eruámur; ánimâ verò nostrâ malè se habénte, cunctámur & refúgimus. Ideò neque ab illis liberámur; quóniam quæ necessária sunt, minóris moménti fácimus; quæ verò minóris moménti, necessária dúcimus: & malórũ fonte dimísso, rívulos purgáre vólumus. Tollámus ítaque malórum fontem, & morbórum fluénta statim siccabúntur... Accedámus ígitur & nunc ad Christum, rogémus ut resolútam ánimam nostram constríngat; & sæculáribus missis ómnibus, spirituálium tantùm ratiónem habeámus.

DIE XXIX.

S. MICHAELIS, ET OMNIUM Ss. ANGELORUM.

Duplex 1. Class.

AD I. VESPERAS.

Quanta potestas & magnificentia ejus, cui trementes ministrant Angeli!

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. *a.* VIdi Dóminum sedéntem super sólium excélsum & elevátum: & ea quæ sub ipso erant, replébant templum. *Is.* 6. 1.

Ant. t. 2. *D.* Séraphim stabant super illud; & clamábant alter ad álterũ: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus exercítuum. *Is.* 6. 2. 3.

Ant. t. 3. *a.* Eleváta est glória Dómini désuper Chérub: & sónitus alárum Chérubim audiebátur quasi vox Dei omnipoténtis loquéntis. *Ezech.* 10. 4. 5.

Ant. t. 6. f. Thronus ejus flammæ ignis: míllia míllium ministrábant ei, & décies míllies centéna míllia assistébant ei. *Dan. 7. 9. 10.*

Ant. t. 7. a. Benedíctus es in throno regni tui, Dómine, qui intuéris abyssos, & sedes super Chérubim. *Dan. 3. 54. 55.*

Capitulum. Job. 38. 5. 7.

QUis pósuit mensúras terræ? vel quis teténdit super eam líneam, cùm me laudárent simul astra matutína, & jubilárent omnes filii Dei?

℟. Dómine exercítuum Deus Israel, * Qui sedes super Chérubim, tu es Deus solus ómnium regnórum terræ, † Tu fecísti cœlum & terram. ℣. Dómine Deus noster, tu creásti ómnia, & propter voluntátem tuam erant, & creáta sunt. * Qui sedes. Glória. † Tu fecísti. *Is. 37. 16. Apoc. 4. 11.*

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

CHriste, qui sedes olympo,
Par Deo Patri Deus,
Quem tremíscunt intuéndo
Parióres Spíritus:
Da choris junctos supérnis
Ore puro psállere.

Inter omnes fulguránti
Ense victor émicat,
Qui dracónis insoléntem
Cóntudit feróciam,
De polo trusit rebéllem
In profúnda tártara.

Dum supérbum sternis hostem,
Intonas, Quis ut Deus?
Obstináta turba præceps
Clade commúni ruit:
Te triumphántem corónat
Qui tibi dat víncere.

Tu decóre vincis omnes,
Alitûm pulchérrime:
Assides Deo propínquus
Cónsilî tu párticeps:
Astra claudis & reclúdis,
Nosque sistis Júdici.

Te treméndo poscat æger
Mortis in luctámine,
Advolántis efficácem
Séntiet præséntiam:
Córporis vinclis solútum
Mox ad astra tránsferes.

Sit supréma laus Parénti,
Qui creávit ómnia;
Filióque qui redémit
Morte nos volens suâ:
Par & illi, cujus almo
Confovémur hálitu.
Amen.

℣. Dómine Deus, magnificátus es veheménter; ℟. Qui facis Angelos tuos, Spíritus. *Ps. 103. 1. 4.*

Ad Magnif. Ant. t. 8. G. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: laudáte & superexaltáte eum in sǽcula. *Dan. 3. 58.*

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Caput omnis Principátûs & Potestátis Christum, * Venite, adorémus. *Colos. 2. 10.*

IN I. NOCTURNO.

Per Michaelem vincitur hostis generis humani, serpens antiquus.

Psalmi de Feria: & sic in toto Officio.

Ant. t. 7. a. Vidit Jósue virum, evaginátum tenentem gládium, & ait: Noster es, an adversariórum? Qui respóndit: Sum Princeps exércitûs Dómini. *Josue.* 5. 13. 14.

Ant. t. 1. a. Ecce Míchael unus de Princípibus primis venit in adjutórium meum. *Dan.* 10. 13.

Ant. t. 3. a. Tétigit me quasi vísio hominis, & ait: Nemo est adjútor meus, nisi Míchael Princeps vester. *Dan.* 10. 18. 20. 21.

℣. Quis in núbibus æquábitur Dómino, ℟. Símilis erit Deo in fíliis Dei? *Ps.* 88. 7.

Tres Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Factum est prælium magnum in cœlo: * Míchael & Angeli ejus præliabántur cum dracone: & projectus est draco ille magnus, qui sedúcit universum orbem. ℣. Quómodo cecidísti de cœlo, Lucifer, qui dicebas: Super astra Dei exaltabo sólium meum? Ad intérnum detraheris in profundum laci. * Michael. *Apoc.* 12. 7. 9. *Is.* 14. 12. 13. 15.

℟. 2. Cum Míchael Archángelus cum diábolo dispután, altercarétur de Moysi córpore, non est ausus judícium inférre blasphémiæ: sed dixit: * Imperet tibi Dóminus. ℣. Coram Angelo Dómini satan stabat, ut adversarétur ei: & dixit Dóminus ad satan: Increpet Dóminus in te, satan, qui elégit Jerúsalem.* Imperet. *Judæ* 9. *Zach.* 3. 1. 2.

℟. 3. Consúrget Míchael Princeps magnus qui stat pro fíliis pópuli tui: & * In témpore illo † Salvábitur omnis qui invéntus fúerit scriptus in libro. ℣. Vidi Angelum fortem descendéntem de cœlo, & habébat in manu sua libéllum apértum; & jurávit per vivéntem in sæcula sæculórum, Quia cùm cœperit tubâ cánere, consummábitur mystérium Dei.* In témpore. Glória. † Salvábitur. *Dan.* 12. 1. *Apoc.* 10. 1. 2. 6. 7.

IN II. NOCTURNO.

Per Gabrielem perditis hominibus annuntiatur redemptio.

Ant. t. 1. f. Me loquénte in oratióne, ecce vir Gabriel cito volans tetigit me in témpore sacrifícii vespertíni. *Dan.* 9. 21.

Ant. t. 4. a. Locútus est mihi Gabriel; Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt, ut impleatur vísio, & ungatur Sanctus sanctórum. *Dan.* 9. 22. 24.

Ant. t. 7. a. Dixit Gábriel: Ego veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadverte sermonem. *Dan.* 9. 22. 23.

℣. Benedícite Dómino, omnes Virtútes ejus, ℟. Ministri ejus, qui facitis voluntátem ejus. *Ps.* 102. 21.

Sermo sancti Gregórii Papæ.

Lectio iv.

Hom. 34. *in Evang. n.* 7.

NOvem Angelórum órdines esse, testánte sacro elóquio, scimus; Angelos, Archángelos, Virtútes, Potestátes, Principátus, Dominatiónes, Thronos, Chérubim, atque Séraphim. Esse namque Angelos & Archángelos penè omnes sacri elóquii páginæ testántur. Chérubim verò atque Séraphim sæpè, ut notum est, libri Prophetárum loquúntur. Quátuor quoque ordinum nomina Paulus Apóstolus ad Ephésios enúmerat, dicens: Supra omnem Principátum, & Potestátem, & Virtútem, & Dominatiónem. Qui rursus ad Colossénses scribens, ait: Sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes... Dum ergo illis quátuor quæ ad Ephésios dixit, conjungúntur Throni, quinque sunt órdines: quibus dum Angeli & Archángeli, Chérubim atque Séraphim adjúncti sunt, procul dúbio novem esse Angelórum órdines inveniúntur.

℟. Angelus dixit Zacharíæ: Ego sum Gabriel qui asto ante Deū: * Et missus sum hæc tibi evangelizáre, quæ implebúntur in témpore suo. ℣. Gábriel venit, & ait ad me: Intéllige, fili hóminis, quóniam in témpore finis complébitur vísio. * Et missus. *Luc.* 1. 19. 20. *Dan.* 8. 17.

Lectio v. n. 8. *&* 9.

SCiéndum quoque, quòd Angelórum vocábulum, nomen est officii, non natúræ. Nam sancti illi cœléstis pátriæ Spíritus, semper quidem sunt Spíritus, sed semper vocári Angeli nequáquā possunt; quia tunc solum sunt Angeli, cùm per eos áliqua nuntiántur. Unde & per Psalmístam dicitur: Qui facit Angelos suos, Spíritus. Ac si paténter dicat: Qui eos, quos semper habet Spíritus, étiam cùm volúerit, Angelos facit. Hi autem qui mínima núntiant, Angeli; qui verò summa núntiant, Archángeli vocántur. Hinc est enim quòd ad Maríam vírginem non quílibet Angelus, sed Gábriel Archángelus míttitur. Ad hoc quippe ministérium summum Angelum veníre dignum fúerat, qui summum ómnium nuntiábat. Qui idcírco étiam privátis nomínibus censéntur, ut signétur per vocábula étiam in operatióne quid váleant. Míchael namque, Quis ut Deus? Gábriel autem, Fortitúdo Dei; Ráphael verò dícitur, Medicína Dei.

℟. Missus est Angelus Gábriel à Deo ad Vírginem, & nomen Vírginis, Maria

Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratiâ plena, * Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus: ℣. Angelus Dómini dixit ad eam: Concípies & páries filium, & ipse incípiet liberáre Israel. * Dóminus. *Luc.* 1. 26. 27. 28. *Judic.* 13. 3. 5.

Lectio vj.

QUóties miræ virtútis áliquid ágitur, Míchael mitti perhibétur: ut ex ipso actu & nómine detur intélligi, quia nullus potest fácere quod fácere prævalet Deus. Unde & ille antíquus hostis, qui Deo esse per supérbiam símilis concupívit, dicens: In cœlum conscéndam, super astra cœli exaltábo sólium meum, símilis ero Altíssimo; dum in fine mundi in sua virtúte relinquétur extrémo supplício periméndus, cum Michaéle Archángelo præliatúrus esse perhibétur; sicut per Joánnem dícitur: Factum est prælium cum Michaéle Archángelo.. Ad Maríam quoque Gábriel míttitur, qui Dei Fortitúdo nominátur. Illum quippe nuntiáre veniébat, qui ad debellándas aéreas potestátes húmilis apparére dignátus est... Ráphael quoque interpretátur, ut díximus, Medicína Dei: quia dum Tobíæ óculos quasi per offícium curatiónis tétigit, cæcitátis ejus ténebras tersit.

℟. Dócuit me Gábriel, dixítque: Scito, & animadvérte: Post hebdómades sexaginta duas occidétur Christus: * Et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est: & civitátem dissipábit pópulus cum duce ventúro. † Confirmábit autem pactum multis hebdómadâ unâ: & in dimídio hebdómadis defíciet hóstia & sacrifícium. ℣. Dictum est mihi (ab Angelo:) Atrium datum est Géntibus, & civitátem sanctam calcábunt, ubi & Dóminus crucifixus est. * Et non erit. Glória. † Confirmábit. *Dan.* 9. 22. 25. 26. 27. *Apoc.* 11. 1. 2. 8.

IN III. NOCTURNO.

Per Raphaelem ægris medicina mittitur.

Ant. *t.* 7. *D.* Exaudítæ sunt preces Tobíæ, & Saræ: & missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael, ut curáret eos. *Tob.* 3. 24. 25.

Ant. *t.* 8. *c.* Dixit Tobíæ Ráphael Angelus: Ego sanum ducam, & sanum tibi redúcam filium tuum. *Tob.* 5. 20.

Ant. *t.* 1. *d.* Ráphael Angelus apprehéndit dæmónium, & religávit illud. *Tob.* 8. 3.

℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum; ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33. 8.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 18 *v.* 1.

IN illo témpore; Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes;

dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. 10. *de Civitate Dei*, *Cap.* 7.

Meritò (sancti Angeli) in cœléstibus sédibus constitúti, immortáles & beáti, qui Creatóris sui participatióne congáudent, cujus æternitáte firmi, cujus veritáte certi, cujus múnere sancti sunt; quóniã nos mortáles & míseros, ut immortáles beatíque simus, misericórditer díligunt, nolunt nos sibi sacrificáre; sed ei cujus & ipsi nobíscum sacrifícium se esse novérunt. Cum ipsis enim sumus una Cívitas Dei, cui dícitur in Psalmo, Gloriósa dicta sunt de te, Cívitas Dei; cujus pars in nobis peregrinátur, pars in illis opitulátur. De illa quippe supérna Civitáte, ubi Dei volúntas intelligíbilis atque incommutábilis lex est, de illa supérna quodámmodo cúria, (géritur namque ibi cura de nobis) ad nos ministráta per Angelos sancta Scriptúra descéndit.

℟. Dixit Ráphael ad Tobíam; * Quando orábas cum lácrymis, & sepeliébas mórtuos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. ℣. Oratiónes tuæ, & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriã in conspéctu Dei.* Quando. *Tob.* 12. 6. 12. *Act.* 10. 4.

Lectio viij. Lib. 11. *Cap.* 32. & 33.

Angelos sanctos in sublímibus cœli sédibus, non quidem Deo coætérnos, sed tamen de sua sempitérna & vera felicitate secúros & certos esse, nemo ámbigat. Ad quorum societátem pertinére párvulos suos Dóminus docens, non solùm illud ait: Erunt æquáles Angelis Dei; verùm ipsi quoque Angeli quâ contemplatióne fruántur, osténdit, ubi ait: Vidéte ne contemnátis unũ ex pusillis istis; dico enim vobis quia Angeli eórum semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. Peccásse autem quosdam Angelos, & in hujus mundi ima detrúsos, qui eis velut carcer est, usque ad futúram in die judícii últimam damnatiónem, Apóstolus Petrus apertíssimè osténdit, dicens: Quod Deus Angelis peccántibus non pepércerit, sed carcéribus calíginis inférni retrúdens tradíderit, in judício puniéndos reservari.

℟. Misit me Dóminus ut curárem te, & Saram à dæmónio liberárem: * Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum: Pax vobis, nolíte timére. ℣. Grátia vobis & pax ab eo qui est; & à septem Spirítibus qui in conspéctu throni ejus sunt.* Ego enim. *Tob.* 12. 14. 15. 17. *Apoc.* 1. 4.

Lectio ix.

HAs duas angélicas societátes, unam fruéntem Deo, álteram tuméntem typho; unam cui dícitur, Adoráte eum, omnes Angeli ejus; áliam cujus princeps dicit, Hæc ómnia tibi dabo, si prostrátus adoráveris me: unam Dei sancto amóre flagrántem; álteram própriæ celsitúdinis immúndo amóre fumántem: illam in cœlis cœlórum habitántem; istam inde ejéctam in hoc ínfimo aério cœlo tumultuántem: illam luminósâ pietáte tranquillam; istam tenebrósis cupiditátibus turbuléntam: illam Dei nutu cleménter subveniéntem, justè ulciscéntem; istam suo fastu subdéndi & nocéndi libídine exæstuántem: illam, ut quantùm vult cónsulat, Dei bonitátis minístram; istam, ne quantùm vult nóceat, Dei potestáte frænátam. Has duas societátes Angélicas, unam & natúrâ bonam, & voluntáte rectam; áliam verò natúrâ bonam, sed voluntáte pervérsam, in hoc libro, cui nomen est Génesis, lùcis tenebrarúmque vocábulis significátas existimávimus.

℟. Dixit Angelus Ráphael: Cùm essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: tempus est ut revértar ad eum qui me misit; vos autem * Benedícite Deum, & † Narráte ómnia mirabília ejus. ℣. Timéte Dóminum, & date illi honórem; & adoráte eum. * Benedícite. Glória. † Narráte. *Tob.* 12. 17. 18. 20. *Apoc.* 14. 7.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quas die ac nocte Deo concinunt laudes Angeli, ingeminatâ voce in terris concinite.

℣. *Sacerdot.* Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus; ℟. Poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus. *Ps.* 102. 20.

Ant. 1. 8. g. VIdi in médio throni Agnum stantem tamquam occísum: & audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni. *Apoc.* 5. 6. 11.

Ant. 2. 1. *f.* Erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus est Agnus qui occísus est accípere glóriam. *Apoc.* 5. 11. 12.

Ant. 3. 3. *A.* De throno procedébant fúlgura, & voces; & septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem Spíritus Dei. *Apoc.* 4. 5.

Ant. 4. 5. *a.* Omnes Angeli cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, & adoravérunt Deum. *Apoc.* 7. 11.

Ant. 5. 6. *f.* Adorábant vivéntem in sæcula sæculórum, dicéntes die ac nocte, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus omnípotens. *Apoc.* 4. 10. 8.

Capitulum. Hebr. 12. 22. 23.

ACcessístis ad Sion montem & civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem, & multórum míllium Angelórum frequéntiam, & Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in cœlis.

℣. Laudáte Dñum in Virtútibus ejus; ℟. Laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis ejus. *Ps.* 150. 2.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *c.* Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potéstas Christi ejus; quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum. Proptérea lætámini, cœli, & qui habitátis in eis. *Apoc.* 12. 10. 12.

Oratio.

DEus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas; concéde propítius, ut à quibus tibi ministrántibus in cœlo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur; Per, &c.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus.

AD TERTIAM.

Capitulum. Apoc. 5. 13.

OMnes audívi dicéntes: Sedénti in throno & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potéstas in sæcula sæculórum.

℟. Annuntiavérunt cœli justítiam ejus: adoráte eum, omnes Angeli ejus: * Audívit, & lætáta est Sion. ℣. Qui facit Angelos suos, Spíritus, & minístros suos, flammam ignis, dicit: Adórent eum omnes Angeli Dei. * Audívit. Glória. * Audívit. *Ps.* 96. 6. 7. 8. *Hebr.* 1. 7. 6.

℣. Laudáte Dóminum, omnes Angeli ejus: ℟. Laudáte eum, omnes virtútes ejus. *Ps.* 148. 2.

AD SEXTAM.

Capitulum. Colos. 1. 16.

IN Christo cóndita sunt univérsa in cœlis, & in terra, visibília & invisibília, sive Throni, sive Dominatiónes, sive Principátus, sive Potestátes: ómnia per ipsum, & in ipso creáta sunt.

℟. *br.* Laudáte Dóminum * In firmaménto virtútis ejus. Laudáte. ℣. Omnis spíritus laudet Dóminum. * In firmaménto. Glória. Laudáte. *Ps.* 150. 1. 6.

℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus, ℟. In omni loco dominatiónis ejus. *Ps.* 102. 22.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 22. 8. 9.

CEcidi, ut adorárem ante pedes Angeli qui mihi hæc ostendébat: & dixit mihi: Vide ne féceris: consérvus enim tuus sum: Deum adóra.

℟. *br.* In conspéctu Angelórum * Psallam tibi, Dómine. In conspéctu. ℣. Adorábo ad templum sanctum tuum. * Psallam. Glória. In conspéctu. *Ps.* 137. 1. 2.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5. 8.

AD II. VESPERAS.

Omnium hoc primum est, ut Angelis in ultimo die socii annumeremur.

Ant. t. 6. f. MIttet Fílius hóminis Angelos cum tuba, & voce magna: & congregábunt eléctos ejus. *Matth.* 24. 31.

Ant. t. 5. a. Septem Angeli qui habébant septem tubas, præparavérunt se ut tubâ cánerent. *Apoc.* 8. 6.

Ant. t. 8. g. Ipse Dóminus in jussu, & in voce Archángeli, & in tuba Dei descendet de cœlo: & mórtui resúrgent. 1. *Thess.* 4. 15.

Ant. t. 2. D. Exíbunt Angeli, & separábunt malos de médio justórum. *Matth.* 13. 49.

Ant. t. 7. D. Angeli cólligent de regnó ejus ómnia scándala, & eos qui fáciunt iniquitátem; & mittent eos in camínum ignis. *Matth.* 13. 41. 42.

Capitulum. 2. Thess. 1. 2. 5. 7.

GRátia vobis & pax à Deo ut digni habeámini regno Dei, in revelatióne Dom... Jesu de cælo cum Angelis virtútis ejus.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

MIlle, quem stipant sólio sedéntem
Córporis puræ sine mole mentes,
Christe, quos fuso tibi consecrásti
Sánguine, serva.

Quas tenent celsas super[illegible] tra sedes
Spíritus, nobis quoque præparásti;
Ut viam monstrent, sócios fidéles
Próvidus addis.

Qui Dei numquam temeránda jura
Víndicat sacris metuéndus armis,
Prompta perdéndos Míchael in hostes
Arma minístret.

Nuntius felix melióris ævi
Fausta qui mundo, Gábriel, tulísti,
Creber è cœlo vénias amíca
Núntia portans.

Córporis morbos, tenebrásque mentis
Pelle, divínas médicus per artes,
Qui seni cæco, Ráphael, dedísti
Cérnere solem.

Grátias Regi súperûm canámus,
Fonte de cujus bona cuncta manant:
Quem fides veri stúdiosa Trinum
Credit & Unum. Amen.

℣. Qui sedes super Chérubim, osténde fáciem tuam;
℟. Et salvi érimus. *Ps.* 79. 2. 4.

Ad Magnif. Ant. t. 1. D. Qui digni habebúntur sæculo illo, & resurrectióne ex mórtuis, æquáles Angelis sunt, & fílii sunt Dei, cum

t filii resurrectiónis. Luc.
35. 36.

mmem. de sequenti.

D I E X X X.

E R O N Y M I,

B Y T E R I

lesiæ Doctoris.

lex 3. Clas.

De . *unius Doctor.*

Oratio.

DE qui Ecclésiæ tuæ in e néndis sacrisScriptúris um Hierónymum Doct máximum providére gnátus es: præsta, qu us, ut ejus suffragá méritis, quod ore ópere dócuit, te ad exercére valeámus; c.

I. NOCTURNO·

iones de Script. occurr.

II. NOCTURNO·

Lectio iv.

operibus S. Hieronymi.

HIerónymus, Eusébii fílius, Stridóne in fini s Dalmátiæ & Pannóniæ tus, puer à Donáto céle ri Grammático liberálibus isciplínis Romæ est institú us: ubi diébus Domínicis sepúlchra Apostolórum & Mártyrum circuíre, crebròque cryptas íngredi cum æquálibus consuéverat. Suscépto ibi in adolescéntia baptísmo, ad sacras lítteras ánimum adjíciens, Gállias studiórum causâ peragrávit, Trevirísque librum sancti Hilárii de Synodis suâ manu descrípsit. Perlustrátis deínde Thráciâ, Ponto, Bithyniâ, Galatiâ, Cappadóciâ & Ciliciâ, in Chálcidis Syriæ solitúdinem se recépit, instrúctus bibliothecâ quam Romæ sibi magno stúdio & labóre confecerat. Ibi, ut importúnas cogitatiónes, quas jejúniis non vícerat, studiorum assiduitáte abígeret, Judæo ad Christum convérso, se in disciplínam dedit, ut linguam Hebráïcam edóctus, sacræ Scriptúræ sensum facíliùs investigáret. Aliquándo interrogátus, unam an tres confiteretur hypostases; incértus étiam ad quā se patrem adjúngeret, exórto Antiochíæ Vitálem inter & Paulínum ac Melétium dissídio, Dámasum summum Pontíficem, ut pote Sedi Apostólicæ singulari religióne addíctus, consúluit, unam an tres hypóstases dícere, & cui ex tribus Epíscopis communicáre debéret.

Lectio v.

EXacto in eo secéssu quadriénnio, vexátus ab ínvidis, & hæréseos postulátus, ex erémo discédens, Antiochíam venit; ubi à Paulíno cui adhæserat, eâ conditióne ordinári se Presbyterum passus est, ut nulli addíctus Ecclésiæ, quam ampléxus fúerat Mónachi vitam non deséreret. Cùm deínde Jerosólymis & Béthleem aliquámdíu mansísset, Constantinópolim se cóntulit; ibíque Gregórium Nazianzénum sacras Scriptúras explanán

tem frequens audivit. Romā póstmodum, ob Antiochíæ aliarúmque Ecclesiárum dissensiónes, cum Paulíno & Epiphánio proféctum Dámasus retínuit, ut eo uterétur in conscribéndis Epístolis, ac reddéndis ad Synódicas Oriéntis & Occidentis consultatiónes respónsis. Romæ per triénnium commorátus, post óbitum Dámasi, Béthleem ad incunábula Redemptóris in extrúcto a Paula Monastério majórem vitæ partem exégit.

Lectio vj.

Sacros Códices commentáriis illustrávit: & quò cértiùs genuínum illórum sensum assequerétur, síngula Palæstínæ loca sédulò invísit, adhíbito Judæórum eruditissimórum collóquio. Alexandríam ætáte jam provéctus pétiit, de difficilióribus Scriptúræ locis Dídymum consultúrus. Novo Testaménto Græcæ fídei réddito, vetus juxta Hebráïcam tránstulit; Psaltérium, quo deínceps Ecclésia Latína usa est, secúndum Septuagínta editionem corréxit. Multa doctórum virórum scripta Latínè réddidit. Luciferiános, Helvídium, Vigilántium, Joviniánum, & Pelágium scriptis ácriter insectátus est. Tantam autem hisce opéribus eruditiónis famam sibi comparávit, ut ejus senténtiam sanctus Augustínus, & álii passim de árduis quæstiónibus sæpè rogáverint. Captà eversáque à Gothis Romā, nóbiles Romános ad extrémam inópiam redáctos in Monastério Bethleemitáno benígne excépit. Tandem in extrémā senectúte febre corréptus, Thedósio junióre & Honório imperántibus, anno Christi quadringentésimo vigésimo, migrávit ad Dóminum, per orbem univérsum summo eruditiónis pélago céleber, & indeféssis labóribus suis de Ecclésia perquàm óptimè méritus. Ejus corpus apud Bethleem sepúltum, póstea Romam translátum in basílica sanctæ Maríæ Majóris ad præsépe cónditum est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. v. 13.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Commen. in Cap. 2. Aggæi.

Consídera Sacerdótum esse offícii, de lege interrogánti respondére. Si Sacérdos est, sciat legem Dómini; si ignórat legem, ipse se árguit non esse Dómini Sacerdótem. Sacerdótis enim est scire legem, & ad interrogatiónem respondére de lege. Quod quidem & in Deuteronómio légimus: ut sicu-

bi in úrbibus Israel quæstio fúerit exórta inter sánguinem & sánguinem, inter judícium & judícium, lepram & lepram, contradictiónem & contradictiónem, eant ad Sacerdótes atque Levítas, & ad Pontíficem qui in diébus illis fúerit constitútus, & quærant ab eo legem Dómini; quibus respondéntibus, fáciant quod jubéntur. Quod si non fécerint, exterminéntur de pópulo.

Lectio viij.

ET ne fórsitan in véteri solùm instruménto hæc præcépta videántur, lóquitur & Apóstolus ad Timótheum, Epíscopum non solùm irreprehensíbilem esse debére, & unius uxóris virum, & sapiéntem, & pudícum, & ornátum, & hospitálem, sed étiam doctórem... Hæc pósui, ut tam ex véteri, quàm ex novo Testaménto, Sacerdótum esse officium novérimus, scire legem Dei, & respondere ad quæ fúerint interrogáti: nec simplicitátem, & cibórum continéntiam in magístro sufficere; nisi quod ipse facit, possit & álios erudíre.

Lectio ix.

CErtè quia responsúros puto, hoc eórum esse qui se ab adolescéntia præparant ad docéndum; frequénter autem judício Dómini, & populórum suffrágio in Sacerdótium símplices éligi: saltem illud hábeant, ut postquam Sacerdótes fúerint ordináti, discant legem Dei, ut possint docére quod didícerint; & áugeant sciéntiam magis quàm opes, & non erubéscant à Laïcis díscere, qui nóverint ea quæ ad officium pértinent Sacerdótum; magísque noctes & dies in Scripturárũ tractátu, quàm in ratiocíniis & supputatióne consúmant.

In Vesperis Commem. de sequenti.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I.

S. REMIGII, REMENSIS EPISCOPI.

Dupl. 4. Clas.

De Comm. unius Pontificis.

Oratio.

DEus, qui per beáti Pontíficis Remígii documénta, Francórum tibi corda subdidísti: largíre supplícibus tuis, ut per iter salútis, quo idem Pastor incéssit, dono tuæ pietátis ad te gradiámur; Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum; Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritûs sancti Deus; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Avito, Fortunato, S. Greg. Turon. Hincmaro, Flodoardo, &c.

REmígius, qui Remédius, Laudúni natus est paréntibus Æmílio, & sancta Celíniâ jam ætáte provéctis. Ejus ortum prædíxerat solitárius quidam cæcus, Montánus nómine; qui & visum póstea recépit, admóto ad óculos lacte, quo infans Remígius alebátur. Annos natus duos & vigínti, ob seníles in adolescéntia mores ad Episcopátum Reménsem ómnium votis pótiùs raptus est, quàm eléctus. Cùm autem Clodovæus Francórum Rex Alemánnos, Tolbíaci, invocáto Christi nómine debellásset, & instánti Remígio ut fidem profiterétur, respondísset, veréri se ne per pópulum sibi non licéret; id ubi rescívit pópulus, statim acclamávit: Mortáles deos abígimus, pie Rex; & Deum quem Remígius prædicat immortálem, sequi paráti sumus.

Lectio v.

TUm Remígius Clodovæum quem fídei documéntis imbúerat Vedástus Tullénsis Présbyter, baptizávit ipso die Natális Dómini; his eum verbis allocútus; Mitis depóne colla, Sicámber: adóra quod incendísti, incénde quod adorásti; baptizatúmque sacro inúnxit chrísmate cum signáculo crucis Christi. De exércitu autem ejus ter mille & ámpliùs baptísmo initiáti sunt; simul & Albofledis Clodovæi soror; quæ cùm paulò post è vivis decessísset, Regem per litteras consolátus est Remígius. Lanthildis quoque, áltera soror Regis, ab Ariána hæresi revocáta, sacro chrísmate inúncta est, & Ecclésiæ reconciliáta. Clodovæum Gothis bellum parántem, utilíssimis regno administrándo consíliis per lítteras instrúxit; eidémque auctor fuit ut Concílium Aurelianénse indíceret.

Lectio vj.

CLeméntiâ in pœniténtes erat singulári; Neque enim, inquiébat, nos pósuit Dóminus ad iracúndiam, sed ad hóminum curam. Novos Episcopátus instítuit; Teruánnæ, ubi sanctum Antimúndum; Attrébatis, ubi sanctum Vedástum; Laudúni, ubi sanctum Genebáldum præfécit. Sub finem vitæ oculórum usu orbátus est, quem tamen paulò ante mortem recuperávit. Sénio tandem conféctus óbiit ídibus Januárii: de quo hæc scribit sanctus Gregórius Turonénsis: (Erat sanctus Remígius egrégiæ sciéntiæ, & Rhetóricis apprímè imbútus stúdiis; sed & sanctitáte ita præclárus, ut Sylvéstri virtútibus æquarétur: est enim nunc liber vitæ ejus, qui eum

narrat mórtuum suscitásse.) Corpus ejus in ædícula sancti Christóphori mox sepúltum, & várias deinde in urbes delátum, eò quòd cívitas Reménsis murorum præsídio esset destitúta, dénique in Basílicam Remis ipsíus nómine nuncupátam, à Leóne nono Papa & Tulléntsi Epíscopo, hâc die translátum est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. v. 42.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

In Matth. Cap. 26. n. 6.

UT ignorántiam illam diéi ómnibus táciti, non sine útilis siléntii ratióne esse sciremus; vigiláre nos propter advéntum furis admónuit; & oratiónum assiduitáte deténtos ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit diábolum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem, & córporum nostrórum domibus insidiántem: ut ea, incuriósis nobis & somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum jáculis perfódiat. Paratos ígitur esse nos cónvenit: quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ expectatiónis exágitat.

Lectio viij. Cap. 27. n. 1.

QUis namque est fidélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigiántiæ curam adhortétur; speciálem tamen pópuli princípibus, id est, Epíscopis in expectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat. Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ signíficat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui si dicto áudiens & præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte & veritáte infírma confírmet, dirrúpta consólidet, depraváta convértat, & verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hísque ímmorans deprehendátur; glóriam à Dómino tamquam dispensátor fidélis & víllicus útilis consequétur, & super ómnia bona sua constituétur, id est, in Dei glória collocábitur, quia nihil sit ultrà quod mélius sit.

Lectio ix. n. 2.

QUòd si contuens longam Dei patiéntiam, quæ in proféctum humánæ salútis exténditur, advérsùs consérvos insoléscet, & sæculi malis vitiísque se tradet, præséntium tantùm curam in cultu ventris exércens;

desperátâ die Dóminus advéniet, eúmque à bonis quæ spopónderat, dívidet, portionémque ejus cum hypócritis in pœnæ æternitáte constítuet; quia advéntum desperáverit, quia mandátis non obtemperáverit, quia præséntibus studúerit, quia vitâ gentium víxerit, quia desperatióne judícii commíssam sibi famíliam fame, siti, cæde vexáverit.

In Vesp. Commem. de sequent.

DIE II.

S. LEODEGARII, EPISCOPI ET MARTYRIS.

Simplex.

De Comm. unius Martyris. *Oratio.* Omnípotens, *pag.* xj.

Lectio 1. & 2. de Script. occurr. fit una ex secunda & tertia; & sic in similibus.

Lectio iij.

Ex Anon. & Ursino apud Duchesne, & Mabill. sæc. 2. Bened.

Leodegárius, Pictaviénsis Archidiáconus, ac deínde Monastérii sancti Maxéntii Abbas, postrémò Augustodunénsium Epíscopus creátus est: cui Ecclésiæ decem annis præfuit. Cum autem Childerícum secúndum, qui in regni administratióne illíus óperâ utebátur, argúeret quòd antíquas regni leges rescidísset, filiámque avúnculi sui duxísset uxorem; in Luxoviénse Monastérium, quò relegátus ántea fúerat Ebroínus Major Palátii, amandátus est. Utérque, rege mórtuo, in prístinum statum est restitútus: sed Ebroínus Leodegário auctóre, se in Monastérium detrúsum fuísse ratus, Didónem quondam Cabillonénsium Epíscopum, & Bobónem è Valentína sede dejéctum, ac Vaïmérum Ducem Campániæ, cum exércitu Augustodúnum misit, qui eum comprehénderent. Re cógnitâ, sanctus Antístes, erogátis in páuperes facultátibus, triduáno jejúnio indícto, & factis circum urbis mœnia cum Cruce & relíquiis Sanctórum supplicatiónibus, Christi córpore præmunítus, ne quid detriménti cívitas sui causâ paterétur, spontè se trádidit inimícis; qui illum statim, óculis erútis, in Monastérium conjecérunt. Inde váriis cruciátum torméntis, præcísis ipsi lábiis & linguâ, in Cœnóbium Fiscamnénse, cui Hildomárca Abbatíssa sanctíssimè præerat, sub custódia asservándum detrusérunt. Dénique in Palátium ductus, quò nonnúlli Epíscopi convénerant, cùm linguæ offício nihilo sécius uterétur; discíssâ túnicâ, Episcopáli dignitáte spoliátus, conjéctus est in cárcerem: ex quo in sylvam territórii Attrebaténsis, ejus póstea nómine insignítam, à quátuor sicáriis abdúctus, cápite truncátus est anno Christi sexcentésimo septuagésimo octávo. Corpus ejus

ibi apud Sarcíngum sepúltum, inde post biénnium ad Píctones, váriis in itínere patrátis miráculis, delátum est, & honoríficè in Basílica sancti Maxéntii cónditum.

Vesperæ de sequenti.

DIE III.

DEDICATIO ECCLESIÆ CATHEDRALIS Tullénsis.

In Eccles. Cathed. Dupl. 1. Classis, Solemne-Majus: per Diœcesim, Dupl. 3. Clas.

Totum Officium ut in Communi Dedicationis, tum in die, tum per Octavam quæ peragitur in sola Ecclesia Cathedrali.

In Vesperis Comm. de sequenti.

DIE IV.

S. FRANCISCI, ASSISINATIS, Ordinis Minórum Institutóris.

Dupl. 4. Clas.

De Communi unius Cœnobitæ.

Oratio.

DEus, qui Ecclésiam tuam, beáti Francísci méritis, fœtu novæ prolis amplíficas: tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, & cœléstium donórum semper participatióne gaudére; Per, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex ejus vita auctore S. Bonaventura, &c.

FRancíscus, Assísii in Umbria natus, à prima ætáte patris exémplum secútus, mercatúram fecit, máximè cum Francis, quorum linguâ tam fácilè loquebátur, ut, qui, nómine Joánnes Bernárdo, Francísci inde cognómen sortítus fúerit. Quodam die, páuperem pro Christi amóre eleemósynam rogántem cùm præter consuetúdinem repulísset, facti pœnitens repéntè, misericórdiam ei largè impertítus, tum Deo vovit se némini umquam eleemósynam poscénti negatúrum. Post gravem morbum, ex quo convàluit, charitátis officia cœpit ardéntiùs cólere, tantùmque eâ in exercitatióne profécit, ut Evangélicæ perfectiónis cúpidus, quidquid habéret, paupéribus largirétur. Quod iníquiùs ferens pater, eum ad Assisinátem Epíscopum duxit, ut coram illo bonis céderet patérnis; qui rejéctis étiam véstibus, patri concéssit ómnia, illud subjúngens, sibi majórem in pósterum forè facultátem dicéndi: Pater noster, qui es in cœlis. Audítis ex Evangélio his verbis: Nolíte possidére aurum, neque argéntum in zonis vestris, neque peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, eam sibi régulam servándam propósuit. Itaque detráctis cálceis & unâ conténtus túnicâ, Ordinem Minórum instítuit, conscríptâ régulâ, quam Innocéntius tértius,

Die v.

S. DIONYSII, Areopagitæ, primi Athenarum Episcopi, & Martyris.

Simplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio.

Illúmina, quæsumus, Dómine, mentis nostræ ténebras, qui ad beati Pauli Apóstoli prædicatiónem Dionysium Areopagítam in admirábile lumen Evangélii transtulísti; Per, &c.

Prima & secunda Lectio de Scriptura occurrente.

Lectio iij.

Ex Actis Apostolor. S. Dionys. Cor. & Arist. Athen.

Dionysius, civis Atheniénsis, cùm in médio Areopági, ubi sedébat Judex, Paulum concionántem audivísset, Christi fidem ampléxus est. Eum Atheniénsis Ecclésiæ primum fuisse Epíscopum refert sanctus Dionysius Corinthiórum Epíscopus in ea quam scripsit ad Atheniénses, Epístolâ. Sub Adriáno autem Imperatóre, post claríssimam fidei confessiónem & gravíssima torménta, glorióso martyrio coronátum esse tradit sanctus Arístides Atheniénsis in Apologético pro Christiánis, quod ipsum Arístidem Adriáno dedísse testátur sanctus Hyerónymus. Caput beáti Mártyris in Constantinopolitánæ urbis Capélla Imperiáli repósitum, Nivelon Suessionénsi Epíscopo, à Balduíno primo è Latinis Imperatore donatum est, & in Longipontánum Ordinis Cisterciénsis Monastérii deportatum. Aliæ verò sancti Areopagitæ Reliquiæ ab Innocéntio tertio ad Monastérium sancti Dionysii in Francia transmissæ, ibi religiosè coluntur.

In Ecclesia Cathed. fit Officium de Octava Dedicationis, ut in Communi ad diem septimam Octavæ. Lectio 1. de Script. occurr. (ex tribus fiat una.) Lectio 2. de Octava, 3. de S. Dionysio cum ipsius Commem. Vesper. de sequenti. In Cathed. Commem. de Octava Dedicat.

Die vj.

S. BRUNONIS, Ordinis Carthusianorum Institutoris.

Duplex 4 classis.

De Communi unius Monachi.

Oratio.

Sancti Brunónis, quæsumus, Domine, intercessiónibus adjuvémur; ut qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis & précibus nostrórum delictorum véniam consequámur; Per, &c.

IN I NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Petro Cluniac. Guilbert. & ex S. Brunonis vita à variis auctoribus scripta.

Bruno, Coloniæ Agrippínæ natus, post emén-

sa Parísiis, Grammáticæ, Philosóphiæ, & Theológiæ stúdia, Ecclésiæ sancti Cunibérti Coloniénsis primùm, deinde Reménsis Ecclésiæ Canónicus, ibidémque magnórum studiórum Rector eléctus est. Solitúdinis amóre flagrans, cum sex áliis familiáribus mundo valedícens, sanctum Hugónem Epíscopum Gratianopolitánum ádiit: qui causâ eórum advéntûs cógnitâ, eósque esse intélligens quos eâdem nocte velut septem stellas, ad suos pedes corruéntes in somnis víderat, montes suæ Diœcéseos aspérrimos, qui Carthusiáni dicebántur, incoléndos illis concéssit. Ibi ædificáto Oratório, ac céllulis separátim extrúctis, bini in síngulis habitántes, siléntio, oratióni, lectióni júgiter inténti, cibo pasti parcíssimo, ad nudum cilício indúti sub veste angústa & hirsúta, in asperióri disciplína, cœléstis vitæ sancta quædam prælibábant ótia; statis tamen horis óperi mánuum, præsertim conscribéndis libris incumbéntes; tum ut suæ inópiæ consúlerent; tum ut mánibus saltem, quod ore non possent, verbum Dei prædicarent.

Lectio v.

HUgónem Epíscopum, intérdum nímio solitúdinis amore diútius apud eos commorantem, Bruno subinde his verbis admonébat: Redi ad oves tibi commíssas, eísque quod debes fidéliter exsólve. Eumdem étiam, cùm paupertátis & humilitátis stúdio incénsus, equos suos véndere, & divíso paupéribus prétio, Diœcésim suam pédibus obíre veheménter optáret, à propósito dimóvit; véritus scílicet, ne ille, aut de tanta virtúte sibi blándiens, ipsâ humilitáte superbíret, aut de singularitáte à cæteris carperétur Epíscopis, aut propter itínerum asperitátem offício suo minor fíeret. Post sex ferè annos in secéssu exáctos, Bruno ab Urbáno secúndo Romam accersítus, postquam eum in Synodis celebrándis, gerendísque Ecclésiæ árduis negótiis consílio suo per triénnium adjuvísset, ab eo demum facultátem obtínuit erémi repeténdæ; recusáto fórtiter non minùs quàm humíliter, Archiepiscopátu Rhegiénsis Ecclésiæ, quæ prima est totíus Calábriæ Metrópolis.

Lectio vj.

CUm autem Urbánus, post celebrátum Placéntiæ Concílium, in Gálliam profectúrus esset; métuens Bruno, ne, si ad optátam Carthúsiam reverterétur, aut Románam cúriam effúgere non posset, aut eam sequi viderétur, secéssit in erémum prope Scyláceum in Calábria; ubi Monastérium ædificávit, liberalitáte usus

Rogérii Calábriæ Cómitis; cui post annum Cápuam obsidénti per visum noctę appáruit, eúmque ab insídiis Sérgii Ducis Græcórum in ipsíus exércitu militántium liberávit. Morti próximus, fídei suæ professiónem coram frátribus édidit, eámque contra errórem Berengárii conclúsit his verbis: Credo étiam sacraménta quæ sancta credit & venerátur Ecclésia; & nominátim panem & vinum quæ consecrántur in altári, post consecratiónem verum corpus esse Dómini nostri Jesu Christi, veram carnem, & verum sánguinem, quæ & nos accípimus in remissiónem peccatórum nostrórum, & in spe salútis ætérnæ. Quiévit in Dómino anno millésimo centésimo primo, prídie Nonas Octóbris.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. v. 35.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, & lucérnæ ardentes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 69. in Matth.

IN mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induúntur, & erémum hábitant. Hi numquam oblátas púrpuras acceptárent; sed quemádmodum rex, si quis pannósa induménta páuperis ei induénda offérret, abominarétur atque repélleret, non áliter illi regiam púrpuram contémnunt. Hæc enim illos cilícium dócuit, unde régibus étiam ipsis excellentióres sunt. Nam si posses mentis eórum jánuas reseráre, & omnem interiórem ornátū conspícere, fulgóre percúlsus in terram concíderes: nec consciéntiæ lumen perférre posses. Nihil in tabernáculis eórum triste inveniétis; sed tamquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longè à sæculi perturbatiónibus hábitant, advérsùs diábolum militántes.

Lectio viij.

IDcírco enim in solitúdine domicílium constituérunt, célebri habitatióne hóminū omníno relíctâ: quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére, sed necésse est quasi súbitò migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis enim umquam in exércitu domûs fundaménta jecit? Quis in castris agri júgera emit? In pátria hæc, non in castris faciénda sunt; hæc tibi à me simíliter dicúntur. Cùm in suprémam civitátem pervéneris, tunc ista fácito: hîc satis est nobis fossam fácere, vallum fígere: ædificiorum constructióne opus non est.

Lectio ix.

CHristianos advérsùs diábolum pugnántes, ómnibus

nibus temporálibus negléctis, vívere opórtet. Cur ítaque magníficas ædes ſtruis, ô homo? An ut teípſum magis víncias, & ut diábolum advérsùs ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? an ad cárceres tibi conſtruéndos? Quòd ſi hæc tibi diffícilia negléctu videántur, ad tabernácula Monachórũ proficiſcámur, ut reípsâ fácilè iſta contémni poſſe perdíſcas.

In Eccleſ. Cathedr. ad Laudes & Veſp. fit Comm. de Octav. Dedicat.

In Veſperis Commem. de ſequenti.

DIE VII.

Ss. SERGII ET BACCHI, MARTYRUM.

Simplex.

De Communi plurium Martyrum

Oratio. Exáudi, Dómine, *pag.* xvij.

Lectio iij.

Ex Theodor. Procop. Evagr. Greg. Turon, &c. apud Tillem. 5. Mem. Eccleſ.

SErgius & Bacchus in Província Oriéntis cui nomen Euphratéſia, imperánte Maximiáno, martyrio coronáti ſunt. Sérgii nómine locus ubi ſepúltus eſt, Sergiópolis eſt appellátus, ob crebra quibus incláruit mirácula: ex quibus illúſtre imprímis illud ab Evágrio narrátur, quòd cum Chóſroes urbem eſſet expugnatúrus, magna hóminum multitúdo clypeis indúta in mœnibus viſa fúerit. Quâ quidem re ad Chóſroen delátâ, cùm aliúnde reſciviſſet perpáucos in civitáte, eóſque aut ſenes aut púeros remanſíſſe, hoc miráculum Mártyri aſcríbens, ab obſidéndæ civitátis consílio deſtitit. Refert étiam Gregórius Turonénſis quòd ínſtitor quidam, natióne Syrus, nómine Euphron, ejus Reliquiárum portióne ditátus, pretióſum pignus Burdégalæ in ædibus ſuis, conſtrúctâ ínibi Eccléſiâ, collocárit: ubi multa inter ſigna illud emícuit, quòd dum cívitas incéndio flagráret, flamma circumquàque diffúſa, eam domum véluti veneráta, intáctam relíquerit. Quantùm autem Sérgii & Bacchi memória, tum in Oriénte, tum in Occidénte, célebris fúerit, teſtántur multæ illæ quæ in ipsórum honórem paſſim eréctæ ſunt Basílicæ.

In Eccleſia Cathed. fit Officium de Octava Dedic. ut in Communi ad diem 5. Octavæ Lectio j. de Script. occurr. (ex tribus fit una) Lectio ij. de Octava, 3. de Ss. Sergio & Baccho cum ipſorum Commem.

DIE VIII.

S. LIBARIÆ, VIRGINIS Tullenſis & Martyris,

Simplex.

De Comm. unius Virginis,

Orat. Deus, qui inter, *p.* lj.

Lectio iij.

Ex Histor. Ecclesf. Diœces. Tull.

DUplici virginitátis & martyrii laude ab antíquo cólitur Libária sanctórum Elíphii & Euchárii Mártyrum soror; quæ pro Christi fide ad civitátem hujus Diœcésis nómine Grandem, témpore Juliáni Apóstatæ, gladio occubuísse traditur. Licèt enim Imperátor súbdolus adhuc in Gálliis cúltui Christiáno adhærére se fíngeret, à quo jam pridem occúltè desciverat, nec apértam Christi nómini persecutiónem indíxerit, nihilóminus tamen multi compósitis sive per ipsum, sive per minístros fráudibus, interiére Mártyres; propter quos méritò hæc ad Heliodórum scribébat Hierónymus: Juliánus Christum sensit in Médiâ, quem primùm in Gállia denegárat. Quàm autem perantíqua sit apud nos sanctæ Mártyris memória, testátur Pibo Tullénsis Epíscopus, cùm ex sanctæ Libáriæ, cujus jam tunc célebris erat festívitas, Relíquiis partem sub altáre majus sancti Mansuéti, in consecratiónis solemnitáte, recondidísse se mémorat. Corpus illíus mox Grandi sepúltum, ac ibi multa per sæcula digno cum honóre servátum, subínde, propter mílitum incúrsus, à Cardináli Valdemontáno, in urbem Tullénsem ad Abba-tíam sancti Leónis t[illegible] tum est; unde ad vári[illegible] in hac Diœcési, tum i[illegible] lia, sub illius patr[illegible] consecrátas Ecclésias culæ quædam tra[illegible] sunt.

In Ecclesf. Cathed. [illegible] cium de Octava Dedic[illegible] Communi ad diem 6. [illegible] Lectio j. de Script. occ[illegible] tribus fit una; secunda [illegible] tava. 3. de S. Libari[illegible] ipsius Commem.

Vesperæ de sequenti [illegible] clesf. Cathed. Comm. de Dedicat.

DIE IX.

Ss. DIONYS[illegible] PRIMI PARISIORUM & Sociórum Márty[illegible]

Dupl. 4. Clas.

De Comm. plurium Ma[illegible]

Oratio.

DEus, qui hodié beátū Dionysiu[illegible] tyrem tuum atque [illegible] cem, virtúte constá[illegible] passióne roborásti; [illegible] illi ad prædicándum [illegible] bus glóriam tuam R[illegible] & Eleuthérium soci[illegible] gnátus es: tríbue [illegible] quæsumus, ex eórum [illegible] tióne, pro amóre tu[illegible] pera mundi despícer[illegible] nulla ejus advérsa fo[illegible] re; Per, &c.

IN II. NOCTU[illegible]

Ex Actis Passiónis san[illegible] Dionysii, Rústici, & [illegible] thérii. *Chart. vet. Eccl. Paris. à Ludo[illegible] laudat.*

Lectio iv.

DIonysius, qui verbi divíni sémina Géntibus erogánda suscéperat, quò ámpliùs gentilitátis fervére cognóvit errórem, illuc intrépidus, & calóre fídei inflammátus accéssit; & Parísios, Dómino ducénte, pervénit, non véritus incrédulæ gentis expétere feritátem, quia virtútem ejus præteritárum pœnárum recordátio roborábat: & qui merúerat esse conféssor, non cunctátus est atrócibus pópulis accédere prædicátor. Igitur, cùm primùm fide armátus, & constántiâ conféssiónis accessísset intrépidus, Ecclésiam, illis quæ necdum in locis erat, novam constrúxit; ac offícia serviéntium Clericórum ex more constítuit, probatásque persónas honóre secúndi órdinis ampliávit.

Lectio v.

CInctus ergo fide, & jam constructióne Basílicæ roborátus, Deum Géntibus non desinébat insinuáre quē nóverat; ejúsque, ómnibus, & judícium & misericórdiam antepónens, paulátim sociábat Deo, quos diábolo subtrahébat. Tantas étiam per illum Dóminus dignabátur exercére virtútes, ut rebéllium corda gentílium non minùs miráculis quàm prædicatiónibus obtinéret: miróque modo, inérmi viro non valébat plebs armáta resístere; sed subdébat se illi certátim Germaniæ cervicósitas, & jugum Christi suáve impóni sibi arctâ cordis compunctióne poscébat. Ab ipsis quoque destruebántur idóla, quorum sumptu fúerant & stúdio fabricáta. Tunc hostis antíquus, videns sibi períre quod Dómino constábat assíduâ populórum conversióne profícere, totam artifícii sui máchinam ad impugnándum quæ fúerant constrúcta, convértit; & suæ partis auctóres, deórum suórum flentes exítium, ad impietátem súbitæ persecutiónis armávit; ut eos qui unum & verum Deum coléndum insinuáverant & timéndum, pérdere diversitáte supplícii maturárent.

Lectio vj.

PErsecutiónis ergo publicátâ senténtiâ, impiórum gaudens turba progréditur, & ... cùm occíduam orbis partem pro Christianórum inquisitióne percúrrerent, sanctum Dionysium contra incrédulos dimicántem Parísiis reperérunt: cū quo étiā Rústicum Presbyterum, & Eleuthérium Archidiáconum, persecutiónis furor invénit. Hi beáti viri à sancti Dionysii numquā sustinuérunt abesse præséntiâ, quos in unum interrogátio persecutóris invénit; sed & reperíre non pótuit quem à societáte martyrii separáret. Interrogáti, unum & vérum in Tri-

nitáte Deum confiténtur; & terróre subjúncto, multísque affécti injúriis & supplíciis, verbéribus macerari, Christiános se esse testántur; visóque persecutiónis ictu, Dómini ac Dei nostri se fámulos magnâ confessiónis voce pronúntiant. In hac ergo fidei constántia persisténtes, reddéntes terræ córpora, beátas cœlo ánimas intulérunt: talique ad Dóminum meruérunt professióne migráre, ut amputatis capitibus, adhuc putarétur lingua pálpitans Dóminum confitéri. De quorum passióne séptimo Idus Octóbris Dóminus nos gaudére vóluit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 21. 9.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Cùm audiéritis prælia & seditiónes, nolíte terréri: opórtet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 335. in Nativ. Mart. n. 1.

QUóniam dies sanctórum Mártyrum est, unde pótius áliquid deléctet nos dícere, nisi de glória ipsórum? Adjuvet nos Dóminus Mártyrum. Audívimus paulò antè beátum Paulum Apóstolum prædicántem: Quis nos separabit à charitate Christi? (ista vox est Mártyrum) Tribulátio? an angustia? an persecutio? an fames? an núditas? an perículũ? an gladius? sicut scriptum est: Propter te morte afficimur totâ die, deputáti sumus ut oves occisiónis: sed in his ómnibus superámus per eum qui diléxit nos. Hæc est vox Mártyrum, ómnia toleráre, & de se nihil præsúmere; illum dilígere, qui glorificatur in suis: ut qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Lectio viij.

NOverant & illud quod nos cantávimus paulò antè: Lætámini in Dómino & exultáte, justi. Si justi in Dómino lætántur, injústi non novérunt lætári nisi in sæculo. Sed ipsa est prima ácies debellánda; primò vincéndæ sunt delectatiónes, & póstea dolóres. Quómodo potest superáre mundum sæviéntem, qui non potest superáre blandiéntem? Blandítur hic mundus, pollicéndo honóres, divítias, voluptátes. Minátur hic mundus, intentándo dolóres, egestátes, humilitátes. Qui non contémnit quod pollicétur, quómodo superáre potest quod minátur?

Lectio ix.

HAbent delectatiónem suam divítiæ: quis nésciat? sed plus habet delectatiónis justítia. Delectáre divítiis cum justítia. Ubi an-

tem talis artículus tentatiónis incíderit, ut duo hæc véniant in tentatiónem, divítiæ & justítia; & non possis habére utrúmque; sed si míseris manum ad divítias, necésse est ut amíttas justítiam: si míseris manum ad justítiam, péreant divítiæ: modò élige, modò pugna; modò videámus si non sine causa cantásti: Lætámini in Dómino, & exultáte, justi? Modò videámus si non sine causa audísti: Quis nos separábit à charitáte Christi? Et quidem prætermísit ómnia quibus blandítur mundus; & te vóluit commemoráre cui blandítur mundus. Quare? Quia certámina Mártyrum prænuntiábat; illa útique certámina, ubi vicérunt persecutiónem, famem, sitim, egestátem, ignomíniam; ad extrémum, timórem mortis, & hostem sævíssimum.

In Vesp. Comm. de sequenti.

In Eccles. Cathed. fit in Laudibus Comm. de Octava: Vesperæ autem dicuntur de Oct. Dedic. ut in 1. Vesperis Festi, cum Commem. de Ss. Dionysio &c. & de sequenti.

D i e x.

SS. TARACHI, PROBI, ET ANDRONICI MARTYRUM.

Simplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio.

Exáudi nos, Dómine, Mártyrum tuórum Tárachi, Probi, & Andronící victórias celebrántes; ut córdibus ex eórum passióne succénsis, in lege tua fidéliter ambulémus; Per, &c.

Lectio iij.

Ex eorum Actis apud Ruinart.

Consule Diocletiáno & Maximiáno iterum, in Tarso Metrópoli Cilíciæ assidénte Numeriáno Maximo Præside, ad tribúnal ducti sunt à Demétrio Centurióne Tárachus, Probus, & Andronícus, fidei Christiánæ accusáti. Hi primùm coram Júdice Christiános se líberè & constánter proféssi, váriis probáti sunt supplíciis: Tárachus super cervícem túnditur, & virgis cæditur; Probus cíngitur, & exténsus, nervis crudis super ventrem percútitur; Andronícus torquétur in tíbia; látera ejus pungúntur, & plagæ illius testis perfricántur; qui in torméntis invícti, vínculis férreis ligántur, in cárcerem sub custódia detrúsi. Secúndò, in Siscia civitáte coram eódem Præside prodúcti, horréndis tentántur cruciátibus: Tárachus in ore lapídibus contúnditur, igne ad manus admóto úritur, ligátis pédibus in altum suspénditur, acri fumo ad fáciem ejus suppósito; acéto, sinápe, & sale in náribus perfúnditur; Probo dorsum apéritur, raso cápiti prunæ superponúntur; Andronícus ténditur in palis, sale in dorso fricátur. Multis laceráti plagis, & inconcússi, mit-

túntur íterum ad víncula & cárceres. Tértiò, in Anazárbo civitáte interrogáti, post exquisitióra adhuc torménta, labiis scilicet & áuribus concísis, prunis & obelíscis ígneis ad ascillas & suras appósitis, punctis óculis, linguâ avúlsâ, demum damnántur ab béstias. Cùm autem ursus natúrâ péssimus, & leæna ferocíssima ante pedes Mártyrum mitéscerent, dum irâ furit Tyránnus; ab immíssis gladiatóribus ense necántur: quorum conféssio & pássio à frátribus diligénter conscrípta est, ad Ecclésias Pisídiæ & Pamphíliæ transmitténda.

In Eccles. Cathed. Officium fit de die Octava Dedic. Lectio 9. de Ss. Martyribus ut suprà, cum ipsorum Commem.

DIE XII.

SS. ANGELORUM CUSTODUM.

Duplex 3. Clas.

AD I. VESPERAS.

Deus custodes hominibus promittit Angelos, quorum audienda monita.

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. d. Locútus est Dóminus: Mittam præcursórem tuì Angelum, ut intres in terram fluéntem lacte & melle. *Exod. 33. 1. 2. 3.*

Ant. t. 2. D. Obsérva Angelum meum, & audi vocem ejus, nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cùm peccáveris, & est nomen meum in illo. *Exod. 23. 21.*

Ant. t. 8. c. Si audíeris vocem Angeli mei, & féceris ómnia quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis: præcedétque te Angelus meus. *Exod. 23. 22. 23.*

Ant. t. 5. a. Angelus meus vobíscum est: ipse autem exquíram ánimas vestras. *Baruc. 6. 6.*

Ant. t. 7. a. Si fúerit pro hómine Angelus loquens, miserébitur ejus, & dicet: Líbera eum. Deprecábitur Deum, & placábilis ei erit. *Job. 33. 23. 24. 26.*

Capitulum. Eccle. 5. 5.

Ne dicas coram Angelo: Non est providéntia: ne fortè irátus Deus contra sermónes tuos, díssipet cuncta ópera mánuum tuárum.

℟. Non accédet ad te malum; quóniam * Angelis suis Deus mandavit de te; ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. Qui facit Angelos suos, Spíritus, & minístros suos, flammam ignis. * Angelis. Glória. * Angelis. *Ps. 90. 10. 11. Hebr. 1. 7.*

HYMNUS.

Custódes hóminum psállimus Angelos,
Natúræ fragili quos Pater áddidit
Cœléstis cómites; insidiántibus
Ne succúmberet hóstibus.
Nam quòd corrúerit próditor ángelus,
Concéssis méritò pulsus honóribus,

Ardens invídiâ, pellere nititur
Quos cœlo Deus ádvocat.
Huc Custos ígitur pérvigil advola,
Avértens pátriâ de tibi créditâ
Tam morbos ánimi, quàm requiéscere
Quidquid non sinit íncolas.
Qui lucis pater est, glória sit Patri:
Qui lux ipsa Patris, glória Filio,
Amborúmque tibi, nexus amábilis,
Compar glória, Spíritus.
Amen.

℣. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, ℟. In protectióne Dei cœli commorábitur. *Ps.* 90. 1.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Mitte, Dómine, Angelum tuum bonum, ut métuant qui cum blasphémia véniunt advérsùs pópulum tuum. 2. *Mach.* 15. 23. 24.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. In conspéctu Angelórum * Veníte, adorémus Dóminum. *Ps.* 137. 1.

Psalmi de Feria: & sic in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

Officia per Custodes Angelos Patriarchis præstita.

Ant. t. 2. *D.* Angelus Dómini clamávit, dicens: Abraham, non exténdas manum tuam super púerum. *Gen.* 22. 11. 12.

Ant. t. 3. *a.* Vocávit Angelus Dómini Abraham secúndò, dicens: Dicit Dóminus, Benedícam tibi, quia obedísti voci meæ. *Gen.* 22. 15. 16. 17. 18.

Ant. t. 4. *E.* Dixit Abraham ad servum seniórem domûs suæ: Dóminus Deus cœli mittet Angelum suum tecum, & díriget viam tuam. *Gen.* 24. 2. 3. 40.

℣. Non det in commotiónem pedem tuum: ℟. Neque dormítet qui custódit te. *Ps.* 120. 3.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Venérunt duo Angeli Sódomam véspere; & Lot cómpulit illos óppidò ut divérterent ad eum: cùmque esset manè, * Cogébant eum Angeli, dicéntes: Surge, salva ánimam tuam. ℣. Justum Lot oppréssum à nefandórum injúria ac luxuriósa conversatióne erípuit Deus.* Cogébant. *Gen.* 19. 1. 3. 15. 17. 2. *Pet.* 2. 7.

℟. 2. Vidit Jacob in somnis scalam stantem super terram, & cacúmen illíus tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendéntes & descendéntes per eam: & ait: * Verè Dóminus est in loco isto. ℣. Vidébitis cœlum apértum, & Angelos Dei ascendéntes, & descendéntes supra Filium hóminis. * Verè. *Gen.* 28. 12. 16. *Joan.* 1. 51.

℟. 3. Jacob ábiit itínere quo cœperat; fuerúntque ei óbviàm Angeli Dei: quos

cum vidisset, ait: * Castra Dei sunt. ℣. Cívitas sancta habébat murum altum, habéntem portas duódecim; & in portis Angelos duódecim. * Castra. Glória. * Castra. Gen. 32. 1. 2. Apoc. 21. 12.

IN II. NOCTURNO.

Tutores adversùs inimicos invocandi sunt Angeli.

Ant. t. 8. g. Nolti quómodo descénderint patres nostri in Ægyptum, miserítque Dóminus Angelum suum, qui edúxerit nos. *Num.* 20. 14. 15. 16.

Ant. t. 7. *D.* Angelus Dei, qui præcedébat, stetit inter castra Ægyptiórum & castra Israel. *Exod.* 14. 19. 20.

Ant. t. 8. c. Qui missi erant à Rege Sennácherib, quia blasphemavérunt te, Dómine, exiit Angelus, & percússit ex eis centum octogínta quinque míllia. 1. *Mach.* 7. 41.

℣. Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti, ℟. Et Angelus Dómini coárctans eos. *Ps.* 34. 5.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. In Psal. Qui habitat. *Serm.* 12. *n.* 4.

ANgelis suis mandávit de te. Mira dignátio, & verè magna diléctio charitátis! Quis enim, quibus, de quo, quid mandávit? Studiósè considerémus, fratres, diligénter commendémus memóriæ hoc tam grande mandátum. Quis enim mandávit? Cujus sunt Angeli? Cujus mandátis obtémperant? cujus obédiunt voluntáti? Nempe Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: nec cunctántur, quin étiam in mánibus tollant te. Summa ergo Majéstas mandávit Angelis; & Angelis suis mandávit; illis útique sublímibus, tam beátis, tam próximis sibi cohæréntibus, tam familiáriter adhæréntibus, & verè doméſticis Dei. Mandávit autem de te. Tu, quis es? Dómine, quid est homo, quòd memor es ejus aut filius hóminis, quóniam réputas eum? quasi verò non sit homo putrédo, & filius hóminis vermis.

℣. Vivit Dóminus; quóniam custodívit me Angelus ejus, & hinc eúntem, & ibi commorántem, & inde huc reverténtem: * Confitémini illi, omnes, quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Astitit mihi Angelus Dei, cujus sum ego, & cui desérvio. * Confitémini. *Judith.* 13. 20. 21. *Actor.* 27. 23.

Lectio v. n. 6.

UT custódiant te in ómnibus viis tuis. Quantam tibi debet hoc verbum inférre reveréntiam, afférre devotiónem, conférre fidúciam! Reveréntiam pro præséntia, devotiónem pro benevoléntia, fidúciam pro

custódia. Cautè ámbula, ut vidélicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandátum est, in ómnibus viis tuis. In quovis diversório, in quovis ángulo, Angelo tuo reveréntiam habe. Tu ne áudeas illo præsénte, quod vidénte me non audéres? An præséntem esse dúbitas quem non vides? Adsunt ígitur, & adsunt tibi; non modò tecum, sed étiam pro te. Adsunt ut prótegant, adsunt ut prosint.

℟. Angelus Dómini descéndit cum Azária & sóciis ejus in fornácem; & excússit flammam de fornáce: & non tétigit eos omníno ignis.* Tunc hi quasi ex uno ore laudábant, & benedicébant Deum. ℣. Angelus Dómini edúcens eos dixit: Ite, loquímini ómnia verba vitæ hujus. * Tunc hi. *Dan.* 3. 49. 50. 51. *Act.* 5. 19. 20.

Lectio vj. n. 8. *&* 9.

IN mánibus portábunt te. In tuis quidem viis custódient te; & dedúcent párvulum, quà potest párvulus ambuláre. Cæterum non te patiéntur tentári supra quàm sustinére potes; sed in mánibus tollent te, ut pertránseas offendículum. Quàm fácilè transit, qui illis portátur in mánibus! Quóties ergo gravíssima cérnitur urgére tentátio, & tribulátio véhemens imminére, ínvoca Custódem tuum, ductórem tuum, adjutórem tuum in opportunitátibus, in tribulatióne. Incláma eum, & dic: Dómine, salva nos; perímus. Non dormit, neque dormítat, etsi ad tempus quándoque dissímulet: ne fortè periculósiùs ab illius te mánibus ipse præcípites, si te eis ignoráveris sustentátum.

℟. Deus meus misit Angelum suum, & * Conclúsit ora leónum, & non nocuérunt mihi; quia coram eo justítia invénta est in me. ℣. Misit Dóminus Angelum suū, & erípuit me. * Conclúsit. Glória. * Conclúsit. *Dan.* 6. 22. *Act.* 12. 11.

IN III. NOCTURNO.

Monitis, orationibus, præsidio, ductu nobis subveniunt Angeli.

Ant. t. 6. *f.* Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes: totâ die & totâ nocte in perpétuum non tacébunt. *Is.* 62. 6.

Ant. t. 7. *c.* Circúmdabo domum meam ex his qui mílitant mihi eúntes & reverténtes, & non transíbit super eos ultrà exáctor. *Zach.* 9. 8.

Ant. t. 8. *g.* Angelus egrediebátur, dicens: Absque muro habitábitur Jerúsalem: & ego ero ei murus in circúitu ejus. *Zach.* 2. 3. 4. 5.

℣. Immittet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: ℟. Et erípiet eos. *Ps.* 33. 8.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Léctio vij. Cap. 18. v. 1.

IN illa hora; Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi.

Comm. in Cap. 18. Matth. n. 5.

VIdéte ne contemnátis unum de pusillis istis qui credunt in me. Arctíssimum vínculum mútui amóris impósuit ad eos præcípuè, qui verè in Dómino credidíssent: pusillórum enim Angeli quotídie Deum vident, quia Fílius hóminis venit salváre, quæ pérdita sunt. Ergo & Fílius hóminis salvat, & Deum Angeli vident, & Angeli pusillórum sunt. Fidélium oratiónibus præésse Angelos, absolúta auctóritas est. Salvatórum ígitur per Christum oratiónes Angeli quotídie Deo ófferunt. Ergo periculósè ille contémnitur, cujus desidéria ac postulatiónes ad ætérnum & invisíbilem Deum, ambitióso Angelórum famulátu ac ministério pervehúntur.

℞. Angelus Dómini dixit: Usquequò non miseréberis Jerúsalem, & úrbium Juda quibus irátus es? & * Respóndit Dóminus Angelo verba consolatória: Revértar ad Jerúsalem in misericórdiis. ℣. Revértar, & reædificábo tabernáculum David quod décidit; & érigam illud. * Respóndit. *Zach.* 1. 12. 13. 16. *Act.* 15. 16.

Léctio viij. n. 6.

ATque ut ingéntem esse in cœlis lætítiam réditu humánæ salútis osténderet, comparatiónis pósuit exémplum ejus qui oves nonagínta novem in móntibus reliquísset, & errántem unam requisísset; quâ invéntâ plus gaudii fuit, quàm habebátur in nonagínta novem conservatióne, lætítiæ. Ovis una, homo intelligéndus est; & sub hómine uno univérsitas sentiénda est. Sed in unius Adæ erróre omne hóminum genus aberrávit. Ergo nonagínta novem non errantes, multitúdo Angelórum cœléstium opinánda est, quibus in cœlo est lætítia & cura salútis humánæ. Igitur & quærens hóminem, Christus est; & nonagínta novem relícti, cœléstis glóriæ multitúdo est: cui cum máximo gáudio errans homo in Dómini córpore est relátus.

℞. Machabæus, & qui cum eo erant, cum lácrymis * Rogabant Dóminum, ut bonum Angelum mítteret ad salútem Israel: appáruit præcédens eos eques in veste cándida. ℣. Oculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. * Ro-

gabant. 2. *Mach.* 11. 6. 8. 1. *Pet.* 3. 12.

Ex Commentário sancti Hierónymi Presbyteri, in Matthæum.

Lectio ix.

Lib. 3. *Comm. in Cap.* 18. *Matth.*

Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cœlis semper vident fáciem Patris mei qui in cœlis est. Suprà díxerat per manum, & pedem, & óculum, omnes propinquitátes & necessitúdines quæ scándalum fácere póterant amputándas. Austeritátem ítaque senténtiæ subjécto præcépto témperat, dicens: Vidéte ne contemnátis unũ ex pusillis istis. Sic, inquit, præcípio severitátem, ut commiscéri cleméntiam dóceam. Quantùm in vobis est, nolíte contémnere: sed per vestram salútem étiam illórum quærite sanitátem. Sin autem perseverántes in peccátis vidéritis, & vítiis serviéntes; mélius est vos solos salvos fieri, quàm períre cum plúribus: (quia Angeli eórum in cœlis vident semper fáciem Patris.) Magna dígnitas animárum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitátis in custódiam sui Angelum delegátum.

℟. Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem, * Dómine, quid est homo quòd memor es ejus? aut filius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuísti eum paulò minùs ab Angelis. ℣. Angelus qui mihi hæc ostendébat dixit mihi: Consérvus tuus sum, & fratrum tuórum. * Dómine. Glória. * Dómine. *Ps.* 8. 3. 5. 6. *Apoc.* 22. 8. 9.

Te Deum.

AD LAUDES.

De beneficiis per Angelos acceptis grates Deo repende.

℣. *Sacerdos.* Benedícite Dómino, omnes Angeli ejus, ℟. Poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus. *Ps.* 102. 20.

Ant. t. 7. *a.* Angelus, qui loquebátur in me, suscitávit me, & dixit: Sciétis quia Dominus misit me ad vos. *Zach.* 4. 1. 2. 9.

Ant. t. 3. *a.* Credo quòd Angelus Dei bonus comitétur, & bene dispónat ómnia. *Tob.* 5. 27.

Ant. t. 5. *a.* Angelus fáciéi ejus salvávit eos: in dilectióne sua ipse redémit eos. *Is.* 63. 9.

Ant. t. 6. *f.* Quid dignũ póterit esse benefíciis ejus? Bonis ómnibus per eum replétì sumus. *Tob.* 12. 2. 3.

Ant. t. 1. *a.* Benedíctus Deus, qui misit Angelum suum, & éruit servos suos qui crediderunt in eum. *Dan.* 3. 95.

Capitulum. Exod. 23. 20.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, & custódiat in via,

lus ejus comitetur vobiscum. *Tob.* 5. 21.

Oratio.

DEus, qui ineffábili providéntiâ sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris; largíre súpplicibus tuis, & eórum semper protectióne deféndi, & ætérnâ societáte gaudére; Per, &c.

Ad Horas br. Antiph. de Laudibus exceptâ quartâ.

AD TERTIAM

Capitulum. Zach. 12. 8.

PRóteget Dóminus habitatóres Jerúsalem; & erit domus David quasi Dei, sicut Angelus Dómini in conspéctu eórum.

℟. Consúrgens minister viri Dei vidit exércitum in circúitu civitátis: nuntiavítque ei, dicens: Heu, dómine mi, quid faciémus? ille respóndit: * Noli timére, plu-

timore nocturno. N
incúrsu, & dæmón
diano. * A timóre
Non. *Ps.* 90. 5. 6

℣. Angeli in mán
tábunt te; ℟. Ne
féndas ad lápidem
tuum. *Ps.* 90. 12.

AD NON

Capitulum. Tob.

MIssus est Ang
mini sanctu
ráret eos, quorum
tiónes in conspéctu
recitátæ.

℟. *br.* Dómine Dei
Magnificátus es veh
Dómine. ℣. Qui fa
los tuos, Spíritus,
tros tuos, ignem u
Magnificátus es. Gl
mine. *Ps.* 103. 1.

℣. Benedícite I
omnes Virtútes eju
nístri ejus, qui fa
luntátem ejus. *Ps.* 1

Ant. t. 4. E. Dico vobis: Gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatore pœniténtiam agente. *Luc.* 15. 10.

Ant. t. 6. f. Mittet Dóminus Angelos suos; & congregábunt eléctos ejus. *Mat.* 24. 31.

Ant. t. 8. c. Data sunt Angelo incénsa multa, ut daret de oratiónibus sanctórum super altáre, ante thronum Dei. *Apoc.* 8. 3.

Ant. t. 5. a. Ascéndit fumus incensórum de oratiónibus sanctorum de manu Angeli coram Deo. *Apoc.* 8. 4.

Capitulum. Tob. 12. 6. 11. 12.

DIxit Angelus: ManiféSto vobis veritátem, & non abscóndam à vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

REgnátor orbis summus & árbiter,
Cui prona servit cúria cœlitum;
Quæ voce solâ tu creásti,
Perpétuâ regis ipse curâ.
Nobis fidéles próvidus Angelos
Missos olympo suppéditas duces,
Qui nos tot obséssos periclis
Incólumes sine labe servent.
Ne nos malígnis fráudibus occupet,
Incáuta fallat péctora súbdolus
Suásor malórum; ne redémptam
Abrípiat laniétque prædam.
Laus summa Patri, súmmaque Filio;
Tibíque compar glória, Spíritus,
Qui per salútis tot minístros
Das pátrias remeáre sedes. Amen.

℣. In conspectu Angelórum psallam tibi, Dómine.
℟. Adorábo ad templum sanctum tuum; & confitébor nómini tuo. *Ps.* 137. 1. 2.

Ad Magnif. Ant. t. 8. C. Angeli omnes sunt administratórii Spíritus, in ministérium missi propter eos qui hæreditátem cápient salútis. *Hebr.* 1. 14.

Oratio ut suprà ad Laudes.

DIE XIV.

Ss. FAUSTI, JANUARII ET MARTIALIS, Cordubæ Martyrum.

Simplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio. Exaudi, *pag.* xvij.

Commem. S. Callisti, Papæ & Martyris.

Oratio. Omnipotens, *p.* xj.

Lectio iij.

Ex Actis apud Ruinart.

CUm Eugénius Præses ímpio spíritu adventás-

ſet Córdubam, qui ſervos Dei probáret & deos ſuos adoráre præcíperet, occurrérunt ei Fauſtus, Januárius, & Martiális, Chriſtiános ſe líberè profeſſi. Unde Eugénius irâ pércitus, eos in equúleo mox torquéri jubet; in confeſſióne ſua inconcúſſi, váriis póſtea afficiúntur ſuppliciis: nares eis abſcindúntur & aurículæ; radúntur ſupercília; dentes mandíbulæ ſuperióris evellúntur. Verùm cùm Deo grátias ágerent, magis hílares facti, à furénte Præſide ad flammas damnántur: qui ad locum ſuæ paſſiónis perdúcti, ſic uno ſpíritu plebem Chriſti allocúti ſunt: Vos, chariſſimi Chriſti fidéles, Deum adoráte, & illum benedícite, qui eſt auctor ómnium: non, ut iſti dicunt, adorétis ópera mánuum ipsórum. Confitémini Chriſtum Jeſum, & ſoli Deo ſine ceſſatióne quotídie reférte laudes. Tunc à lictóribus, per quorum manus fúerant cruciáti, in ignem compúlſi, & flammis tráditi, exultánter Deo tradidérunt ſpíritum.

Veſperæ de ſequenti.

DIE XV.

S. THERESIÆ,

VIRGINIS ABULENSIS.

Semiduplex.

De Comm. unius Virginis.

Oratio.

DEus, qui beátæ Theréſiæ Vírginis mónitis & exémplo ſervos tibi & ancillas ſuſcitáſti, in quos de Spíritu tuo effúnderes: da nobis ejus imitatióne ac précibus, & cœléſtis doctrínæ pábulo nutriri, & veræ perfectiónis deſidério accéndi; Per Dóminum ... in unitáte ejúſdem Spíritûs, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex S. Thereſiæ vita & opéribus.

THeréſia Abulæ in Hiſpánia nata, ex perléctis in ténera ætáte Mártyrum actis, magnum hauſit pietátis ſenſum; qui póſtea tum equéſtrium fabellárum lectióne, tum affínium conſuetúdine, imminútus; ita Moniálium, quarum diſciplínæ commíſſa fúerat, inſtitutióne, & Epiſtolárum beáti Hierónymi lectióne revixit, ut vigéſimo ſecúndo ætátis anno, in Abulénſi Carmelitárum Cœnóbio, vitæ religióſæ votum emíſerit. Ibi humilitátis ac charitátis, máximè erga infírmas ſoróres, opéribus, patientiâque ſingulari in váriis tentatiónibus, gravibúſque morbis per annos ferè vigínti perferéndis excélluit.

Lectio v.

CUm tamen aliquámdiu, ſæculárium familiaritáte, oratiónis intermiſſióne, & Confeſſariórum imperitiâ, áliquid de fervore pietátis remiſiſſet; tandem ex lectióne Confeſſiónum ſancti

Augustini, ad Deum pénitus revérsa, ingéntes in virtúte progréssus fécit. Multis exínde illustratiónibus à Deo donáta est; quas tamen superiórum arbítrio subjiciébat, dícere sólita, Se in revelatiónibus décipi posse, in obediéntia neútiquam. Tanto patiéndi æstuábat desidério, ut eos à quibus lædebátur máximè dilígeret, ac sæpè exclamáret; Dómine, aut pati, aut mori. Infidélium & hæreticórum ténebras perpétuis deflébat lácrymis, atque ad placándam divínæ ultiónis iram, voluntários próprii córporis cruciátus Deo pro eórum salúte dicábat.

Lectio vj.

ORdinis Carmelitárum reformatiónem aggréssa, multa virórum ac mulíerum Monastéria instítuit, plúrimas ob id contumélias, ipsum étiam cárcerem passa. Insígnem in Ordine cooperatórem nacta est Joánnem de Cruce dictum, admirándæ sanctitátis & patiéntiæ virum, qui tamen ejus exémplo plúrimùm se profecísse in spiritális propósiti perfectióne sæpiùs testátus est. Cujus perfectiónis consílium Therésia tam altè ánimo infíxit, ut votum emíserit efficiéndi semper quidquid perféctius intellígeret. Soróribus suis oratiónem advérsùs grassántes hæreses, labórem mánuum & paupertátis stúdium præcípuè commendávit; nihílque cárius hábuit, quàm ut vírgines sine dote admítteret. Multa conscrípsit cœléstis pietátis documénta, quibus fidélium mentes ad supérnæ pátriæ desidérium mirabíliter excitántur. Albæ ad Tormim decúmbens, Ecclésiæ Sacraméntis muníta, ánimam Deo réddidit, anno salútis millésimo quingentésimo octogésimo secúndo: quam ante & post óbitum miráculis claram Gregórius décimus quintus Sanctis adscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25. v. 1.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus; quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

De sanct. Virginit. Cap. 13.

HAbeant conjúgia bonum suum, non quia fílios prócreant; sed quia honéstè, quia lícitè, quia pudícè prócreant, & procreátos páriter, salúbriter, instánter éducant; hæc tamen ómnia humáni offícii sunt múnera: virginális autem intégritas, Angélica pórtio est, & in carne corruptí-

bili incorruptiónis perpétuæ meditátio. Cedat huic omnis fœcúnditas carnis, omnis pudicítia conjugális: illa non eſt in poteſtáte; illa non eſt in æternitáte ... Profécto habébunt magnum áliquid præter cæteros in illa commúni immortalitáte, qui habent áliquid jam non carnis in carne.

Lectio viij. Cap. 27.

PErgite ítaque, ſancti púeri & puéllæ cœlibes & innúptæ, pérgite perſeveránter in finem. Laudáte Dóminum dúlciùs, quem cogitátis ubériùs. Speráte felíciùs, cui ſervítis inſtántiùs. Amáte ardéntiùs, cui placétis atténtiùs. Lumbis accínctis, & lucérnis ardéntibus expectáte Dóminum, quando revertátur à núptiis. Vos affértis ad núptias Agni cánticum novum quod cantábitis cítharis veſtris; non útique tale, quale cantat univérſa terra; ſed tale, quale nemo póterit dícere niſi vos. Sic vos enim vidit quidam præ cæteris diléctus Agno, qui diſcúmbere ſuper pectus ejus ſólitus erat, & bíberat, & eructábat mirabília ſuper Dei Verbo. Ipſe vos vidit duodécies duodéna míllia ſanctórum citharœdórum illibátæ virginitátis in córpore, inviolátæ veritátis in corde: & quia ſequímini Agnum quòcúmque íerit, ſcripſit ille.

Lectio ix. Cap. 27. & 29.

QUò ire putámus hunc Agnum, quò nemo eum ſequi vel áudeat, vel váleat niſi vos? In quos ſaltus & prata? Ubi, credo, ſunt gáudia magna, non gáudia hujus ſæculi vana, insániæ mendáces, nec gáudia quália in ipſo regno Dei cæteris non virgínibus erunt, ſed à cæterórum ómnium ſorte diſtincta. Gáudium vírginum Chriſti, de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, poſt Chriſtum, per Chriſtum, propter Chriſtum... Ite in hæc, ſequímini Agnum, quia & Agni caro útique virgo. Hoc enim in ſe retínuit auctus quod matri non ábſtulit concéptus & natus. Méritò eum ſequímini virginitáte cordis & carnis quòcúmque íerit. Quid eſt enim ſequi, niſi imitári? Sequímini eum perſeveránter: quod voviſtis ardénter fácite cùm potéſtis, ne virginitátis bonum à vobis péreat; cùm fácere nihil potéſtis ut rédeat.

Commem. de ſequenti.

DIE XVI.

S. ELIPHII, MARTYRIS TULLENSIS.

Simplex.

De Communi unius Martyris.

Oratio. Præſta, quæſumus, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Ruperto Abb. apud Sur. ex Vindrico in vita S. Gerardi.

ELíphius in Diœcéſi Tulléngi natus, vitæ ſanctitáte

stitáte & martyrii glóriâ natále solum illustrávit. Quod enim contrítis ad flúvium Veram, idolórum simulachris, plebem ad sacrílega thura convocátam ab impio cultu avocáret, comprehensus, & Christianam religiónem constánter proféssus, prope Solimariacam urbem, ubi nunc vicus nómine Solóssa, temporibus Juliáni Imperatóris, cápite truncátus fuísse tráditur. Corpus ejus in monte vicíno sepúltum, in extrúcta super ejus túmulum capella pérdiu venerári sunt fidéles; donec crebrescéntibus ad illíus sepúlchrum miráculis, major & decéntior sub ejus nómine & patrocínio erécta est Ecclésia. Ex religiósa in beátum Mártyrem devotióne sanctus Gerárdus Tulléensis Epíscopus sacras ipsius Reliquias tránstulit, quarum partem non mínimam, majóra scílicet ossa, Brunóni Coloniénsi Epíscopo, magni Ottónis germáno, concéssit: quæ digna cum veneratióne Colóniam advécta sunt; ubi célebris est sancti Elíphii memória.

Die xviii.
S. Lucæ, Evangelistæ.
Dupl. 3. Class.
Ad I. Vesperas.

In quatuor animalibus quæ vidit Ezechiel, & post eum Joannes, quatuor Evangelistas prænuntiatos agnosce.

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. a. Vidi, & ecce nubes magna, & ignis invólvens; & de médio ejus quasi spécies eléctri; & in medio ejus similitúdo quátuor animálium. *Ezech.* 1. 4. 5.

Ant. t. 7. a. Aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, & quasi aspéctus lampadárum. *Ezech.* 1. 13.

Ant. t. 3. a. Audiébam sonum alárum, quasi sonum sublímis Dei, cum ambulárent. *Ezech.* 1. 24.

Ant. t. 2. d. Ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent. *Ezech.* 1. 12.

Ant. t. 5. a. Ibant & revertebántur, in similitúdinem fúlguris coruscántis. *Ezech.* 1. 14.

Capitulum. Apoc. 4. 7.

Animal primum símile leóni; & secúndum ánimal símile vítulo; & tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis; & quartum ánimal símile áquilæ volánti.

℞. Quátuor animália, singula eórum habébant alas senas; & in circúitu, & intus plena sunt óculis: * Et réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: † Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnipotens.
℣. Audívi vocem commotiónis magnæ: Benedícta glória Dómini de loco suo; & vocem alárum animálium

percutiéntium alteram ad álteram. * Et réquiem. Glória. † Sanctus. *Apoc.* 4. 8. *Ezech.* 3. 12. 13.

HYMNUS
Ex Sant. Vict.

CHristi perénnes núntii,
Retécta qui cœléstibus
Scriptis Dei mystéria
Totum per orbem spárgitis;
Olim sub umbris cóndita
Vates sacri quæ víderant,
Umbris procul cedéntibus,
Vidístis hæc pleno die.
Humána quæ tulit Deus,
Divína quæ gessit homo,
Seris legénda pósteris
Dictánte scripsístis Deo.
Loco remótos, témpore,
Vos rexit idem Spíritus;
Et quisque pro ductu Dei,
Scribéndo Christum réddidit.
Nos ut docéret, índuit
Vocis sonos, Verbum Patris:
Vestris adhuc in páginis
Nobis loqui non désinit.
Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Magnificéntiam sanctitátis tuæ loquéntur;

℟. Et mirabília tua narrábunt. *Ps.* 144. 5.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Nonne Dóminus fecit Sanctos suos enarráre ómnia mirabília sua, quæ confirmávit Dóminus omnípotens stabilíri in glória sua? *Eccli.* 42. 17.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Christum dantem Evangelístas ad consummatiónem Sanctórum, * Veníte, adorémus. *Ephes.* 4. 11. 12.

Psalmi de Feria: & sic in toto Officio.

IN I. NOCTURNO.

Mittitur qui evangelizet Sion.

Ant. t. 1. *a.* Exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem: ecce bráchium Dómini dominábitur. *Is.* 40. 9. 10.

Ant. t. 2. *d.* Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt; & Jerúsalem Evangelístam dabo. *Is.* 41. 27.

Ant. t. 3. *a.* Parávit cor suum, ut investigáret legem Dómini, & docéret Israel præcéptum. 1. *Esd.* 7. 10.

℣. Dóminus dabit verbum Evangelizántibus ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67. 12.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Ecce super montes pedes evangelizántis, & annuntiántis pacem: * Célebra, Juda, festivitátes tuas, & redde vota tua. ℣. Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! * Célebra. *Nahum.* 1. 15. *Rom.* 10. 15.

℟. 2. Dedit illi Dóminus coràm præcépta & legem vitæ; & * Docére Jacob testimónia, & in lege sua lucem dare Israel. ℣. Christus dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios verò Evangelístas, * Docére. *Eccli.* 45. 6. 21. *Ephes.* 4. 11.

℟. 3. Quanta audívimus, & cognóvimus ea; & * Patres nostri narravérunt nobis! narrántes laudes Dómini, & virtútes ejus, & mirabília ejus quæ fecit. ℣ Evangelizavérunt nobis, Spíritu sancto misso de cœlo, quæ in Christo sunt, passiónes & posterióres glórias. * Patres. Glória. * Patres. *Ps.* 77. 3. 4. 1. *Pet.* 1. 12. 11.

IN II. NOCTURNO.

Jubetur scribere quæ sibi revelavit Spiritus.

Ant. t. 4. a. Hæc dicit Dóminus Deus Israel: Scribe ómnia verba, quæ locútus sum ad te, in libro. *Jerem.* 30. 2.

Ant. t. 5. a. Scriptus est liber monuménti coram Dómino timéntibus Dóminum & cogitántibus nomen ejus. *Malach.* 3. 16.

Ant. t. 6. f. Hic liber mandatórum Dei, & lex quæ est in ætérnum. *Baruc.* 4. 1.

℣. Scribántur hæc in generatióne áltera: ℟. Et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum. *Ps.* 101. 19.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de Scriptóribus Ecclesiasticis. *Cap.* 7.

Lectio iv.

LUcas, médicus Antiochénsis, ut ejus scripta índicant, Græci sermónis non ignárus, fuit sectátor Apóstoli Pauli, & omnis peregrinatiónis ejus comes. Scripsit Evangélium, de quo idem Paulus: Mísimus, inquit, cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et ad Colossénses: Salútat vos Lucas médicus caríssimus Et ad Timótheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque édidit volúmen egrégium, quod título Acta Apostolórum prænotátur; cujus históría usque ad biénnium Romæ commorántis Pauli pervénit, id est, usque ad quartum Nerónis annum. Ex quo intellígimus, in eâdem urbe librum esse compósitum.

℟. Cùm esset sapientíssimus, dócuit pópulum: quæsívit verba utília, & * Conscrípsit sermónes rectíssimos ac veritáte plenos. ℣. Ut cognóscas eórum verbórum, de quibus erudítus es, veritátem, * Conscrípsit. *Eccle.* 12. 9. 10. *Luc.* 1. 4.

Lectio v.

IGitur períodos Pauli & Theclæ, & totam baptizáti Leónis fabulam inter apócryphas scriptúras computámus. Quale enim est, ut indivíduus comes Apóst-

stoli, inter cæteras ejus res, hoc solùm ignoráverit? Sed & Tertulliánus, vicínus illórum témporum, refert Presbyterum quemdam in Asia amatórem Apóstoli Pauli, convíctum à Joánne quòd auctor esset libri, & conféssum se hoc Pauli amóre fecisse, ob id loco excidisse.

℟. Doctrínam sapiéntiæ & disciplínæ scripsit in códice: renovavit sapiéntiam de corde suo. * Beátus qui in istis versátur bonis; qui ponit illa in corde suo, sápiens erit semper. ℣. Discípulus qui testimónium pérhibet de his, scripsit hæc; & scimus quia verum est testimónium ejus. * Beátus. *Eccli.* 50. 29. 30. *Joan.* 21. 24.

Lectio vj.

QUidam suspicántur, quotiescúmque in Epístolis suis Paulus dicit, Juxta Evangélium meum, de Lucæ significáre volúmine; & Lucam non solùm ab Apóstolo Paulo didicisse Evangélium, qui cum Dómino in carne non fúerat, sed à cæteris Apóstolis. Quod ipse quoque in princípio sui volúminis declárat, dicens: Sicut tradidérunt nobis, qui à princípio ipsi vidérunt, & ministri fuérunt sermónis. Igitur Evangélium, sicut audíerat, scripsit; Acta vero Apostolorum, sicut víderat, ipse compósuit. Vixit octogínta & quátuor annos, uxórem non habens. Sepúltus est Constantinópoli; ad quam urbem vigésimo Constántii anno, ossa ejus cum Relíquiis Andréæ Apóstoli transláta sunt de Achaïa.

℟. Omnis Prophetía Scriptúræ propriâ interpretatióne non fit: * Non enim voluntáte humánâ alláta est aliquándo Prophetía: sed † Spíritu sancto inspiráti, locúti sunt sancti Dei hómines. ℣. Spíritus est in homínibus, & inspirátio Omnipoténtis dat intelligéntiam. * Non enim. Glória. † Spíritu sancto. 2. *Pet.* 1. 20. 21. *Job.* 32. 8.

IN III. NOCTURNO.

Quæ scripsit Evangelista, ut legem Dei meditare & sequere.

Ant. t. 7. a. Requírite diligénter in libro Dómini, & légite; quia quod ex ore meo procédit, ille mandávit. *Is.* 34. 16.

Ant. t. 8. c. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem. *Eccli.* 24. 47.

Ant. t. 4. a. Non in cassum præcepta sunt vobis, sed ut sínguli in eis víverent. *Deuter.* 32. 47.

℣. Atténdite, pópule meus, legem meam:

℟. Inclináte aurem vestram in verba oris mei. *Ps.* 77. 1.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. Cap. 1. v. 1.

QUóniam quidem multi conáti sunt ordináre narratiónē, quæ in nobis complétæ sunt, rerum. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Exposit. Evangel. secundùm Luc. Lib. 1.

ECclésia, cùm quátuor Evangélii libros hábeat, per univérsum mundum Evangelístis redúndat: hæreses cùm multa hábeant, unū non habent. Multi enim conáti, sed Dei grátiâ destitúti sunt... Conáti útique illi sunt, qui implére nequivérunt. Ergo multos cœpísse, nec implevísse étiam sanctus Lucas testimónio locupletióre testátur, dicens plúrimos esse conátos. Qui enim conátus est ordináre, suo labóre conátus est, nec implévit. Sine conátu sunt enim donatiónes & grátia Dei, quæ ubi se infúderit, rigáre consuévit, ut non égeat, sed redúndet scriptóris ingéniū. Non conátus est Matthæus, non conátus est Marcus, non conátus est Joánnes, non conátus est Lucas: sed divíno Spíritu ubertátem dictórum rerúmque ómnium ministránte, sine ullo molímine cœpta complevérunt.

℟. Non abscóndam à vobis sacraménta Dei, sed ab inítio nativitátis investigábo, & ponam in lucem sciéntiam illíus. * Ergo accípite disciplínam per sermónes meos, & próderit vobis. ℣. Non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ à Deo donáta sunt nobis; quæ & lóquimur in doctrína Spíritûs. * Ergo. *Sap. 6. 24. 27. 1. Cor. 2. 12. 13.*

Lectio viij.

VIsum est, inquit, & mihi. Potest étiam non soli visum esse, quod visum sibi esse declárat. Non enim voluntáte tantùm humánâ visum est; sed sicut plácuit ei qui in me, inquit, lóquitur Christus; qui ut id quod bonum est, nobis quoque bonum vidéri possit, operátur; quem étiam miserátur & vocat. Et ídeò qui Christum séquitur, potest interrogátus cur esse voluérit Christiánus, respondére: Visum est mihi. Quod cùm dicit, non negat Deo visum; à Deo enim præparátur volúntas hóminum. Ut enim Deus honorificétur à sancto, Dei grátia est. Dénique plúrimi voluérunt scríbere Evangélium: sed quátuor tantúmmodo, qui divínam meruérunt grátiam, sunt recépti.

℟. Non recédat volúmen legis hujus ab ore tuo; sed * Meditáberis in eo diébus ac nóctibus, ut custódias & fácias ómnia quæ scripta sunt in eo. ℣. Scriptum est enim: Maledíctus omnis qui non

permánserit in ómnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut fáciat ea. * Meditáberis. *Jos.* 1. 8. *Gal.* 3. 10.

Lectio ix.

PRolixiórem hunc Evangélii librum quàm cæteros esse nemo dubitáverit. Et ídeò non ea, quæ falsa sunt, sed quæ vera, sibi víndicat. Dénique étiam à sancto Paulo Apóstolo testimónium méruit diligéntiæ. Sic enim laudat Lucam: Cujus laus, inquit, est in Evangélio per omnes Ecclésias. Et verè laudábilis est, qui méruit à tanto Géntium doctóre laudári. Scriptum est autem Evangélium ad Theóphilum, hoc est, ad eum quem Deus díligit. Si Deum díligis, ad te scriptum est: si ad te scriptum est, súscipe munus Evangelístæ: pignus amíci in penetralibus ánimi diligénter asérva. Bonum depósitum custódi per Spíritum sanctum, qui datus est nobis.

℟. Doctrínam quasi prophetíam effúndam, & * Relínquam illam quæréntibus sapiéntiam; & non désinam in progénies illórum † Usque in ævum sanctum. ℣. Evangélii factus sum miníster, secúndùm donum grátiæ Dei, quæ data est mihi. * Relínquam. Glória † Usque. *Eccli.* 24. 46. *Ephes.* 3. 7.

Te Deum.

AD LAUDES.

Evangelistæ in scribendo diligentia.

℣. *Sácerdot.* Suscitávit Dóminus testimónium in Jacob: ℟. Et legem pósuit in Israel. *Ps.* 77. 5.

Ant. 1. 1. *a.* SErmónẽ feci de ómnibus quæ cœpit Jesus fácere, & docére, usque in diem quâ assúmptus est. *Act.* 1. 1. 2.

Ant. 2. *D.* Visum est mihi, assecúto ómnia à princípio diligénter, ex órdine scríbere. *Luc.* 1. 3.

Ant. 3. *a.* Notum mihi factum est sacraméntum, sicut scripsi; prout potéstis legéntes intellígere prudéntiam meam in mystério Christi. *Ephes.* 3. 3. 4.

Ant. 4. *F.* Hæc ómnia liber vitæ, & testaméntum Altíssimi, & agnítio veritátis. *Eccli.* 24. 32.

Ant. 5. *a.* Scripta sunt, ut credátis: & ut credéntes, vitam habeátis in nómine Jesu. *Joan.* 20. 31.

Capitulum. Deuter. 32. 46.

POnite corda vestra in ómnia verba quæ ego testíficor vobis: ut mandétis ea filiis vestris custodíre & fácere, & implére univérsa quæ scripta sunt legis hujus.

℣. Pórtio mea, Dómine, ℟. Dixi, Custodíre legem tuam. *Ps.* 118. 57.

Ad Bened. *Ant.* 7. *a.* Præcepísti ei, Dómine, scríbere legem tuam coram filiis Israel. *Baruc.* 2. 28.

Oratio.

DEus, qui beáto Lucæ, córporum médico, Evangélium Filii tui nobis tradéndum credens, eum étiam effecísti médicum animárum; fac nos salúbri verbo tuo semper inténtos, quæ nóxia esse demónstrat, fúgere; & quæ utília salúti, fidéliter apprehéndere; Per, &c.

Ad Horas br. *Antiph. de Laudibus, quartâ pretermissâ.*

AD TERTIAM.

Capitulum. Ephes. 3. 8. 9.

MIhi data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, & illumináre omnes quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi à sæculis in Deo, qui ómnia creávit.

℟. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. * Lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis. ℣. Cùm plácuit ei, qui me segregávit, ut reveláret Filium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus.* Lingua mea. Glória.* Lingua. *Ps.* 44. 2. *Gal.* 1. 15. 16.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. 2. Cor. 2. 17.

NOn sumus sicut plúrimi, adulterántes verbum Dei, sed ex sinceritáte, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo lóquimur.

℟. br. Elóquia Dómini * Elóquia casta. Elóquia. ℣. Argéntum igne examinátum. * Elóquia. Glória. Elóquia. *Ps.* 11. 7.

℣. Ignítum elóquium tuum; ℟. Et servus tuus diléxit illud. *Ps.* 118. 140.

AD NONAM.

Capitulum. Hebr. 2. 3.

QUómodo effugiémus, si tantàm neglexérimus salútem? quæ cum inítium accepísset enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est.

℟. br. Quanta Dóminus * Mandávit pátribus nostris. Quanta. ℣. Nota fácere ea fíliis suis. * Mandávit. Glória. Quanta. *Ps.* 77. 5.

℣. Patres nostri annuntiavérunt nobis, ℟. Opus quod operátus es in diébus eórum. *Ps.* 43. 2.

AD II. VESPERAS.

Evangelistæ laus & merita.

Ant. t. 1. d. HIc est qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 2. D. Ipse scriba velox in lege quam Dóminus Deus dedit Israel. 1. *Esd.* 7. 6.

Ant. t. 5. a. Illíus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias. 2. *Cor.* 8. 18.

Ant. t. 6. f. Ordinátus est ab Ecclésiis comes peregrinatiónis nostræ, in hanc grátiam quæ ministrátur à nobis. 2. *Cor.* 8. 19.

Ant. t. 8. c. Experiméntum ejus cognóscite; quia si-

cui patri filius, mecum servívit in Evangélio. *Philip.* 2. 22.

Capitulum. Colos. 1. 23.

PErmanéte in fide fundáti & stábiles & immóbiles à spe Evangélii quod audístis, cujus factus sum ego miníster.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

SInæ sub alto vértice,
Cœlo tonánte, lex data;
Inter tubas & fúlgura
Præsens minabátur Deus.

Nunc, temperáto númine,
Per vela carnis blándiius
Amat vidéri, lánguidis
Se lumen aptans sénsibus.

Insculpta saxo lex vetus,
Præcépta, non vires dabat:
Inscrípta cordi lex nova,
Præcépta dat cum víribus.

Scripsístis hanc fidâ manu,
Hanc voce, voci cónsonis
Hanc prædicástis móribus;
Signástis hanc & sánguine.

Afflánte divo Spíritu,
Quæ verba vitæ tráditis,
Hæc ille nostris ímprimat
Deléndа numquam córdibus.

Uni sit & Trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.

℣. Beatus qui dispónet sermónes suos in judício; ℟. In ætérnum non commovébitur. *Ps.* 111. 1. 5. 6.

Ad Magnif. *Ant.* 1. 6. f. Lucas est mecum solus. In mea defensióne omnes me dereliquérunt: Dóminus autem mihi ástitit, & confortávit me. 2. *Tim.* 4. 11. 16. 17.

Oratio ut suprà.

DIE XX.

S. EUCHARII, MARTYRIS TULLENSIS.

Simplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Abb. Rup. in vita S. Eliphii apud Sur. ex diplom. Dagob. 1. *ex Chart. Petr. de Brix. &c.*

EUchárius, sancti Elíphii Mártyris frater, ipse quoque, Juliáni apóstatæ tempóribus, sub Salústio Galliárum Præfécto, pro Christi fide secúri percússus fuisse fertur, prope vicum nómine Pompéium, ubi Murtha Moséllæ illábitur: unde corpus ejus à Christiánis delátum, in Liberdunénsi Castro sepúltum est: cui quidem loco tutíssimũ fuisse præsídium sacrum hoc pignus, his testátur verbis Dagobértus primus Francórum Rex in diplómate Ecclésiæ Tullénsi concésso: Locus, inquit, in quo sanctus Euchárius venerátur, obséssus à Vándalis, remánsit indestrúctus: ubi Deus excitándo

poténtiam suam salvos fecit multos, & Vándali passi ruínam magnam, periérunt propter iniquitátes suas. Duodécimo autem sæculo, cùm Petrus de Brixéïo Liberdúnum antiquíssimum Tulléńsis Ecclésiæ castrum instauráffet, ad loci muniméntum, máximè verò, ut ait, ad honoránda gloriósi Mártyris Euchárii ibídem quiescéntis ossa, sub illíus nómine Ecclésiam constrúxit. Sacræ beáti Mártyris Relíquiæ sexagínta post annos ab Ægídio de Sorcéïo Tulléńsi Epíscopo translátæ, & in pretiosióri theca repósitæ, à Lutheránis, confráctâ arcâ, décimo sexto sæculo concremátæ sunt.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXI.

TRANSLATIO S. GERARDI, TULLENSIS Epíscopi.

Duplex 2. Class.

AD I. VESPERAS.

Qui in vita sua bonum operatus est, è tenebris sepulchri erumpet gloria ejus.

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. D. Serve meus, dicit Dóminus, & rectíssime, quem elégi: Pastor meus es, & omnem voluntátem meam complébis. *Is.* 44. 1. 2. 28.

Ant. t. 2. D. Scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini, & restitúere tribus Jacob. *Eccli.* 48. 10.

Ant. t. 3. A. Erúmpet quasi manè lumen tuum, & anteíbit fáciem tuam justítia tua, & glória Dómini cólliget te. *Is.* 58. 8.

Ant. t. 4. E. Implébit Dóminus splendóribus ánimam tuam, & ossa tua liberábit. *Is.* 58. 11.

Ant. t. 5. a. Cùm te consúmptum putáveris, oriéris ut lúcifer, & deprecabúntur fáciem tuam plúrimi. *Job.* 11. 17. 19.

Capitulum. Eccli. 44. 9. 14.

Sunt quorum non est memória: periérunt quasi non fuerint: sed córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem.

℟. Custódi innocéntiam, & vide æquitátem: * Quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico: injústi autem dispeŕbunt simul; relíquiæ impiórum interíbunt. ℣. Evigiláte, justi, & nolíte peccáre: seminátur corpus in ignobilitáte, surget in glória: seminátur in infirmitáte, surget in virtúte. * Quóniam. Glória. * Quóniam. *Ps.* 36. 37. 38. 1. *Cor.* 15. 34. 43.

HYMNUS.

Sedibus, Præsul, súperis recépte,
Advola, terris sacra te repóscunt:
Nostra dum cantu tibi dedicáto
Templa resúltant.

Pro Deo vitam cúpidus pacísci,
Otium durus sibi denegávit:
Prælium Christi bene præliári
Una volúptas.

Si reis vindex minitátur ira,
Súpplici defert prece vim Tonánti:
Et Deum jugis grege prò tuéndo
Víctima placat.

Docta dat Præsul documénta Clero,
Légibus sacris pópulum coércet:
Omnium curâ pater, omnibúsque
Omnia factus.

Qui tuis formas pópulis minístros
Sit, Deus, jugis tibi laus in ævum:
Fac ut in Clero sua prima virtus,
Trine, resúrgat. Amen.

℣. Fílii hóminum, scitóte, ℟. Quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum. *Ps.* 4. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *a.* Fulgébunt qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Commem. S. Hilarionis. Abbatis.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xl.

AD OFFICIUM NOCT.

Psalmi de Feria.

Et omnia ut in Comm. unius Pontificis, exceptis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Append. ad vitam S. Gerardi apud Martene Thes. nov. Tom. 3. & ex bulla Canonizat. ejusdem.

Cum virtútum ómnium exémplis, signórum número, & sanctitátis opinióne célebris longè evasísset beáti Gerárdi Tulléusis Epíscopi memória; nec qui miráculis in vita clarúerat, in túmulo pósitus, inclaréscere desíneret; his excítus sanctus Leo nonus summus Póntifex, & in Episcopátu Tulléusi quintus à Gerárdo Antístes, anno millésimo quinquagésimo, in Synodo Romána, prædecessóri suo tot méritis & prodígiis insígni Sanctórum honóres decrévit, Patres coram obtestátus, quantùm sacros illíus artus per se leváre cúperet. Quare anno sequénti, promíssi sui non ímmemor pius Póntifex, Româ Tullum advénit: quo adstánte, & convocato multórum Episcopórum & virórum illústrium cœtu, lapis sepúlchro superpósitus revólvitur; sacrumque corpus, ab annis licèt plusquam quinquagínta septem sepúltum, reperítur pene íntegrum; hinc vestiméntis Pontificálibus nullâ adhuc vetustáte detrítis indútum, suávem fundens odórem, & quamdam resurrectiónis spéciem

præmónstrans, totâ die pópulis undecúmque confluéntibus aspiciéndum & honorándum propónitur. Postrídie verò ara sacrátur benedictióne Apostólicâ, ubi sancta ipsíus deínceps recolerétur memória ; & Translatiónis ejus dies multis clara miráculis, in pósterum solémnis decérnitur.

Lectio v.

Ex Bulla Canonizatiónis sancti Gerárdi Epíscopi à sancto Leóne nono éditâ.

ANte nos in Episcopátu Tulléns, unde nutu Omnipoténtis, non ullis meritórum nostrórum proféctibus, ad Apostólicam Sedem transláti sumus, fuit Epíscopus nómine Gerárdus, qui duo talénta, intelléctum & operatiónem à cœlésti Patrefamílias accípiens, divínam legem quam medúllitùs intelléxit, sic ópere adimplére stúduit, ut fíeret dignus accípere illam desiderábilem à Dómino salutatiónem : Euge, serve bone & fidélis, quia súper pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. Sic enim Dómini sui talénta erogávit, sic ánimas lucrátus est, verba salútis prædicándo, & ópere quod prædicábat exercéndo, ut geminátam Dómino suo pecúniam præsentáret, & sibi ætérna benefícia cumuláret.

Lectio vj.

QUamvis autem venerábile corpus ejus multis coruscáret miráculis, nondum tamen in catálogo Sanctórum sortítus est humánâ corroboratióne númerum : quòd Dei miserátrix cleméntia nobis servis suis relíquit agéndum, ubi ad culmen conscéndimus Apostólicum. Residéntibus ergo nobíscum Romæ in Synodo multis Coëpíscopis nostris, exposúimus dómini Gerárdi vitam venerábilem, conversatiónem mirábilem, miraculórum multitúdinem, & efficáciam divínæ virtútis ad corpus ejus exuberántem : sanctámque Synodum interrogávimus, si debéret ut Sanctus venerári, & Sanctus deínceps nominári. Ad quod cuncti tam Archiepíscopi quàm Epíscopi, tam Abbátes quàm Clérici, quasi uno ore clamavérunt, ipsum dóminum Gerárdum virum esse sanctum, & inter Sanctos numerándum, nominándum & venerándum. Decrévimus ergo sic annuénte ac laudánte Synodo, ut ex hoc Sanctus habeátur, & ut Sanctus colátur. Cujus venerábile corpus per nosipsos cúpimus transférre, & digno loco in altári próprio collocáre.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. v. 33.

IN illo tempore; Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucérnam accéndit, & in abscóndito ponit, neque sub modio; sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

In S. Martyr. Ignat. n. 5.

SAnctórum non modò córpora, sed & ipsi lóculi & monuménta spirituali grátiâ conférta sunt. Nam si in Eliséo id contigit, ut defúnctus sepúlchrum ejus attíngens, mortis víncula dissólverit, & ad vitam rursus redíerit; multò magis id fiet hoc témpore, quo grátia fluit ubérior, quo spíritûs major est vis; ut si cum fide áliquis arcam attíngat, magnam inde virtútem háuriat.

Lectio viij.

EAm ob causam Relíquias Sanctórum nobis concéssit Deus, ut nos ad se eórum imitatióne perdúcat, & sint nobis velut portus quidam, & idóneum solátium eórum malórum quæ assíduè nos affligunt. *. Utilis ígitur cunctis hic thesáurus est, & refúgium salutáre, tam illis qui rebus duris atque ásperis & peccátis conflictántur, quàm illis qui prósperè & felíciter degunt, ut diu fruántur bonis; illis qui morbis labórant, ut bonam valetúdinem consequántur; illis qui cómmodâ gaudent valetúdine, ne in morbum áliquem incúrrant.

Lectio ix. de S. Hilarione.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri de vita sancti Hilariónis.

HIlárion ortus vico Tábatha in Palæstína, paréntes hábuit idólis déditos, à quibus Alexandríam missus est studiórum causâ. Ibi magna ingénii & morum documénta præbuit; quodque his majus est, credens in Dóminum Jesum, non circi furóribus, non arénæ sánguine, non theátri luxúriâ delectabátur, sed tota illi volúntas in Ecclésiæ erat congregatióne. Cùm autem tunc Antónii nomen in Ægypto celebérrimum esset, ejus viséndi stúdio in solitúdinem conténdit: apud quem per duos ferè menses commorátus, omnem ejus dídicit vivéndi rationem. Domum revérsus, mórtuis paréntibus, partem facultátum frátribus, partem paupéribus dilargítus est: necdum quintum décimum annum egréssus, rédiit in solitúdinem; ubi constrúctâ casâ, quæ vix ipsum cáperet, humi super strato júnceo cubábat. Scriptúras sacras quas tenébat memóriter, post oratiónes & psalmos quasi Deo præsénte recitábat. Paucas ficus, & succum herbárum, ad victum adhibébat; neque ante solis occásum étiam diébus festis, aut in gravíssima valetúdine

Jejúnium solvébat. Váriè à dæmónibus vexátus, eos signo Crucis & nóminis Jesu invocatióne superávit. Tandem octogésimum annum ágens, multis éditis miráculis, in morbum íncidit: & morte imminénte trepidántem ánimam sic compellábat: Egrédere, ánima mea, quid dúbitas? septuagínta propè annis servísti Christo, & mortem times? Quibus in verbis spíritum exhalávit.

Te Deum.

AD LAUDES.

De bonis operibus in vita; & de mirabilibus post mortem justo gratulatur Ecclesia.

℣. *Sacerdot.* Repleátur os meum laude; ℟. Ut cantem glóriam tuam. *Ps.* 70. 8.

Psalmi de Feria.

Ant. t. 8. *c.* HIc est qui fuit in Ecclésia cum pátribus nostris; qui accépit verba vitæ dare vobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 3. *A.* Templi altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, & excélsi paríetes templi. *Eccli.* 50. 2.

Ant. t. 5. *f.* Statuísti, Dómine, ut transferréntur ossa (ejus) & posuísti templum, in quo invocátum est nomen tuum in ipso. *Bar.* 2. 24. 26.

Ant. t. 6. *F.* Ossa (ejus) quasi herba germinábunt; & cognoscétur manus Dómini servis ejus. *Is.* 66. 14.

Ant. t. 1. *d.* Dómine, propter fámulum tuum, nota esse voluísti univérsa magnália; & tu, Dómine, factus es Deus ejus. 1. *Par.* 17. 19. 22.

Capitulum. Eccli. 37. 22. 29.

VIr perítus multos erudívit. In pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum.

℣. Dómine, dabis eum in benedictiónem ℟. In sæculum sæculi. *Ps.* 20. 7.

Ad Bened. Ant. t. 8. *c.* Natus est homo, princeps fratrum, firmaméntum gentis, stabiliméntum pópuli: ossa ipsíus visitáta sunt, & post mortem prophetavérunt. *Eccli.* 49. 17. 18.

Oratio.

DEus, qui hunc diem honorábilem nobis in beáti Pontíficis Gerárdi Translatióne tribuísti: da, quæsumus, Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam; ut cujus membra pio amóre venerátur in terris, ejus intercessiónibus sublevétur in cœlis; Per, &c.

In Laudibus Comm. S. Hilarionis, Abb.

Ad Horas br. Psalmi de Feria.

Antiph. de Laudib.

AD TERTIAM.

Capitulum. Zach. 6. 12. 13.

HÆc ait Dóminus: Ipse éxtruet templum Dómino; & ipse portábit glóriam, & sedébit: & erit Sacérdos super sólio suo.

℟. Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi sol refúlgens; * Sic ille ef-

apud Deum nota est, & apud hómines. ℣. Relígio munda apud Deum & Patrem, hæc est, Immaculátum se custodíre ab hoc sæculo. * Immortális. *Sap.* 4. 1. *Jacob.* 1. 27.

℟. 2. Obaudíte me, divíni fructus, & * Quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte: quasi Líbanus odórem suavitátis habéte. ℣. Habéntes mystérium fídei in consciéntia pura; * Quasi rosa. *Eccli.* 39. 17. 18. 1. *Tim.* 3. 9.

℟. 3. Córpora vestra, membra sunt Christi; * Membra vestra templum sunt Spíritûs sancti qui in vobis est. † Glorificate, & portáte Deum in córpore vestro. ℣. Floréte, flores, quasi lílium, & date odórem, & frondéte in grátiam. * Membra. Glória. † Glorificáte. 1. *Cor.* 6. 15. 19. 20. *Eccli.* 39. 19.

IN II. NOCTURNO.

Virginum quàm mirabilis in Martyrio constantia.

Ant. t. 3. *a.* Infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia; ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. 1. *Cor.* 1. 27. 29.

Ant. t. 8. *c.* Elegérunt magis mori, quàm coinquinari: & noluérunt infríngere legem Dei sanctam. 1. *Machab.* 1. 65. 66.

Ant. t. 4. *a.* Ruent in gládio, ut dealbéntur usque ad tempus præfinitum. *Dan.* 11. 33. 35.

℣. In Deo faciémus virtútem: ℟. Et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos. *Ps.* 59. 14.

Lectio iv.

Ex Gild. Sap. Vvandalb. ex vit. S. Cunibert. & S. Ann. & aliis.

Ursula, quæ & Saula, virginésque áliæ plúrimæ, in excídio Británniæ, de quo Gildas sápiens scripsit, cùm plúrimi, eódem teste, transmarínas terras péterent, in advérsum Germániæ littus delátæ sunt, & à Bárbaris, qui regiónem tunc vastábant, hostíliter abdúctæ, propè Colóniam Agrippinam ad ripam Rheni, pro Christi nómine occísæ sunt. Eárum córpora sepúlta sunt Colóniæ, ubi plúrimis nobilitáta miráculis, magnâ fidélium veneratióne multis abhinc sæculis colúntur.

℟. Casta generátio in perpétuum coronáta * Triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmium vincens. ℣. Hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. * Triúmphat. *Sap.* 4. 1. 2. 1. *Joan.* 5. 4.

Lectio v.

In Basílica quæ ibi sub sanctárum Vírginum invocatióne Deo consecráta est, beátus Cunibértus ejúsdem sedis cœlitùs desígnatus est Póntifex indício colúmbæ, quæ cum Sacrum faciéntis cápiti insedísset, inde ad túmulum uníus è sanctis Virgínibus delápsa, póstea evánuit.

nuit. Auxit & celebritátem loci sanctus Anno, ejúsdem Ecclésiæ Epíscopus, qui singulári erga beátas Vírgines pietáte affectus, ad sacros illárum cíneres sæpiùs pernoctábat. Sed & è sacris hujus Basílicæ túmulis plúrimæ Relíquiæ in váriasGálliæ partes allátæ, plúrimas regni Ecclésias ditavérunt; ac inter cæterasTullénsem Ecclésiam, in qua duo sanctárum Vírginum cápita thecis argénteis inclúsa religiósè asservántur.

℟.Credidérunt inDeum:* Et tradidérunt córpora sua, ne servírent, & ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo. ℣. Per fidem vicérunt regna, ut melióre inveníret resurrectiónem.* Et tradidérunt. *Dan.* 3. 95. *Hebr.* 11. 33. 35.

Lectio vj.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 281.

IBi est coróna glorióſior, ubi sexus infírmior; quia proféctò virílis ánimus in fœminas majus áliquid fecit, quando sub torméntis fragílitas fœmínea non defécit. Bene inhæserant uni viro, cui virgo casta única exhibétur Ecclésia. Bene, inquam, inhæserant uni viro, à quo virtútem tráxerant, quâ resísterent diábolo, ut fœminæ prostérnerent inimícum, qui per fœminam prostráverat virum. Ille in eis appáruit invíctus, qui pro eis factus est infírmus; ille eas ad hos honóres laudésque perdúxit, qui pro eis oppróbria & crímina audívit. Ille fecit fœminas viríliter & fidéliter mori, qui pro eis dignátus est de fœmina nasci.

℟. Vicérunt propter sánguinem Agni: * Et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem: † Proptérea lætámini, cœli & qui habitátis in eis. ℣. Per multas tribulatiónes transiérunt fidéles. * Et non. Glória. † Proptérea. *Apoc.* 12. 11. 12. *Judith.* 8. 23.

IN III. NOCTURNO.

Quanta pro fide certantibus promittitur merces.

Ant. t. 7. *D.* Vos hódie contra inimícos vestros pugnam commíttitis. *Deuter.* 20. 3.

Ant. t. 8. *g.* Non injústus est Deus, ut obliviscátur óperis vestri, & dilectiónis quam ostendístis in nómine ipsíus. *Hebr.* 6. 10.

Ant. t. 4. *a.* Exultábitis lætítiâ inenarrábili & glorificátâ, reportántes finem fidei vestræ, salútem animárum. 1. *Pet.* 1. 8. 9.

℣. In ætérnum exultábunt: ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5. 12.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 25. *v.* 1.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem Vir-

ginibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviàm sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Cæsárii Arelaténsis Epíscopi.

Serm. 76. de verb. Evang. in Append. apud August. Num. 3.

Lampades, ánimæ intelligúntur. Vasa autem illa ubi óleum reservátur, consciéntiæ bonæ significántur. Quid est autem óleum in vasis habére, nisi intus in consciéntia ópera bona recóndere? Et quia ópera bona álii fáciunt pro Dei amóre, álii pro cupiditáte laudis humánæ, vírgines illæ, & quæ in córpore vírgines erant, & quæ se vigíliis, psalmis, lectiónibus, vel oratiónibus exercébant, totum hoc pro laude humána, non pro Deo vel pro ætérnâ beatitúdine faciébant; ídeò morte interveniénte, ubi ab eis cessávit laus hóminum, simul illis defécit & óleum.

℞. In nullo terreámini ab adversáriis; * Quia vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credátis, sed ut étiam pro illo patiámini. ℣. Confortámini, & non dissolvántur manus vestræ: erit enim merces óperi vestro. * Quia. *Philip.* 1. 28. 29. 2. *Paral.* 15. 7.

Lectio viij.

Nam illud quod eis dictum est, Ite pótiùs ad vendéntes, & émite vobis, potest & sic accipi, ut vendéntes intelligántur illi, qui vírgines fátuas blandis adulatiónibus prædicant. Unde intellígitur quòd omnes qui laudes humánas accípere cúpiunt, quòd in ópere Dei exercére vidéntur, humánis assentatiónibus vendunt, accipiéntes vanam laudem, & prǽmia ætérna perdéntes. Illæ autem Vírgines quæ óleum habuérunt in vasis suis, omne opus bonum intus in consciéntiam posuérunt; quia hoc non pro laude, sed pro misericórdia divína fecérunt.

℞. Decantavérunt, Dómine, nomen sanctū tuum, * Et victrícem manum tuam laudavérunt páriter. ℣. Vírgines enim sunt: sequúntur Agnum quòcúmque íerit. * Et victrícem. *Sap.* 10. 20. *Apoc.* 14. 4.

Lectio ix.

Hæc ergo fidéliter cogitántes, fratres dilectíssimi, quia parábola ista ad univérsam Ecclésiam pértinet; qui non possunt serváre virginitátem córporis, integritátem custódiant cordis: ut si ad corónam Mártyrum, sive Vírginum, non potúerint perveníre, saltem vel ómnium peccatórum indulgéntiam mereántur accípere. Vírgines vero quæ integritátem córporis, Deo auxiliante, custódiunt, totis víribus, cum Dei adjutório laboráre conténdant, verbositátem fúgere, detractiónem, vel mur-

murationem velut diáboli venéna respúere, invídiæ superbiæque morbum quasi hostis gládium pertiméscere, obediéntiam humíliter custodíre, numquam senióris præcépta contémnere, lectióni & orationi insístere.

℟. Venérunt de tribulatióne magna, & lavérunt stolas suas, & dealbavérunt eas in sánguine Agni: ídeò * Sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. ℣. In perpétuum vivent, & accípient regnum decóris & diadéma speciéi de manu Dómini.* Sunt. Glória. * Sunt. *Apoc.* 7. 14. 15. *Sap.* 5. 16. 17.

Te Deum.

AD LAUDES.

Per Deum Martyrum victoria.

℣. *Sacerdos.* Deus, impollúta via ejus. ℟. Protéctor est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17. 31.

Ant. t. 1. *d.* IN mortem trádimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestétur in carne nostra mortali. 2. *Cor.* 4. 11.

Ant. t. 2. *D.* In direptiónem & captivitátem & mortem dispersísti nos, Dómine; & nunc secúndùm voluntátem tuam fac. *Tob.* 3. 4. 6.

Ant. t. 3. *A.* Séquimur te in toto corde, & quærimus fáciem tuam: érue nos, & da glóriam nómini tuo, Dómine. *Dan.* 3. 41. 43.

Ant. t. 4. *E.* Absit à nobis ut relinquámus Dóminum & serviámus diis aliénis: Dómino Deo serviémus, & obediéntes érimus præcéptis ejus. *Jos.* 24. 16. 24.

Ant. t. 5. *a.* Cadat virtus eórum in iracúndia tua, Dómine, qui promíttunt se violáre sancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui. *Judith.* 9. 11.

Capitulum. 1. *Cor.* 3. 17.

SI quis templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit: ℟. Non confundéntur in témpore malo. *Ps.* 36. 18. 19.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *c.* Non inquinavérunt vestiménta sua: ambulábunt mecum in albis coram Patre meo, & coram Angelis ejus. *Apoc.* 3. 4. 5.

Oratio.

DEus, qui singulári providéntiâ beátam Ursulam, & sócias ejus ad Virginitátis & Martyrii palmam provexísti: da nobis eárum intercessióne, ita vários sæculi æstus pertransíre, ut ad ætérnæ salútis portum felíciter perveníre mereámur; Per, &c.

Ad horas br. *Antiphonæ de Laud. omissâ quartâ.*

AD TERTIAM.

Capitulum 1. *Mach.* 2. 21. 22.

PRopítius sit nobis Deus: non est útile relínquere legem, & justítias Dei, ut eámus álterâ viâ.

℟. Quis nos separábit à charitáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an persecútio? an gládius? * Neque mors, neque vita póterit nos separare à charitáte Dei. ℣. Hæc ómnia venérunt super nos; & iníquè non égimus in testaménto tuo: & non recéssit retrò cor nostrum. * Neque mors. Glória. * Neque. *Rom.* 8. 35. 38. 39. *Ps.* 43. 18. 19.

℣. Propter te mortificámur totâ die: ℟. Exúrge, Dómine, ne repéllas in finem. *Ps.* 43. 22. 23.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isa. 56. 4. 5.

QUi tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo meâ locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus: nomen sempitérnum dabo eis.

℟. *br.* Non discédimus à te, * Vivificábis nos. Non. ℣. Et nomen tuum invocábimus. * Vivificábis. Glória. Non. *Ps.* 79. 19.

℣. Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ, ℟. Coronásti nos. *Ps.* 5. 13.

AD NONAM.

Capitulum. Jerem. 29. 12. 13. 14.

INvocábitis me, & íbitis: orábitis me, & ego exáudiam vos: quærétis me, & inveniétis: cùm quæsiéritis me in toto corde vestro, invéniar à vobis, ait Dóminus.

℟. *br.* Exultavérunt * Fíliæ Judæ. Exultavérunt. ℣. Propter judícia tua, Dómine. * Fíliæ. Glória. Exultavérunt. *Ps.* 96. 8.

℣. Vírgines laudent nomen Dómini; ℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148. 12. 13.

Vesperæ de sequenti.

Pro Commem: Ss. Ursulæ & sociarum, Ant. *s.* 1. *d.* Oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres, abscónditæ sunt ab óculis, & non erunt in memória prióra. *Isa.* 65. 16. 17.

℣. Transívimus per ignem & aquam; ℟. Et eduxísti nos in refrigérium. *Ps.* 65. 12.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Si hoc Festum transferatur propter Dominicam, & habeat 2. Vesperas; sumentur ad Vesp. Antiphonæ & Capitulum de Laudibus.

HYMNUS.

Commir.

QUæ turma nuptiálibus
Permúlcet aures cántibus,
Testes pudóris íntegri
Cum líliis ferens rosas?
Agnósco sponsas Vírgines
Quæ, si suâ negábitur
Augére prole Gálliam,
Cœlum replébunt cívibus.
Ut luna flammas síderum
Inter minóres émicat;
Sodalibus sic Ursula

Cunctis præit præstántior.
Exósa mortáles thoros,
Tot illa sponso Vírgini
Sponsas dicávit Vírgines,
Mox & futúras Mártyres.
Felix nimis connúbium,
Quod veritáte néctitur!
Ætérna sunt hæc fœdera:
Hæc nulla dissólvet dies.
Qui débilem turbam, Deus,
Flammis calére das novis,
Fac nostra puris ígnibus
Ardére pro te péctora.
Amen.

℣. Transívimus &c. *Et Ad Magnif. Antiph.* Oblivióni, *ut suprà.*

DIE XXIII.

S. AMONIS, EPISCOPI TULLENSIS.

Duplex 2. Clas.

De Communi unius Pontificis.

Oratio.

DEus, qui beátum Amónem præsulári glóriâ sublimásti, ac præclárâ virtútum grátiâ mirabíliter decorásti: da nobis ejus imitatióne sic bene vivéndo profícere, ut ad cœléstis regni glóriam mereámur felíciter pervénire; Per, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Actis Episcopor. Tullens. apud Marth. Thes. nov. Tom. 3. & ex histor. Eccles. Tull.

POst gloriósum beáti Mansuéti Gentis nostræ Apóstoli ex hoc mundo ad cœlos tránsitum, sanctus Amon, Dei providénte cleméntiâ, in Tullénsi sede, universórum voto & consénsu elígitur & ordinátur Epíscopus, ex tanti viri discípulo, ejúsdem succéssor effectus; qui prædecessóris sui mores & institúta studiosíssimè æmulátus, cúnctaque sollícitus implére óptimi Pastóris offícia, iis enítuit sanctitátis opéribus, quibus Pontificáli dignitáti decus & splendórem ádderet: nec modò subjéctam sibi plebem verbis excóleret & exémplis, verùm étiam miris illustráret virtútibus.

Lectio v.

FErtur fuísse solitúdinis amantíssimus; & ad erémi secréta, longè à tumultu, in nemoróso Sanctésis Provínciæ loco, qui ex ipsíus mansióne Amónis Sylva usque hódie nuncupátur, intérdum, & quantùm sibi per pastoráles curas licéret, secessísse; quò sæculi vana declináret facíliùs, divinórum meditatióni vacáret libériùs, & pro grege sibi commísso Dóminum ibídem exoráret quiétiùs. Tandem multis perfúnctus labóribus, méritis dives óbiit, & in Oratório Príncipis Apostolórum extra muros cum prædecessóre suo Mansuéto condígnæ trálditus est sepultúræ. Unde ambórum méritis & intercessiónibus, ad laudem divíni nóminis, idem locus frequéntur ex eo témpore frequén-

ti populórum concúrsu, & magníficis effulsísse miráculis.

Lectio vj.

BEátiAmónisReliquiæprimùm nono ineunte sæculo, à Frotário Tulléensi Epíscopo translátæ, multos subínde per annos, à frequénti Barbarórum incúrsu subdúctæ delituérunt. Anno autem millésimo vigésimo sexto, Cleri sui votis ánnuens Hermánus hujus sedis Antístes, sacra sancti Pontíficis ossa in Cathedrálē Ecclésiam tránstulit, & ipsius festivitátem ad undécimum Caléndas Novémbris, qui Translatiónis dies est, solémni offício celebrándam in Synódo Diœcesánâ generáli decrévit. Dénique sacræ illíus exúviæ, anno millésimo quingentésimo undécimo, coram máximâ Cleri & pópuli frequéntiâ, à Christóphoro Christopolitáno Epíscopo, Hugónis de Hazárdis in Pontificálibus Vicário, recógnitæ, in pretiósâ, quam dictus Præsul Hugo de Hazárdis ex múnere déderat, capsâ argénteâ auro & lapídibus pretiósis ornátâ, festo apparátu inclusæ, & religióso cultu asservátæ sunt.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. v. 42.

IN illó témpore; Dixit Dóminus Petro: Quis, putas, est fidelis dispensátor & prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Et réliqua.

Homília sancti Fulgéntii Epíscopi.

Serm. 1. de Dispensator. Dom.

SErvi Patrisfamílias sumus, dispensatóres Dómini sumus, mensúram trítici, quam vobis erogémus, accépimus. Quæ verò sit ista mensúra trítici si quærámus, ipsam quoque beatus Paulus Apóstolus osténdit, dicens: Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fidei. Quam ergo mensúram trítici Christus núncupat, ipsam mensúram fídei Paulus appéllat; ut agnoscámus non áliud esse spirituále tríticum, quàm Christiánæ fídei venerábile sacraméntum. Hujus trítici mensúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono grátiæ spirituális, secúndùm régulam veræ fídei disputámus; & eámdem trítici mensúram per Domínicos dispensatóres accípitis, cùm quotídie per Dei fámulos verbum veritátis audítis.

Lectio viij.

DE ipsa ergo nunc trítici mensúra loquámur. Ex ipsâ, sicut Deus dívidit, univérsi pascámur: inde aliménta bonæ vitæ sumámus, ut ad ætérnæ vitæ præmia, perveníre possímus. In illum credéntes, in illo sperantes, illum præ ómnibus & in om-

nibus diligéntes, qui seipsum nobis & aliméntum, præstat, ne deficiámus in via, & præmium servat, ut gaudeámus in pátria. Christus est enim aliméntum nostrum: Christus erit præmium nostrum: Christus est cibus & consolátio curréntium: ipse sátietas & exultátio quiescéntium Beatórum... Magnum bonum est, fratres charíssimi, valdè cóngruum, valdè cómmodum, & máximè Christiánis ómnibus appeténdum, ut unusquísque defícere non delectétur in pejus, sed omnes proficere studeámus in mélius.

Lectio ix.

Arbores sumus, fratres, in agro Domínico constitútæ. Deus autem noster est agrícola. Ille cómpluit, ille colit, ipse fœcunditátem donat, ipse fructificándi grátiam subminístrat. Plúvia Dei est sermo sanctæ prædicatiónis; cultúra Dei est infúsio grátiæ spiritális. Deus ígitur præcépto nos cómpluit, adjutório colit. Dum cómpluit, aufert à nobis ignorántiæ siccitátem: dum colit, bene vivéndi condónat ubertátem. Dum pluit, terram cordis nostri írrigat: dum verò colit, de ipsa terra spinas & tríbulos mundánæ cupiditátis extírpat. Debémus ítaque fœcundári cœléstibus plúviis: debémus cóngruâ fructificatióne mánibus supérni respondére cultóris. Et si non possunt omnes árbores æquáles fructus afferre, nulla tamen debet in agro Domínico stérilis permanére.

In Vesperis Comm. de sequenti & de S. Florentino, ut infrà.

DIE XXIV.

S. ROMANI,

ROTOMAGENSIS EPISCOPI.

Simplex.

De Communi unius Pontificis.

Oratio. Exaúdi, *pag.* xxiv.

Fit Comm. de S. Florentino,

Laico justo.

Oratio. Adésto, *pag.* xlv.

Lectio iij.

Ex ejus vita apud Regalium.

Románus, paréntibus pietáte non minùs quàm génere comendabílibus ortus, óptimis à púero stúdiis imbútus, adoléscens in aula Clotárii secúndi, castitátis, justítiæ, & mansuetúdinis illústre fuit exémplar. Jussus à rege inter primóres sanctióribus adésse consíliis, commíssas sibi partes egrégiè & laudabíliter sustínuit. Mórtuo Antístite Romagénsi, variántibus de eligéndo successóre suffrágiis, tandem post indíctas cum jejúnio preces, commúni ómnium voto Románus renuntiátus est Epíscopus. Gratum hábuit Clotárius assúmi in Præsulem, quem in partem régiæ sollicitúdinis vocáverat. Suscéptâ Pastoráli curâ, mox idolórum delúbra à paucis, qui in civitáte superérant, pagánis frequen-

táta fúnditùs evértit; tum ad commíssas oves se convérteus, Diœcésim lustrávit, bonos promóvit ad melióra, malos à malis revocávit, eámque státuit in Clero disciplínam, ut pudor esset súbditis à régula deflécttere; ipse forma factus gregis, cibi & somni parcus, in Sacris celebrándis pius & frequens, rerum divinárum meditatióni assíduus. Post multa bona ópera, quibus factus est pópuli pater & Cleri norma, à Deo præmónitus, mortem suscépit, post óbitum multis céleber miráculis, quibus ejus sánctitas elúxit.

DIE XXV.

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI, Fratrum Martyrum.

Simplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio. Exaúdi, *pag.* xvij.

Lectio j. & ij. de Script. occurr. fit una ex secunda & tertia; & sic in similibus.

Lectio iij.

Ex S. Greg. Turon. & aliis.

CRispínus & Crispiniánus fratres, cum beáto Quintíno & sóciis, à Románo Pontífice in Gállias missi, imperántibus Maximiáno & Diocletiáno, Suessiónas venérunt; ubi, cùm multos ad Christi fidem convertíssent, comprehénsi, exquisitísque suppilíciis à præside Rictióvaro cruciáti, tandem gládio necáti sunt. Eâ in urbe sub eórum invocatióne extrúcta est Basílica, in qua Clodobértus Chilperíci Regis fílius sepúltus est. Duórum Mártyrum córpora à crypta edúxit sanctus Elígius, eorúmque túmulum mirâ arte decorávit; qui & sub illórum nómine & patrocínio Ecclésiam Monastérii Solemniacénsis à se in pago Levomicénsi cónditi consecrándam curávit.

DIE XXVI.

S. AMANDI, TRAJECTENSIS EPISCOPI.

Simplex.

De Comm. unius Pontificis.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xxiv.

Fit Commem. de Translatione S. Vedasti, Atrebat. Episcopi.

Oratio. Da Ecclesiæ tuæ, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

Ex vita S. Amandi auctore Baldemundo coætaneo.

AMándus, natus in território Nannerénsi, à puerítia sacris erudítus lítteris, solitúdinis amóre secéssit in Ogiam ínsulam; unde Turónes pergens sancti Martíni veneratúrus sepúlchrum, tonsis capíllis, Clero ascríptus est. Bitúricas, deínde Romam profectus, & póstea reversus in Gálliam, non ad certam diœcésim gubernándam, sed ad prædicándam fidem géntibus nondum Christiánis, Tréviris Epíscopus ordinátus est. Primùm Brabantí

nis, deínde Seleúcis Evangélium íntulit. Ob increpátam vivéndi licéntiam à Rege Dagobérto exuláre jussus, Vascónes Christo acquisívit. Mox à Rege facti pœniténte revocátus, consentiénte Epíscopo Novioménsi, Gándavis fidem prædicávit: unde, promovénte Sigebérto, qui ab eo baptísmum suscéperat, ad Trajecténsem sedem assúmptus est anno sexcentésimo quadragésimo nono. Ob Cleri mores depravátos, quibus reprimendis ímparem se æstimábat, de deseréndа sede cógitans, scripsit ad sanctum Martínum Papam, qui, missis decrétis quæ Concílium Lateranénse contra Monothelítas nuper edíderat, eum ad perseverántiam hortátus est: sed Romam íterum proféctus, & liber à sede Trajecténsi dimíssus, várias prædicándi causâ peragrávit regiónes; donec sénio conféctus, óbiit multis clarus miráculis.

DIE XXVII.

VIGILIA
Ss. APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Simplex.

Officium fit de Feria occurrente, exceptis quæ sequuntur.

AD NOCTURNUM.

Lectiones duæ priores de Script. occurr. è tribus fiunt duæ. ℣. ℟. ℣. ex Proprio de Tempore.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 14. 19.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Adhuc módicum, & mundus me jam non videt. Vos autem vidétis me. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 80. n. 1. & 2.

QUid est, Ego sum vitis vera? Numquid addens, Vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim vitis dícitur per similitúdinem, non per propriétátem: quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, & cætera hujúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cùm dicit, Ego sum vitis vera, ab illa se útique discérnit, cui dícitur, Quómodo convérsa es in amaritúdinem, vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectáta est ut fáceret uvas, fecit autem spinas? Ego sum, inquit, vitis vera; & Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola & vitis? Secúndùm hoc ergo vitis Christus, secúndùm quod ait, Pater major me est. Secúndùm autem id quod ait, Ego & Pater unum sumus; & ipse agrícola est: nec talis, quales sunt qui extrínsecùs

operándo éxhibent ministérium; sed talis ut det étiam intrínsecus increméntum: nam neque qui plantat, est áliquid, neque qui rigat, sed qui increméntum dat Deus. Sed útique Deus est Christus: quia Deus erat Verbum. Unde ipse & Pater unum sunt: & si Verbum caro factum est quod non erat; manet quod erat.

Preces flexis genibus.

Oratio.

Concéde, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut Apostolórum tuórum Simónis & Judæ glorióśa natalítia prævenímus, sic ad tua beneficia promeréndà majestatem tuam pro nobis ipsi prævéniant; Per Dóminum, &c.

DIE XXVIII.

SS. SIMONIS ET JUDÆ, APOSTOLORUM.

Duplex 2. Clas.

Omnia ut in Communi Apostolorum.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis sanctórum tuórum Simónis & Judæ glóriam sempitérnam & proficiendo celebráre, & celebrándo proficere; Per Dóminum, &c.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Ex Commentário sancti Hierónymi Presbyteri, in Matthæum.

Lib. 1. Cap. 10.

Lectio iv.

Simon Cananæus, ipse est qui in álio Evangelísta scríbitur Zelótes; Cana quippe Zelus interpretátur. Thaddæum Apóstolum Ecclesiastica tradit História missum Edéssam ad Abgarum regem Chosidénæ: qui ab Evangelísta Luca Judas Jacóbi dícitur, & álibi appellátur Lebæus, quod interpretátur Córculum; credéndum est eum fuísse trinóminem; sicut Simon, Petrus; & filii Zebedæi, Boanérges, ex firmitáte, & magnitúdine fidei nomináti sunt.

Ex libro ejúsdem sancti Hierónymi, de Scriptóribus Ecclesiásticis.

Lectio v. Cap. 4.

Judas frater Jacobi, parvam quidem, quæ de septem Cathólicis est, Epístolam relíquit. Et quia de libro Enoch, qui apócryphus est, in ea assúmit testimónium, à plerísque rejícitur; tamen auctoritátem vetustáte jam & usu méruit, & inter sanctas Scriptúras computátur.

Ex libéllo sancti Adónis Epíscopi, de Festivitátibus Apostolórum.

Lectio vj. Cap. 11.

Thaddæus apud Mesopotámiam, Simon ve-

rò apud Ægyptum tráditur prædicásse: inde simul Pérsidem ingréssi, cùm fidei Christi innúmeram gentis ipsíus multitúdinem subdidíssent, & Ecclésiam Dómini latè jam fundátam vidérent, martyrium ibi, cursum témporis expléntes, beáto certámine consummavérunt; honorísicè sepúlti à pópulis Christiánis, quos Dómino ipsi genúerant. Quod quidam putant Simónem Apostolum unum de duódecim, ipsum esse qui sub Trajáno crucem passus sit, omníno falsum est. Nam & Beda sanctus Présbyter, qui hoc super Acta Apostolórum sentit, Isidórum secútus; in libro Retractatiónum se hoc non bene sensísse reprehéndit. Sed & História Ecclesiástica, non de Apóstolo, sed de álio Simóne gesta narrat.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 14. v. 22.

IN illo témpore; Dicit Jesu Judas, non ille Iscariótes: Dómine, quid factum est, quia manifestatúrus es nobis teípsum, & non mundo? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 76. n. 1.

QUia díxerat Dóminus, Adhuc módicum, & mundus me jam non videt; vos autem vidébitis me: interrogávit eum de hoc ipso Judas, non ille tráditor ejus, qui Iscariótes cognominátus est, sed cujus Epístola inter Scriptúras Canónicas légitur: Dómine, quid factum est, quia nobis manifestatúrus es teípsum, & non mundo? Simus cum ipsis tamquam interrogántes discípuli, communémque Magístrum audiámus & nos. Judas enim sanctus, non immúndus, nec insectátor Dómini, sed sectátor, causam quæsívit quare se non mundo, sed suis manifestatúrus esset Jesus: quare adhuc módicum, & mundus non vidéret eum; ipsi autem vidérent eum.

Lectio viij. n. 2.

REspóndit Jesus, & dixit ei: Si quis díligit me, sermónem meum servábit; & Pater meus díliget eum, & ad eum veniémus, & mansiónem apud eum faciémus. Qui non díligit me, sermónes meos non servat. Ecce expósita est causa, quare se suis manifestatúrus est, non aliénis quos mundi nómine appéllat; & ipsa est causa, quod hi díligant, illi non díligant. Ipsa est causa de qua sacer insonat Psalmus: Júdica me, Deus, & discérne causam meam de gente non sanctâ. Qui enim díligunt, quia díligunt, eligúntur: qui verò non díligunt, si linguis hóminum loquántur & Angelórum, fiunt æraméntum sonans & cymbalum tínniens.

Lectio ix. n. 4.

NE quis exístimet Patrem tantúmmodò & Fílium sine Spíritu sancto apud dilectóres suos fácere mansiónem, récolat quod supériùs de Spíritu sancto dictum est: Quem mundus non potest accípere, quia non videt eum, nec scit eum; vos autem cognoscétis eum, quia apud vos manébit, & in vobis erit. Ecce facit in Sanctis cum Patre & Filio sanctus étiam Spíritus mansiónem; intus útique tamquam Deus in templo suo. Deus Trínitas Pater & Fílius & Spíritus sanctus véniunt ad nos, dum venímus ad eos: véniunt subveniéndo, venímus obediéndo; véniunt illumínándo, venímus intuéndo; véniunt impléndo, venímus capiéndo: ut sit nobis eórum non extrária vísio, sed intérna; & in nobis eórum non transitória mánsio, sed ætérna. Sic mundo non se Fílius manifèstat.

In Vesperis Comm. de sequenti.

DIE XXIX.

S. MAXIMI, PRESBYTERI ET MONACHI.

Simplex.

De Comm. unius Monachi.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl.

Lectio iij.

Ex libro sancti Gregórii Turonénsis, de glória Confessórum. *Cap.* 22.

FUit quidam religiósus & virtútibus & nómine Máximus, & nostri Martíni discípulus, qui occúlere quod erat cúpiens, apud ínsulam bárbaram Monastérii Lugdunénsis peregrinári expétiit; manifestátus autem & ibi ad pátriam redire dispósuit. Dum Ararim flúvium transíre cúperet, nave impletâ demérgitur, ac ipse Sacérdos pélago operítur, habens ad collum, cum Evangeliórum libro ministérium quotidiánum, id est, paténulam parvam cum cálice. Sed pietas divína non pérferens períre quod suum est, ita de hoc perículo, Dómino jubénte, restitútus est líttori, ut nec vitæ damna perférret, nec rerum detriménta lugéret... Deínde ad castrum Caïnonénse urbis Turónicæ véniens, Monastérium collocávit... In illo plenus diérum tránsiit, ibíque sepúltus est; ad cujus sepúlchrum sæpiùs infirmi sanántur. (Sacræ ejus Relíquiæ Barrodúcum translátæ, in Ecclésia sui nóminis religiósè asservántur.)

Vesperæ de sequenti.

DIE XXX.

S. LEONIS, PAPÆ ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Dupl. 4. Clas.

De Communi unius Doctoris.

Oratio. Deus, qui pópulo, *pag.* xxix.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv. ex vita S. Leonis inter ejus opera novæ Editionis.

LEo, Románus, factus Diáconus, Sixto Pontífici auctor fuit ne recíperet Juliánum Pelagiánum in communiónem Ecclésiæ súbdolè irrepéntem, ut sedem amíssam recuperáret. Missus in Gálliam ut diffidéntes inter se Albínum & Aétium Romános Duces conciliáret, públicâ legatióne revocátur, ut Sixto succéderet. Quatiebátur ínterim totus penè orbis Christiánus váriis hæreticórum tempestátibus. Oriéntem Nestoriáni, Occidéntem Pelagianórum relíquiæ infestábant. Manichæos, qui ex Africa à Vándalis devastátâ Romam conflúxerant, cùm Cathólicæ communiónis spécie perfídiam suam tégerent, iis præsértim detéxit indíciis, quòd Domínicâ die, & Fériâ secúndâ jejunárent in honórem solis & lunæ, & sánguinem redemptiónis nostræ hauríre omníno declinárent. Pelagianórum relíquias extínxit. Priscillianistárum renascéntem hæresim, congregátâ in Hispánia Synodo, proscrípsit.

Lectio v.

PRæfuit per Legátos Concílio quarto œcuménico apud Chalcédonem celebráto, in quo perlécta est illíus ad Flaviánum Epístola de Incarnatiónis Mystério, quâ ad se missam Galliárum Epíscopi summis láudibus accéperant; & ab ómnibus acclamátum: Petrus per Leónem ita locútus est. Cujus Concílii definitiónem advérsùs Eutychén & Dióscorum ad eósdem Gálliæ Epíscopos transmísit. Missus à Valentiniáno Imperatóre ad Attilam, qui Aquiléiam expugnáverat; pacem inter eos compósuit. Romam revérsus, Genseríco urbem invadénti persuásit, ut ab incéndio & cædibus abstinéret.

Lectio vj.

CAnonum propugnátor fuit acérrimus; múltaque sanctè & utíliter decrévit. Cléricum ab extérno Epíscopo suum in Clerum ascríbi, ordinári bígamos, solémne Baptísma, nisi pervigílio Paschæ & Pentecóstes, administrári prohíbuit. Epíscopum, qui relíctâ suâ civitáte, majórem sedem ambíret, utrâque spoliándum esse cénsuit. Vóluit ut qui Diáconus aut Sacérdos esset ordinándus, per omnes offícii Clericális órdines proveherétur; ut diutúrno dísceret témpore, qui & doctor esset futúrus. Plúrimis functus labóribus, multísque luculénter scriptis, cùm Itáliam à Barbarórum vastatióne, & Ecclésiam ab hæreticórum labe vindicásset, explétis in Pontificátu vigínti & ampliùs annis, ábiit ad Dóminum anno quadringen-

tésimo sexagésimo primo; propter pietátem, eruditiónem, eloquéntiam, & tot res præclárè gestas, méritò Magni nómine commendátus.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. 13.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quòd si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultrà, nisi ut mittátur forās, & conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ.

Serm. 2. in Anniversf. die Assumpt. suæ. Cap. 1.

QUóties nobis misericórdia Dei donórum suórum dies renováre dignátur, justa, dilectíssimi, & rationábilis causa est lætándi, si officii orígo suscépti ad laudem sui referatur auctóris. Hanc enim observántiam ómnibus quidem Sacerdótibus congruam, sed mihi necessáriam máximè esse cognosco, qui respíciens ad exiguitátis meæ tenuitátem, & ad suscépti múneris magnitúdinem, étiam ego illud prophéticum debeo proclamáre: Dómine, audívi audítum tuum, & tímui: consideravi opera tua, & expavi. Quid enim tam insólitum, tam pavendum, quàm labor frágili, sublímitas húmili, dígnitas non meréntí? Et tamen non desperámus, neque defícimus, quia non de nobis, sed de illo præsúminus, qui operátur in nobis.

Lectio viij.

UNde & Davídicum Psalmum, dilectíssimi, non ad nostram elatiónem, sed ad Christi Dómini glóriam cónsonà voce cantávimus: Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech: hoc est, non secúndùm órdinem Aáron, cujus sacerdótium per propáginem sui séminis currens, temporális ministérii fuit, & cum véteris Testaménti lege cessávit; sed secúndùm órdinem Melchísedech, in quo ætérni Pontíficis forma præcéssit. Et dum quibus paréntibus sit éditus non refértur, in eo ille intellígitur osténdi, cujus generátio non potest enarrári. Dénique cùm hujus divíni sacerdótii sacraméntum étiam ad humánas pervénit functiónes, non per generatiónum trámitem cúrritur, nec quod caro & sanguis creávit, elígitur; sed cessánte privilégio patrum, & familiárum ordine prætermísso, eos Rectores Ecclésia áccipit, quos Spíritus sanctus præparávit: ut in pópulo adoptiónis Dei, non prærogatíva terrénæ oríginis obtíneat unctiónem, sed dignátio cœléstis grátiæ gignat Antístitem.

Lectio ix. Cap. 2.

QUamvis ergo, dilectíssimi, nos ad expléndam nostri offícii servitútem, & infírmi inveniámur & segnes, dum si quid devótè & strénuè ágere cúpimus, ipsíus nostræ conditiónis fragilitáte tardámur; habéntes tamen incessábilem propitiatiónem omnipoténtis & perpétui Sacerdótis, qui símilis nostri, æquális Patri, divinitátem usque ad humána submísit; humanitátem usque ad divína provéxit, dignè & piè de ipsíus constitutióne gaudémus: quóniam etsi multis Pastóribus curam suárum óvium delegávit, ipse tamen dilécti gregis custódiam non relíquit. De cujus principáli æternóque præsídio, étiam Apostólicæ opis munímen accépimus, quod útique ab ópere suo non vacat: & fírmitas fundaménti, cui totíus Ecclésiæ superstrúitur altitúdo, nulla incumbéntis sibi templi mole lacessit. Solíditas enim illíus fídei, quæ in Apostolórum Príncipe est laudáta, perpétua est: & sicut pérmanet quod in Christo Petrus crédidit, ita pérmanet quod in Petro Christus instítuit.

In Vesperis Commem. S. Quintini, Martyris.

Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

Die xxxi.

VIGILIA OMNIUM SANCTORUM.

Simplex.

Officium fit de Feriâ, exceptis quæ sequuntur.

Ad Nocturnum, *Lectiones duæ priores de Script. occurr. fit una ex secunda & tertia.* ℟℟. *ex Proprio de Tempore.*

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio iij. Cap. 6. v. 20.

IN illo témpore; Elevátis Jesus óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes, quia vestrûm est regnum Dei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

In Luc. Lib. 5. n. 62. & 63.

NUnc dicámus quemádmodum in quátuor benedictiónibus sanctus Lucas benedictiónes sit octo compléxus. Et quidem scimus virtútes esse quátuor Cardináles, Temperántiam, Justítiam, Prudéntiam, Fortitúdinem. Qui pauper est spíritu, avárus non est. Qui flet, non supérbit; sed mitis est & pacátus. Qui luget, humiliátur. Qui justus est, non negat quod scit ómnibus ad usum commúniter datum. Qui miserétur, largítur de suo. Qui suum donat, non quærit aliénum, nec dolum próximo struit. Connéxæ ígitur sibi sunt, concatenatæque virtútes; ut qui unam habet, plures habére videátur: & Sanctis una cómpetit

virtus, sed ejus quæ fúerit ubérior, ubérius est præmium.

Preces flexis genibus.

Oratio.

DOmine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam : & quorum prævenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam ; Per.

In Laudib. Comm. S. Quintini.


Quando anticipatur Vigilia propter Dominicam, tunc legitur in Officio Dominicæ pro 9. Lectione de S. Quintino.

Lectio ix.

Ex Actis ejus apud Tillem. ex Greg. Turon. & S. Audoëno in vita S. Eligii.

QUintínus, Maximiáno & Diocletiáno Imperatóribus, cum sóciis aliquot Romà in Gállias venit, Christi fidem prædicatúrus. Quod cùm magnâ constántiâ Ambiánis perfíceret, à Rictióvaro exquisítis torméntis cruciátur ; deinde apud Augústam Veromanduórũ duábus súdibus férreis à cervíce usque ad crura transfíxus, postrémò cápite truncátus est. Corpus ejus in Sumónam projéctum, Eusébia pia múlier post annos quinquagínta quinque, reveláñte Angelo, invénit ; statímque oculórum usum, quo dudum fúerat orbáta, recuperávit. Illud in monte sepelívit prope urbem ; sacellúmque túmulo superstrúxit. Ignorántibus pósteris quo in Ecclésiæ loco jacéret, sancto Elígio Deus patefécit : qui de terra sublátum corpus piè osculátus, dentes è maxíllâ in languéntium medélam ábstulit ; tumque ex dentis radíce sánguinis gutta stillávit. Clavos étiam prægrándes córpori ejus quondam à tortóribus infíxos, è cérebro cæterísque ártubus avúlsos, & capíllos ejúsdem, velut sacras Relíquias sibi servávit. Deínde pállio holosérico obvolútum corpus, ponè altáre cóndidit ; tumulúmque miro ópere désuper fabricávit ex auro, argénto, & gemmis ; auctâ étiam Basílicâ, in qua signa & virtútes Dóminus operátus est.





FESTA NOVEMBRIS.

DIE I.

FESTUM OMNIUM SANCTORUM.

Duplex j. Classis. Solemne-majus.

IN I. VESPERIS.

Iis qui quærunt Dominum quanta à Domino promissa!

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. D. JUsti in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum. *Sap.* 5. 16.

Ant. t. 2. d. Servos suos vocábit Dóminus nómine álio: quia oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres. *Is.* 65. 15. 16.

Ant. t. 3. *E.* Addúcet illos Deus cum jucunditáte in lúmine majestátis suæ, cum misericórdia. *Baruc.* 5. 9.

Ant. t. 4. *E.* Accípient regnū decóris, & diadema speciéi de manu Dñi. *Sap.* 5. 17.

Ant. t. 5. *F.* Lætabúntur, sicut qui lætántur in messe, sicut exúltant victóres captâ prædâ. *Is.* 9. 3.

Capitulum. Is. 51. 1. 3. 6.

AUdíte me, qui sequímini quod justum est, & quæritis Dóminum: Gáudium & lætítia inveniétur in Sion, gratiárum áctio & vox laudis. Salus autem mea in sempitérnum erit.

℟. Inebriabúntur ab ubertáte domûs tuæ, Dómine, * Et torrénte voluptátis tuæ potábis eos; ✝ Quóniam apud te est fons vitæ. ℣. Agnus qui in médio throni est, dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum. * Et torrénte. Glória. ✝ Quóniam. *Ps.* 35. 9. 10. *Apoc.* 7. 17.

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

CŒlo quos eadem gló-
ria consecrat,
Terris vos eadem concéle-
brat dies:
Læti vestra simul præmia
pángimus,
Duris parta labóribus.

Jam vos pascit amor, núda-
que Véritas:
De pleno bibitis gáudia
flúmine:
Illic perpétuam mens sitiat
sitim,
Sacris ébria fóntibus.

Altis secum hábitans in pe-
netrálibus,
Se Rex ipse suo contúitu
beat;
Illabensque, sui pródigus,
íntimis
Sese méntibus ínserit.

Altari médio, cui Deus insi-
det,
Agni fumat adhuc innó-
cuus cruor;
Quæ mactata Patri se se-
mel óbtulit,
Se jugis litat hóstia.

Pronis turba senum cérnua
fróntibus,
Inter tot rútili fúlgura lú-
minis,
Regnanti Dómino dévovet
áurea
Quæ pónit, diadémata.

Gentes innúmeræ, conspí-
cuæ stolas
Agni purpúreo sánguine
cándidas,
Palmis læta cohors, cánti-
bus æmulis
Ter sanctum célebrant
Deum.

Sit laus summa Patri; sum-
maque Fílio;
Sit par, sancte, tibi laus
quoque, Spíritus,
Qui das pro méritis, ópti-
mus árbiter,
Te totum simul ómnibus.
Amen.

℣. Dómine, in justítia tua
exultabúntur; ℟. Quóniam
glória virtútis eórum tu es.
Ps. 88. 17. 18.

Ad Magnif. Ant. t. 6. *F.*
Dux fuisti in misericórdia
tua, Dómine, pópulo quem
redemisti: & portasti eum
in fortitúdine tua, ad habi-
táculum sanctum tuum. *Exod.*
15. 13.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Ad Nunc dimitt. Ant. t. 5. *A.*
Nox ultrà non erit, alle-
lúia: non egébunt lúmine lu-
cérnæ, neque lúmine solis,
allelúia. Dóminus illuminá-
bit illos, allelúia, allelúia.
Apoc. 22. 5.

Et sic per Octavam.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Deum qui glorifi-
cátur in concílio Sanctó-
rum, * Veníte, adorémus.
Ps. 88. 7. 8.

IN I. NOCTURNO.

*Tempora luctûs transierunt;
exulat omnis labor & dolor.*

Ant. t. 1. *d.* Grátia Dei &
misericórdia est in Sanctos
ejus, & respéctus in eléctos
illíus. *Sap.* 4. 15.

In Psalm. 1. Beátus vir qui

non ábiit, *pag.* 3.

Ant. 2. *d.* In manu Dei sunt, & non tanget illos torméntum mortis: spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3. 1. 4.

In Psalm. 14. Dómine, quis habitábit, *pag.* 135.

Ant. 3. *E.* Habitábunt in Jerúsalem, & anathéma non erit ámpliùs; sed sedébit Jerúsalem secúra. *Zach.* 14. 11.

In Psalm. 23. Dómini est terra & plenitúdo, *pag.* 34.

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus, Deus ejus: ℟. Pópulus, quem elegit in hæreditátem sibi. *Ps.* 32. 12.

Ex libro Apocalypsis beáti Joánnis Apostoli.

Lectio j. Cap. 4. *v.* 2. *ad* 9.

Ecce sedes pósita erat in cœlo, & supra sedem sedens. Et qui sedébat, símilis erat aspéctui lapidis jáspidis & sárdinis: & iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinæ. Et in circúitu sedis sedília vigínti quátuor: & super thronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, & in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura, & voces, & tonítrua: & septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem Spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile cristallo: & in médio sedis, & in circúitu sedis, quátuor animália plena óculis antè & retrò. Et ánimal primum símile leóni, & secúndum ánimal símile vítulo, & tértium animal habens fáciem quasi hóminis, & quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas: & in circúitu, & intus plena sunt óculis; & réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, & qui est, & qui ventúrus est.

℟. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens; * Quia accepísti virtútem tuam magnam, & regnásti: & advénit tempus réddere mercedem servis tuis, & Sanctis, & timéntibus nomen tuum. ℣. Confiteantur tibi, Dómine, omnia ópera tua, & Sancti tui benedicant tibi; * Quia. *Apoc.* 11. 17. 18. *Ps.* 144. 10.

Lectio ij. Cap. 5. *v.* 1. *ad* 9.

Et vidi in déxtera sedéntis supra thronum, librum scriptum intus & foris, signátum sigillis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magnâ: Quis est dignus aperíre librum, & sólvere signácula ejus? Et nemo poterat, neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram, aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multùm; quóniam nemo dignus invéntus est aperíre librum, nec vidére eum. Et

unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris; ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, & sólvere septem signácula ejus. Et vidi; & ecce in médio throni & quátuor animálium, & in médio seniórum, Agnum stantem tamquam occísum, habéntem córnua septem, & óculos septem, qui sunt septem Spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit, & accépit de déxtera sedéntis in throno librum. Et cùm aperuísset librum, quátuor animália, & vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes sínguli cítharas, & phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes Sanctórum.

℟. Ecce lætabúntur, & laudábunt præ exultatióne cordis: * Non erunt in memóriâ prióra, & non audiétur ultrà vox fletûs, & vox clamóris. ℣. Mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrà. * Non erunt. *Is.* 65. 14. 17. 19. *Apoc.* 21. 4.

Lectio iij. Cap. 5. *v.* 9. *ad finem.*

ET cantábant cánticum novum, dicéntes: Dignus es, Dómine, accípere librum, & aperíre signácula ejus; quóniam occísus es, & redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, & lingua, & pópulo, & natióne; & fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdótes; & regnabimus super terram. Et vidi, & audívi vocem Angelórum multórum in circuitu throni, & animálium, & seniórum; & erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, & divinitátem, & sapiéntiam, & fortitúdinem, & honórem, & glóriam, & benedictiónem. Et omnem creatúram, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes audivi, dicéntes: Sedénti in throno, & Agno, benedíctio, & honor, & glória, & potéstas in sæcula sæculórum. Et quátuor animália dicébant: Amen. Et vigínti quátuor senióres cecidérunt in fácies suas, & adoravérunt vivéntem in sæcula sæculórum.

℟. Laudáte, cœli, jubiláte, montes, laudem: Dóminus páuperum suórum miserébitur: * Non esúrient, neque sítient, & non percútiet eos æstus & sol, † Quia miserátor eórum reget eos, & ad fontes aquárum potábit eos. ℣. Agnus qui in médio throni est, reget eos, & abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum. * Non esúrient. Glória. † Quia. *Is.* 49. 13. 10. *Apoc.* 7. 17.

IN II. NOCTURNO.

Post certamina, ad digna meritis præmia vocantur.

Ant. t. 4. e. Omnes elécti Dómini, ágite dies lætítiæ, & confitémini illi. *Tob.* 13. 10.

In Psalm. 22. Dóminus regit me, *pag.* 57.

Ant. t. 5. f. Veníte, benedícti, possidéte parátum vobis regnum à constitutióne mundi. *Matth.* 25. 34.

In Psalm. 32. Exultáte, justi, in Dómino, *pag.* 29.

Ant. t. 6. F. Gaudéte & exultáte; quóniam merces vestra copiósa est in cœlis. *Matth.* 5. 12.

In Psalm. 33. Benedícam Dóminum, *pag.* 80.

℣. Lætámini in Dómino, & exultáte, justi;

℟. Et gloriámini, omnes recti corde. *Ps.* 31. 11.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

In Festo omnium Ss. Ser. 5. n. 1. & 2.

FEstíva nobis est dies hæc, & inter præcípuas solemnitátes numerátur. Nóvimus Festivitátem Omnium Sanctórum dici, & esse, quam hódie celebrámus; Omnium, inquam, sive cœléstium, sive terréstrium. Sunt enim Sancti de cœlo, & sunt Sancti de terra: itémque eórum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, álii qui jam in cœlo. Estne Sanctórum adhuc tértium genus? Est, sed occúltum. Sunt enim Sancti qui adhuc mílitant, adhuc pugnant, currunt adhuc, necdum comprehendérunt. Hæc nimírum divérsitas appellatiónis in nómine sanctitatis; ut álii quidem jam secúndùm consummatiónem Sancti vocéntur, álii juxta solam adhuc prædestinatiónem.

℟. Hic patiéntia sanctórum est, qui custódiunt mandáta Dei & fidem Jesu: beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. *Amodo jam dicit Spíritus, ut requiéscant à labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos. ℣. Réddidit Deus justis mercédem labórum suórum. * Amodo. *Apoc.* 14. 12. 13. *Sap.* 10. 17.

Lectio v. n. 5.

AD quid Sanctis laus nostra? Ad quid glorificátio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Filii promissiónem honoríficat Pater cœléstis? Quò eis præcónia nostra? Pleni sunt. Prorsus ita est, dilectíssimi: honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur. Planè, quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ intereſt, non ipsórum. Vultis scire quantùm intereſt nostrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens in-

flammári, ut eórum tam optábili societáte fruámur, & mereámur concíves & contubernáles esse Spirítuum beatorum, miscéri cœtui Patriarchárum, cúneis Prophetarum, Senátui Apostolorum, Mártyrum exercítibus numerósis, Confessórum collégiis, Vírginum choris; in ómnium dénique cólligi, & collætári communióne Sanctórum.

℟. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ suâ à sæculo. * Omnes isti in generatiónibus Gentis suæ glóriam adépti sunt; viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. ℣. Ideòque & nos tantam habéntes impósitam nubem téstium, currámus ad propósitum nobis certámen. * Omnes. *Eccli.* 44. 2, 7. 10. *Heb.* 12, 1.

Lectio vj. n. 6.

PRæstolátur nos Ecclésia illa primitivórum, & neglígimus: desíderant nos sancti, & parvi péndimus: expéctant nos justi, & dissimulámus. Excitémur aliquándo, fratres; resurgámus cum Christo, quærámus quæ sursum sunt; quæ sursum sunt sapiámus, Desiderémus desiderántes nos, properémus ad præstolántes nos; expectántes nos, votis præoccupémus animórum. Ecce enim nihil in hac communióne nostra securitátis, nihil perfectiónis, nihil quiétis: & tamen hîc quoque quàm bonum & quàm jucundum habitáre fratres in unum! Quidquid enim sive intériùs, sive extériùs, moléstum occúrrit, ipso útique tam germanórum consórtio fratrum, cum quibus est nobis cor unum, & ánima una in Deum, tolerabílius invenítur. Quàm dulcior erit, quàm delectabílior, quàm beátior únio, ubi nulla suspicio esse póterit, nulla dissensiónis occásio; ubi omnes perfecta cháritas indissolúbili fœdere colligábit!

℟. Qui dilígitis Dóminum, odíte malum; custódit Dóminus ánimas Sanctórum suórum. * Lux orta est justo, & rectis corde lætítia. † Lætamini, justi, in Dómino, & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus. ℣. Laudem dícite Deo, omnes servi ejus, quóniam regnavit Dominus Deus noster omnípotens; gaudeámus, & demus glóriam ei.* Lux, Glória. † Lætámini. *Ps.* 96. 10. 11. 12. *Apoc.* 19 5. 6. 7.

IN III. NOCTURNO.

De comparata gloria sibi gratulantur Sancti.

Ant. t. 7. 4. Deus, qui dives est in misericórdia, propter nímiam charitátem suam, quâ diléxit nos, consedére fecit in cœléstibus. *Ephes.* 2. 4. 6.

In Psalm. 35. Dixit injústus ut delínquat, *pag.* 137.

Ant. t. 8. *c.* Dignos nos fecit in partem sortis Sanctórum in lúmine, & tránstulit in regnum Filii dilectiónis suæ. *Colos.* 1. 12. 13.

In Psalm. 60. Exáudi, Deus, deprecatiónem meam, *pag.* 97.

Ant. t. 5. *f.* Nos omnes, reveláta fácie gloriam Dñi speculántes, in eámdem imáginem transformámur à claritáte in claritátem. 2. *Cor.* 3. 18.

In Psalm. 96. Dóminus regnávit, exúltet, *pag.* 33.

℣. Illúminans tu mirabíliter, Dómine, ℟. A móntibus ætérnis. *Ps.* 75. 5.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 5. *v.* 1.

IN illo témpore; Videns Jesus turbas, ascéndit in montem; & cùm sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, & apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu, quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbyteri.

Comment. in Cap. 5. *Matth.*

BEáti páuperes spíritu: hoc est quod álibi légimus: Et húmiles spíritu salvábit. Ne quis autem putáret paupertátem, quæ nonnúmquam necessitáte portátur, à Dómino prædicári, adjúnxit, Spíritu; ut humilitátem intellígeres, non penúriam. Beáti páuperes spíritu, qui propter Spíritum sanctum voluntáte sunt páuperes. Unde super hujuscémodi paupéribus & Salvátor per Isáiam lóquitur: Dóminus unxit me; propter quod evangelizáre paupéribus misit me. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram: non terram Judææ, nec terram istius mundi; non terram maledíctam, spinas & tribulos afferéntem, quam crudelíssimus quisque & bellátor magis póssidet; sed terram, quam Psalmísta desíderat, dicens: Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℟. Vídeant páuperes, & læténtur; quóniam exaudívit páuperes Dóminus: * Inhabitábunt in Sion, & hæreditáte acquírent eam. ℣. Nonne Deus elégit páuperes in hoc mundo dívites in fide, & hærédes regni quod repromísit Deus diligéntibus se? * Inhabitábunt. *Ps.* 68. 33. 34. 36. *Jacob.* 2. 5.

Lectio viij.

BEáti qui lugent, quóniam ipsi consolabúntur. Luctus hìc non mortuórum pónitur commúni lege natúræ, sed peccátis & vítiis mortuórum. Sic flevit & Sámuel Saúlem; quia pœnitúerat Deum quòd unxísset eum regem super Israel. Sic & Paulus Apóstolus flere

ac lugére se dicit eos, qui post fornicatiónem & immundítiam non egérunt pœniténtiā. Beáti qui esúriunt & sítiunt justítiam. Non nobis súfficit velle justítiam, nisi justítiæ patiámur famē; ut sub hoc exémplo numquam nos satis justos, sed semper esuríre justítiæ ópera intelligámus. Beáti misericórdes. Misericórdia non solùm in eleemósynis intellígitur, sed in omni peccáto fratris; si alter altérius ónera portémus.

℟. Repléti sumus misericórdiâ tuâ, Dómine; & exultávimus, & delectáti sumus: * Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti, annis quibus vidimus mala. ℣. Momentáneum & leve tribulatiónis nostræ, supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis. * Lætáti. *Ps.* 89. 14. 15. 2. *Cor.* 4. 17.

Lectio ix.

BEáti mundo corde; quóniā ipsi Deum vidébunt; quos non árguit consciéntia ulla peccáti. Mundus mundo corde conspícitur: Templum Dei non potest esse pollútum. Beáti pacífici; qui primùm in corde suo, deínde & inter fratres dissidéntes pacem fáciunt. Quid enim prodest álios per te pacári, cùm in tuo ánimo sint bella vitiórum? Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam. Signánter áddidit, Propter justítiā. Multi enim persecutiónem propter peccáta sua patiúntur, & non sunt justi.

℟. Redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni pópulo & natióne, * Et † Fecísti nos Deo nostro regnū, & sacerdótes; & regnábimus. ℣. Tempus advénit, & regnū obtinuérunt Sancti. * Et fecísti. Glória. † Fecísti. *Apoc.* 5. 9. 10. *Dan.* 7. 22.

Te Deum.

AD LAUDES.

Beatitudinis Sanctorum quædam descriptio.

℣. *Sacerd.* Mirábilis Deus in Sanctis suis: ℟. Magnificéntia ejus & virtus ejus in núbibus. *Ps.* 67. 36. 35.

Psalmi de Dominica.

Ant. t. 1. *D.* VIdi turbam magnam, quam dinumeráre nemo póterat, ex ómnibus géntibus, stantes ante thronum, & palmæ in mánibus eórum. *Apoc.* 7. 9.

Ant. t. 2. *d.* Vocem audívi sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis; & cantábant cánticum novum ante sedem Agni. *Apocalyps.* 14. 2. 3.

Ant. t. 3. *E.* Agnus Dóminus dominórum est, & Rex regum; & qui cum illo sunt, vocáti, elécti, & fidéles. *Apoc.* 17. 14.

Ant. t. 5. *F.* Dealbavérunt.

CANTICUM.

Sapientiæ 10. *v.* 17. *ad finem.*

REddidit justis sapiéntia mercédem labórū suó-

rum, * & dedúxit illos in via mirábili.

Et fuit illis in velaménto diéi, * & in luce stellárum per noctem.

Tránstulit illos per mare rubrum, * & transvéxit illos per aquam nímiam;

Inimícos autem illórum demérsit in mare; * & ab altitúdine inferórum edúxit illos.

Ideò justi tulérunt spólia impiórum; * & decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, & victrícem manum tuam laudavérunt páriter:

Quóniam sapiéntia apéruit os mutórum; * & linguas infántium fecit disértas.

Glória Patri.

Et dicitur per Octavam.

Ant. Dealbavérunt stolas suas in sánguine Agni; ideò sunt ante thronum Dei, & sérviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apocalyps.* 7. 14. 15.

Ant. t. 6. F. Cùm darent glóriam Vivénti in sæcula, procidébant, & mittébant corónas suas ante thronum. *Apoc.* 4. 9. 10.

Capitulum. Ephes. 1. 17. 18.

DEus Dómini nostri Jesu Christi, Pater glóriæ, det vobis spíritum sapiéntiæ & revelatiónis in agnitióne ejus; illuminátos óculos cordis vestri, ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus, & quæ divítiæ glóriæ hæreditátis ejus in Sanctis.

℣. Exaltatiónes Dei in gútture eórum: ℟. Glória hæc est ómnibus Sanctis ejus. *Ps.* 149. 6. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 7. *a.* Servi Dei sérvient illi, & vidébunt fáciem ejus: nomen ejus in fróntibus eórum; & regnábunt in sæcula sæculórum. *Apoc.* 22. 3. 4. 5.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui nos Omniũ Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus, ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus largiáris; Per, &c.

Ad Horas brev. Hymni & Psalmi de Dominica: Antiphonæ de Laudibus, quartâ prætermissâ.

AD PRIMAM.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

An. 1563. *de Invocatione Sanctorum. Sess.* 25.

MAndat sancta Synodus ómnibus docéndi munus curámque sustinéntibus, ut fidéles diligẽter instruant, docéntes eos, Sanctos unà cum Christo regnántes, oratiónes suas pro homínibus Deo offérre, bonum atque útile esse suppliciter eos invocáre.

AD TERTIAM.

Capitulum. Is. 64. 4.

A Sæculo non audiérunt, neque áuribus percepé-

runt: óculus non vidit, Deus absque te, quæ præparásti expectántibus te.

℟. Illústra fáciem tuam super servum tuum: * Quàm magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! † Dilígite Dóminum, omnes Sancti ejus. ℣. Oculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum. * Quàm magna. Glória. † Dilígite. *Ps.* 30. 17. 20. 24. I. *Cor.* 2. 9.

℣. Exultábunt Sancti in glória: ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. *Ps.* 149. 5.

Per Octavam ℟. *br.* Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine; * Allelúia, allelúia. Beáti. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. * Allelúia, allelúia. Glória. Beáti. *Ps.* 83. 5.

℣. Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt: ℟. Et justítiâ tuâ exultábunt, allelúia. *Ps.* 144. 7.

AD SEXTAM.

Capitulum. Is. 35. 10.

Redémpti à Dómino vénient in Sion cum laude: & lætítia sempitérna super caput eórum: gáudium & lætítiam obtinébunt, & fúgiet dolor & gémitus.

℟. *br.* Vox exultatiónis & salútis, * Allelúia, allelúia. Vox. ℣. In tabernáculis justórum, * Allelúia, allelúia. Glória. Vox. *Ps.* 117. 15.

℣. Exultáte, justi, in Dómino: ℟. Rectos decet collaudátio, allelúia. *Ps.* 32. 1.

AD NONAM.

Capitulum, Apocalyps. 5. 11. 12 14.

Erat númerus eórũ míllia míllium, dicéntium voce magnâ: Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere honórem & glóriam. Et adoravérunt Vivéntem in sæcula sæculórum.

℟. *br.* Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua: * Allelúia, allelúia. Confiteántur. ℣. Et Sancti tui benedícant tibi. * Allelúia, allelúia. Glória. Confiteántur. *Psalm.* 144. 10.

℣. Notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam, ℟. Et glóriam magnificéntiæ regni tui, allelúia. *Ps.* 144. 12.

AD II. VESPERAS.

Sanctorum æmulantes opera, ad eorum gloriam contendamus.

Ant. t. I. *D.* Scimus quóniam diligéntibus Deũ ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndùm propósitum vocati sunt Sancti. *Rom.* 8. 28.

In Ps. 115. Crédidi propter quod locútus sum, *pag.* 91.

Ant. t. 3. *E.* Quos prædestinávit, hos & vocávit: & quos vocávit, hos & justificávit: quos autem justificávit, illos & glorificávit. *Rom.* 8. 30.

In Psalmum 121. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi, *pag.* 111.

Ant. t. 5. *F.* Operáti sunt justítiam: adépti sunt repromissiónes; & hi omnes testimónio fidei probáti. *Hebr.* 11. 33. 39.

In Psalm. 125. In convertendo Dóminus captivitátem, *pag.* 92.

Ant. t. 6. *F.* Ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, & inter Sanctos sors illórum est. *Sap.* 5. 5.

In Psalm. 136. Super flúmina Babylónis, *pag.* 154.

Ant. t. 8. *C.* Fílii Sanctórum sumus, & vitam illam expectámus, quam Deus datúrus est his, qui fidem suam numquã mutant ab eo. *Tob.* 2. 18.

In Psalmum 149. Cantáte Dómino cánticum.....laus, *pag.* 146.

Capitulum. 1. *Petri* 1. 15. 16.

SEcúndùm eum qui vocávit vos, Sanctum, & ipsi in omni conversatióne Sancti sitis; quóniam scriptum est: Sancti éritis, quóniam ego Sanctus sum.

Hymnus, *Ex Sant. Vict.*

Vos sancti próceres, vos
Súperûm chori,
Cœli quotquot habet régia príncipes,
Nostros nunc date vestris
Cantus júngere cántibus.
Primis ante álios, glória cœlitum,
Christi Virgo parens fulget honóribus;
Divinóque sevérum
Flectit pígnore Júdicem.
Astant spirítuum mille ácies throno;
Regi sancta ferunt vota cliéntium:
Hic Baptísta profúndo
Lucis flúmine mérgitur.
Quorum núntia vox, orbis ad últimas
Christum vox résonans, intónuit plagas,
Præcónes duodéni
Sacris Vátibus ássident.
Fuso purpúrei sánguine Mártyres,
Et puro níveæ péctore Vírgines,
Agno cándida fundunt
Rubris lília cum rosis.
Qui pavére suos Præpósiti greges,
Pascúntur súpero Númine plénius:
Qui flevére, serénus
Abstérgit lácrymas Pater.
A quo cuncta fluunt, máxima laus Patri:
Qui mundum réparat, máxima Fílio:
Et quo péctora flagrant,
Sit laus máxima Fláminí.
Amen.

℣. In lúmine tuo vidébimus lumen: ℟. Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, Dómine. *Ps.* 35. 10. 11.

Ad Magnif. *Ant. t.* 6. *F.* Scimus quóniam cùm apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctíficat se, sicut & ille Sanctus est. 1. *Joan.* 3. 2. 3.

Oratio ut suprà ad Laudes.

Post Benedicamus, (*nisi sit Sabbatum*) *dicuntur Vesperæ de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, ut in Communi.*

Non dicuntur Preces, sed post Antiphonam ad Magnificat, *dicitur*: Dóminus vobíscum, *&* *Oratio* Fidelium, *cum integra conclusione.*

Si verò prima dies post Festum Omnium Sanctorum sit Dominica, Officium Defunctorum transfertur in Feriam 2. & in Dominica post Vesperas dicuntur Vesperæ Defunctorum.

Ad Completorium omnia ut heri.

DIE II.

IN COMMEMORAT.

OMNIUM FIDELIUM Defunctorum.

Fit ritu Duplici 1. Clas. Solemn. min.

AD OFFIC. NOCT.

Omnia ut in Communi ad Officium Defunctorum, præter ea quæ hîc sunt propria.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones leguntur omissis Benedictionibus: non additur Tu autem, *in earum fine; sed terminantur per solam vocis intercidentiam.*

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

Lectio j. Cap. 15. v. 12. ad 23.

SI Christus prædicátur quòd resurréxit à mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est, neque Christus resurréxit. Si autem Christus non resurréxit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est & fides vestra. Invenímur autem & falsi testes Dei; quóniam testimónium díximus advérsus Deum, quòd suscitáverit Christum; quem non suscitávit, si mórtui non resúrgunt. Nam si mórtui non resúrgunt, neque Christus resurréxit. Quòd si Christus non resurréxit, vana est fides vestra, adhuc enim estis in peccátis vestris. Ergo & qui dormiérunt in Christo, periérunt. Si in hac vita tantùm in Christo sperántes sumus, miserabilióres sumus ómnibus homínibus. Nunc autem Christus resurréxit à mórtuis primítiæ dormiéntium; quóniam quidem per hóminem mors, & per hóminem resurréctio mortuórum. Et sicut in Adam omnes moriúntur, ita & in Christo omnes vivificabúntur.

Lectio ij. v. 35. ad 45.

SEd dicet áliquis: Quómodo resúrgunt mórtui? qualíve córpore vénient? Insípiens, tu quod séminas non vivificátur, nisi priùs moriátur: & quod séminas, non corpus, quod futúrum est, séminas, sed nudum granum, ut putà trítici, aut

alicújus cæterórum ; Deus autem dat illi corpus sicut vult, & unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: sed ália quidem hóminum, ália veró pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, & córpora terréstria; sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium. Ália cláritas solis, ália cláritas lunæ, & ália cláritas stellárum; stella enim à stella differt in claritáte: sic & resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne: seminátur in ignobilitáte, surget in glória: seminátur in infirmitáte, surget in virtúte: seminátur corpus animale, surget corpus spiritále.

Lect. o i j. v. 51. ad finem.

Ecce mystérium vobis dico: Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In momento, in ictu óculi, in novíssima tuba: canet enim tuba, & mórtui resúrgent incorrúpti; & nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem; & mortále hoc indúere immortalitátem. Cum autem mortále hoc indúerit immortalitatem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est: virtus veró peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum. Itaque, fratres mei dilécti, stabiles estóte, & immóbiles: abundántes in opere Dómini semper, sciéntes quód labor vester non est inánis in Dño.

IN II. NOCTURNO.

Ex Homília sancti Joánnis Chrysostomi, in Acta Apostolórum.

Lectio iv. Hom. 21. n. 4.

Non frustrà oblatiónes pro Defúnctis fiunt, non frustrà preces, non frustrà eleemosynæ Hæc ómnia Spíritus dispósuit, volens ut nos mútuùm juvémus .... Miníster clamat pro his qui defúncti sunt in Christo, & pro his qui illórum memóriam fáciunt. Non Diáconus est, qui talem vocem illam emíttit, sed Spíritus sanctus. In mánibus est hóstia, & ómnia propósita sunt bene ordináta. Adsunt Angeli, adsunt Archángeli, cum tanto horróre adstant omnes; adstant illi clamántes ómnibus siléntibus; & putas simplíciter hæc fieri ?... Itaque ne fortúitó hæc fieri putemus, Hæc sciéntes considerémus quantas consolationes possémus mórtuis pro lacrymis, pro monuméntis præstare, nempe eleemósynas, preces, oratiónes: ut & illi & nos assequámur promíssa bona.

Ex Testaménto sancti Ephræm Diáconi Edesséni.

Lectio v.

VOlo, fratres mei, commone fácere & adhortári vos, firmitérque constabilíre ut post meum éxitum ac tránsitum assíduè memóriam mei in vestris précibus faciátis. Accédite ad me ígitur, fratres mei, & extendéntes compónite me: nam spíritus meus penè defécit: & comitámini me in psalmis atque oratiónibus vestris: & assíduè pro mea pravitáte oblatiónes fácere dignémini: & quando diem trigésimum complévero, mei memóriam faciátis. Mórtui enim in precatiónibus atque oblatiónibus, commemoratiónis Sanctórum vivéntium beneficio afficiúntur.

Ex Oratióne sancti Ambrósii Epíscopi, de óbitu Theodósii Imperatóris.

Lectio vj. n. 36. & 37.

TU solus, Dómine, invocándus es, tu rogándus. Da réquiem perféctam servo tuo, réquiem illam quã præparásti servis tuis. Illò convertátur ánima ejus, unde descéndit, ubi mortis acúleum sentíre non possit, ubi cognóscat mortem hanc non natúræ finem esse, sed culpæ... Diléxi, & ideò prósequor eum usque ad regiónẽ vivórum; nec déseram, donec fletu & précibus indúcam virum, quò sua mérita vocant, in montem Dómini sanctum, ubi perénnis vita.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 5. v. 25.

IN illo témpore; Dixit Jesus Judæis: Amen, amen dico vobis; quia venit hora, & nunc est, quando mórtui áudient vocem Filii Dei; & qui audíerint, vivent. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Serm. 172. de verbis Apostol. aliàs Serm. 32. n. 2.

ORatiónibus sanctæ Ecclésiæ, & Sacrifício salutári, & eleemósynis quæ pro eórum spirítibus erogántur, non est dubitándum mórtuos adjuvári; ut cum eis misericórdiùs agátur à Dómino, quàm eórum peccáta meruérunt. Hoc enim à Pátribus tráditum, univérsa obsérvat Ecclésia; ut pro eis qui in córporis & sánguinis Christi communióne defúncti sunt, cùm ad ipsum Sacrifíciũ loco suo commemoréntur, orétur; ac pro illis quoque id offérri commemorétur. Cùm verò eórum commendandórum causâ ópera misericórdiæ celebrántur, quis eis dúbitet suffragári, pro quibus oratiónes Deo non inániter allegántur? Non omnínò ambigéndum est ista prodésse Defúnctis; sed tálibus, qui ita víxerint ante mortem, ut

possint eis hæc utília esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectiónem operátur, ejúsque sacraméntis, de corpóribus exiérunt, frustrà illis à suis hujúsmodi pietatis impendúntur officia, cujus, dum hic essent, pígnore caruérunt; vel non suscipiéntes, vel in vácuum suscipiéntes Dei grátiam, & sibi non misericórdiam thesaurizántes, sed iram.

Lectio viij. n. 2. & 3.

NOn ergo mórtuis nova mérita comparántur, cùm pro eis boni aliquid operántur sui, sed eórum præcedéntibus consequéntia ista reddúntur. Non enim actum est, nisi cùm hîc víverent, ut eos hæc áliquid adjuvárent, cùm hic vívere destitíssent. Et ideò istam fíniens quisque vitam, nisi quod méruit in ipsa, non póterit habére post ipsam... Sit pro víribus cura sepeliéndi & sepúlchra construéndi: quia & hæc in Scriptúris sanctis inter bona ópera deputáta sunt: nec solum in corpóribus Patriarchárum aliorúmque Sanctórum, & humánis cadavéribus quorumcúmque jacéntium; verùm étiam in ipsius Dómini córpore prædicáti atque collaudáti sunt, qui ista fecérunt. Impleant hæc hómines erga suos offícia postrémi múneris, & sui humáni leniménta mœróris. Verùm illa quæ ádjuvant spíritus Defunctórum, oblatiónes, oratiónes, erogatiónes, multò pro eis observántiùs, instántiùs, abundántiùs impendant, qui suos carne, non spíritu mórtuos, non solùm carnáliter, sed étiam spirituáliter amant.

Lectio ix.

Libr. de cura pro Mortuis, Cap. 18.

NOn existimémus ad mórtuos pro quibus curam gérimus perveníre, nisi quod pro eis, sive altáris, sive oratiónum, sive eleemosynárum sacrifíciis solémniter supplicámus; quamvis non pro quibus fiunt ómnibus prosint, sed iis tantùm quibus, dum vivunt, comparátur ut prosint. Sed quia non discérnimus qui sint, opórtet ea pro regenerátis ómnibus fácere, ut nullus eórum prætermittátur, ad quos hæc benefícia possint & débeant perveníre. Méliùs enim supérerunt ista eis quibus nec obsunt nec prosunt, quàm eis déerunt quibus prosunt. Diligéntiùs tamen facit hæc quisque pro necessáriis suis, quò pro illo fiant simíliter à suis.

A D L A U D E S.

Omnia ut in Communi Officio Defunctorum. Sola dicitur Oratio Fidélium.

A D P R I M A M.

Dictis secretò Pater, Ave, *absolutè incipitur Psalmus* 53. Deus, in nómine tuo salvum me fac, *pag.* 59. *Psal.* 118. Beáti immaculáti, *pag.*

13. Retríbue, *ut in Dominica. Dicuntur autem Psalmi tono recto, & in fine cujuslibet additur*: Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, * & lux perpétua lúceat eis. *Post Psalmos* ℟. *sequens inchoatur.*

℟. Vos, chariſſimi, superædificántes vosmetípsos sanctíſſimæ vestræ fidei, * In Spíritu sancto orántes, illos salváte, de igne rapiéntes. ℣. Donec det Dóminus réquiẽ frátribus vestris, & possídeant ipsi terrã, quam Deus vester datúrus est eis; * In Spíritu. *Judæ* 20. 23. *Josue* 1. 15. *Repetitur* ℣. Vos, *usque ad* ℣. *Deinde dicitur*:

℣. Dóminus vobíscum: &c.

Oratio Fidélium, &c. *cum conclusione integra. Denique* ℣. Dóminus vobíscum, &c. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Non fit Officium Capituli; sed legitur tantùm sequens Canon, nullâ præmissâ Benedictione, in cujus fine non dicitur, Tu autem, &c.

CANON

Ex Concílio Tridentíno.

Sess. 25. Decret. de Purgatorio.

Cum Cathólica Ecclésia in Synodo Tridentína docúerit Purgatórium esse; animásque ibi detentas, Fidélium suffrágiis, potiſſimùm verò acceptábili altáris Sacrifício juvári; præcipit eádem sancta Synodus Epíscopis ut sanam de Purgatório doctrinam à sanctis Patribus & sacris Concíliis tráditam, à Christi fidélibus credi, tenéri, docéri, & ubíque prædicári diligénter stúdeant.

AD TERTIAM.

Pater, Ave, *dictis secretò, incipitur absolutè ab Octon.* Legem pone, *cum reliquis de Dominica, addendo*, Réquiem ætérnam, *in fine cujusque, sicque ad alias Horas breves: post Psalmos dicitur*:

℟. Quóniam estis fratres nostri, * Nos in omni témpore sine intermiſſióne in diébus solémnibus, & cæteris quibus opórtet, mémores sumus vestrî in sacrifíciis quæ offérimus, & in observatiónibus, sicut fas est, & decet meminíſſe fratrum. ℣. Tálibus enim hóstiis promerétur Deus: * Nos in... 1. *Mach.* 12. 7. 11. *Hebr.* 13. 16. *Repetitur* ℟. Quóniam, *usque ad* ℣. *Postea dicitur* ℣. Dóminus vobíscum, *Oratio* Fidélium, *ut ad Primam, & sic ad alias Horas br.*

AD SEXTAM.

Psalm. Defécit, &c. *ut in Dominica ritu superiori observato.*

℟. Ubi est multitúdo víscerum tuórum & miseratiónũ tuárum? Tu, Dómine, Pater noster, Redémptor noster, * Convértere propter servos tuos, tribus hæreditátis tuæ. ℣. Per redemptiónem quæ est in Christo Jesu, quem propósuit Deus propitiatiónẽ in sánguine ipsíus; * Convértere. *Is.* 63. 15. 16. 17. *Rom.* 3. 24. 25. *Repetitur* ℟. Ubi

℟. Ubi est, *usque ad* ℣.

Dóminus vobíscum. *Oratio.* Fidélium.

AD NONAM.

Psalm. Mirabília, &c. *sub ritu superiori.*

℟. Expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expéctat: * Sed & nos ipsi primítias spíritûs habéntes, & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes. ℣. Tu, Dómine, in sánguine testaménti tui emisísti vinctos tuos de lacu. * Sed & nos. *Rom.* 8. 19. 23. *Zach.* 9. 11.

Repetitur ℟. Expectátio *usque ad* ℣. *Deinde dicitur* Dóminus vobíscum. *Oratio* Fidélium.

Officium Defunctorum terminatur ad Nonam.

DIEBUS
INTRA OCTAVAM
Omnium Sanctorum.

Semiduplex.

Omnia ut in Festo, exceptis quæ sequuntur: Psalmi de Feria in toto Officio.

Ad Officium Nocturn. Tres Antiphonæ, ℣. *&* ℟℟℟. *ex uno Nocturno Festi secundùm Feriam & Rubricam: Lectiones ut notantur in qualibet die.*

Ad Laudes, prima Antiphona de Laudibus Festi; reliqua ut in die. Ad Horas, ut in Festo.

Ad Vesp. 1. *Ant. de* 2. *Vesperis Festi; reliqua ut in die.*

DIE III.

DE OCTAVA
OMNIUM SANCTORUM.

Commemoratio sancti Huberti Episcopi Leodiensis.

Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv.

Duæ Lect. priores ex Scriptura occurrente, fit una ex secunda & tertia.

Ex Libro sancti Cypriáni, Epíscopi & Mártyris, de Mortalitáte.

Lectio iij.

AMplectámur diem, qui assignat síngulos domicílio suo; qui nos istinc eréptos, & láqueis sæculáribus exolútos, paradíso restítuit & regno cœlésti. Quis non péregrè constitútus properáret in pátriam régredi? Quis non ad suos navigáre festínans, ventum prósperum cupídiùs optáret, ut velóciter charos licéret ampléсti? Pátriam nostrā paradísum computámus; paréntes Patriárchas habére jam cœpimus: quid non properámus & cúrrimus, ut pátriam nostram vidére, ut paréntes salutáre possímus? Magnus illic nos charorum númerus expéctat, paréntum, fratrum, filiórum frequens nos & copiósa turba desíderat, jam de sua immortalitáte secúra, & adhuc de nostra salúte sollícita. Ad horum conspéctum & compléxum veníre, quanta & illis & nobis in commúne lætítia est!

Vesperæ de sequenti, Comm. de Octava Omnium Sanctorum, & de sancto Amantio Episcopo. Oratio. Omnípotens, *p.* xxiv.

DIE IV.

S. CAROLI,
BORROMÆI EPISCOPI.

Duplex 4. *Classis.*

De Communi unius Pontificis.

Oratio.

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli Pontíficis continuâ protectióne custódi; ut sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit, ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes; Per, &c.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex sancti Caroli vita, auct. Jussano.

Carolus, Arónæ in território Mediolanénsi, nóbili Borromæórum gente natus, à púero Clericáli milítiæ adscríptus est. Post datam per annos áliquot lítteris humanióribus óperam, Papíam missus est ut legum civílium & sacrórum Cánonũ stúdia cóleret. Tántulâ cùm esset ætáte, patrem modéstè admónuit, ne réditus Ecclesiásticos, quibus donátus fúerat, in rem familiárem convérteret: quorum ipse nactus administratiónem, quidquid necessáriis súmptibus supérerat, expendébat in páuperes. A Pio quarto avúnculo suo in Cardinálium Collégium, júvenis licèt, cooptátus, commíssa sibi gravíssima Ecclésiæ negótia summâ fide ac religióne administrávit. Mediolanẽsis deinde Archiepíscopus creátus, plúrimam óperam adhíbuit, ut secúndùm Concílium Tridentínum, quod ejus potíssimùm sollicitúdine jam tum fúerat absolútum, Ecclésiam sibi commíssam compóneret. Atque ut Ecclesiásticam disciplínam restitúeret, ac depravátos plebis suæ mores reformáret, præter iterátas sæpiùs Provínciæ ac Diœcésis suæ Synodos, seípsum exímiæ sanctitátis præbuit exẽplar. Ecclesiásticos provéntus, múnera, dignitátes & benefícia, quibus fúerat ab avúnculo cumulátus, dimísit. E Diœcési discéssit numquam nisi coáctus, aut concedénte Apostólicâ Sede, aut saltem senióre Provínciæ Epíscopo approbánte. In profligándis hæréticis è pártibus Rhætórum & Helvetiórum, quorum plúrimos ad fidem convértit, máximè laborávit.

Lectio v.

Ejus Cháritas tum præcípuè enítuit, cùm, Uritáno principátu véndito, prétium univérsum ad quadragínta aureórum míllia unâ die in páuperes erogávit; nec minori pietáte vigínti míllia, quæ sibi fúerant legáta, distríbuit. Quo témpore pestis Mediolani grassabátur, doméstìcam supelléctilem, ne relícto sibi quidem léctulo, in pauperes aléndos contulit, super nudâ in pósterùm tábulâ decúmbens: eóque morbo laborántes, non in civitáte modò, sed & in reliqua Diœcési, sédulò invísens, paterno reficiebat affectu

& Ecclésiæ sacraménta moribúndis própriâ ipse manu adminístrans, mirum in modum solabátur. Humíllimis ínterim précibus reconciliátor accédens, públicâ supplicatióne indíctâ, fune sibi ad collum alligáto, nudis pédibus, étiam ex offendículo cruentátis, crucem bájulans, semetípsum pro peccátis pópuli hóstiam ófferens, divínam indignatiónem avértere satagébat. Ecclesiásticæ libertátis propugnátor fuit acérrimus. Disciplínæ reguláris inter Mónachos instaurándæ inténtus, cùm ex more aliquándo in doméstico Sacéllo vésperè cum família oráret, à perditíssimo quodam Mónacho, è Congregatióne Humiliatórum, sclopo percússus, divínâ virtúte servátus est.

Lectio vj.

VItam duxit aspérrimâ, corpus domans flagéllis, cilício, vigíliis, ac jejúniis, pane tantùm & aquâ, & solis quándoque lupínis conténtus: oratiónem, ac verbi Dei prædicatiónē gravíssimis licèt curis occupátus, numquam intermísit. Summo divíni cultûs propagándi æstuans desidério, multas Ecclésias, Monastéria, Semenária, & Collégia ædificavit. Plura scripsit præcépta, Epíscopis potíssimùm utilíssima; ejúsque óperâ Parochórum Catechísmus pródiit. Demum in solitúdinem Varálli montis, ubi sculptæ imágines Domínicæ Passiónis mystéria exprimunt, secéssit: ibique diébus aliquot voluntáriâ castigatióne duram, sed suávem ex Christi dolórum meditatióne vitam agens, in febrem íncidit. Mediolánum revérsus, ingravescénte morbo, post suscépta máximâ cum pietáte Ecclésiæ sacraménta, cínere ac cilício coopértus, & óculis in Christi imáginem defíxis, migrávit in cœlum anno ætátis quadragésimo sexto, Christi millésimo quingentésimo octogésimo quarto. Quem miráculis conspícuum Paulus quintus Sanctórum Catálogo inscrípsit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. v. 2.

IN illo témpore; Dixit Jesus Pharisæis: Qui intrat per óstium, pastor est óvium. Et réliqua.

Homília sancti Cároli Epíscopi.

Habit. in Conc. 2. Provinciâ Mediol. circa finem.

NOs pro rei gravitáte, ánimo reputémus quæ nobis potíssimùm propósita esse debeant. Ac primùm quidem perspícuum est quàm turpe sit, in eo quòd Christi legatióne fúngimur, Deíque minístri sumus, si non Christum ipsum, non quæ Dei sunt, sed quæ nostra quærá-

mus. Opórtet ígitur nos, non populáribus stúdiis, non laudi, non glóriæ nostræ, sed Christo serviámus, cui omnem glóriam debémus... Ecquæ utílitas nobis exístet, si iram Dei in nos concitántes, hóminũ benevoléntiam populári quâdam indulgéntiâ conciliémus? Ergo ad Dei voluntátem tamquam certam normam, consília, cogitatiónes, stúdia & actiónes nostras dirigámus.

Lectio viij.

PRoponámus nobis ob óculos libertátem illam spíritûs, quâ instrúcti nostri órdinis sanctíssimi hómines, Apostólico quodam animárum ardóre flagrántes, non minis, non hóminum clamóribus, non furóribus debilitáti, pro Dei glória, pro gregis commíssi salúte, forti constantique ánimo adhibuérunt illam quasi censóriam virtútem, acérrimam peccatórum víndicem. Eórum exémplo addúcti nos quoque Apostólicâ illâ constántiâ, & Evangélicâ virtúte, quâ nihil est in Ecclesiásticis Pastóribus illústrius, nihil magis necessárium; sine metu perficiámus quod Evangélium docet, quod Christus jubet, quod rátio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclésiæ auctóritas, dignitásque póstulat.

Lectio ix.

SI contrà à nobis fiat, in formidolóso illo judício, cùm animárum, quæ in fidem & curatiónem nobis tráditæ sunt, ratiónem reddémus, iráti júdicis eas voces audiémus: Si speculatóres erátis; cur cæci? Si Pastóres; cur gregem vobis commíssum erráre permisístis? Si sal terræ; quómodo evanuístis? Si lux erátis; cur sedéntibus in ténebris & umbrâ mortis, non illuxístis? Si Apóstoli; cur Apostólicâ virtúte non usi, cuncta egístis ad hóminum óculos? Si os Dómini; cur muti? Si vos huic óperi ímpares esse sentiebátis; cur tam ambitiósi? Si pares, cur ita désides, & ita negligéntes? Nihil vos Prophetárum voces, nihil Evangélii leges, nihil Apostolórum exémpla, nihil píetas, nihil relígio, nihil Ecclésiæ labéntis status, nihil hic formidolósus judícii dies, nihil præmia, nihil supplícia, æterníque cruciátus movérunt?

Commem. Octavæ & S. Amantii in Laudibus. In Vesperis Commem. de Octava.

DIE V.

DE OCTAVA OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex.

Duæ Lectiones priores de Script. occurr.

Lectio iij.

Ex Epístola sancti Augustíni Epíscopi ad Macedónium.

Ep. 155. Edit. Ben. Cap. 3. & 4.

UNa in cœlo virtus erit, & idípsum erit virtus præ-

miúmque virtútis, quod dicit in sanctis elóquiis homo qui hoc amat: Mihi autem adhærére Deo bonum est. Hæc ibi erit plena & sempitérna sapiéntia, eadémque veráciter vita jam beáta. Pervéntio quippe est ad ætérnum ac summum bonum, cui adhærére in ætérnum est finis nostri boni. Dicátur hæc & prudéntia, quia prospectíssimè adhærébit bono quod non amittátur; & fortitúdo, quia firmíssimè adhærébit bono unde non avellátur; & temperántia, quia castíssimè adhærébit bono, ubi non corrumpátur; & justítia, quia rectíssimè adhærébit bono cui méritò subjiciátur. Quamquam & in hac vita virtus non est, nisi dilígere quod diligéndum est. Id elígere, prudéntia est; nullis inde avérti moléstiis, fortitúdo est; nullis illécebris, temperántia est; nullâ supérbiâ, justítia est. Quid autem eligámus quod præcípuè diligimus: nisi quo nihil mélius invenímus? Hoc Deus est, cui si diligéndo áliquid vel præpónimus, vel æquámus, nos ipsos dilígere nescímus. Tantò enim nobis mélius est, quantò magis in illum imus, quo nihil mélius est. Imus autem, non ambulándo, sed amándo. Quem tantò habébimus præsentiórem, quantò eúmdem amórem, quo in eum téndimus, potuérimus habére puriórē.

In Vesp. Com. S. Leonardi, Abb. *Oratio.* Omnipotens, *p.* xl.

DIE VI.

DE OCTAVA OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex.

Duæ Lect. priores ex Script. occ.

Lectio iij.

Ex Epístola prima sancti Cleméntis Papæ & Mártyris ad Corinthios. *C.* 35.

Quàm beáta sunt & mirabília dona Dei, dilécti! Vita in immortalitáte, splendor in justítia, véritas in libertáte, fides in confidéntia, continéntia in sanctitáte; & hæc omnia sub intelléctum nostrum cadunt. Quænam ígitur sunt quæ præstolántibus parántur? Sanctíssimus Opifex & Pater sæculórum, quantitátem, & pulchritúdinē excellentiámque eórum cognóscit. Nos ígitur summo stúdio contendamus in número expectántium eum reperíri, ut partícipes fiámus donórum repromissórum. Quómodo autem evéniet istud, dilécti? Si mens nostra in Deum fide stabilíta fúerit: si plácita illi & accépta exquisivérimus: si perfecérimus quæ ad inculpátam ejus voluntátem pértinent, & secúti fuérimus viam veritátis; abjiciéntes à nobis omnem injustítiam & iniquitátem, avarítiam, contentiónes, malignitátes & fraudes, susúrros & obtrectatiónes, ódium Dei, supérbiam & ostentatiónem, ini-

rem gloriam atque amórem vanitátis. Qui enim ista fáciunt, odiósi Deo sunt: neque solùm qui ea fáciunt; sed étiam qui conséntiunt illis.

Comm. S. Leonardi, Abbatis in Laudibus.

Die vii.

DE OCTAVA OMNIUM SANCTORUM.

Semiduplex.

Duæ Lectiones priores ex Script. occurr.

Lectio iij.

Ex libro sancti Cypriáni Epíscopi & Mártyris, de mortalitáte.

Sub finem.

QUalis illic cœléstium regnórum volúptas sine timóre moriéndi, & cum æternitáte vivéndi! Quàm summa & perpétua felícitas! Illìc Apostolórum gloriósus chorus: illìc Prophetárum exultántium númerus: illìc Mártyrum innumerábilis pópulus, ob certáminis & passiónis victóriam coronátus: triumphántes illìc Vírgines, quæ concupiscéntiam carnis & córporis, continéntiæ róbore subegérunt: remuneráti misericórdes, qui aliméntis & largitiónibus páuperum, justítiæ ópera fecérunt: qui Domínica præcépta servántes, ad cœléstes thesáuros terréna patrimónia transtulérunt. Ad hos, fratres, dilectíssimi, ávidâ cupiditáte properémus; & cum his citò esse, ut cito ad Christum veníre contíngat, optémus.

Die viii.

OCTAVA OMNIUM SANCTORUM, ET VENERATIO sanctarum Reliquiarum.

Duplex 3. Clas.

AD I. VESPERAS.

Memoria justorum in benedictione: ipsi quondam à Deo resuscitandi.

Psalmi de Feria: & sic in toto Officio.

Ant. t. 1. d. SUnt quorum non est memória: nati sunt, quasi non nati: sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt, & glória eórum non derelinquétur. *Eccli. 44. 9. 10. 13.*

Ant. t. 2. D. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt; & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. *Eccli. 44. 14.*

Ant. t. 3. A. Rex mundi defúnctos pro suis légibus in ætérnæ vitæ resurrectióne suscitábit. *2. Mach. 7. 9.*

Ant. t. 5. a. Revelábit terra sánguinem suum, & non opériet ultrà interféctos suos. *Is. 26. 21.*

Ant. t. 6. f. Ossa (eórum) púllulent de loco suo; nam corroboravérunt Jacob, & redemérunt se in fide virtútis. *Eccli. 49. 12.*

Capitulum. Ezech. 37. 12. 13.

HÆc dicit Dóminus Deus: Ecce ego apériam túmulos vestros, & edúcam vos de sepúlchris vestris, pópu-

lus meus. Et sciétis quia ego Dóminus.

℟. Vidébitis, & gaudébit cor vestrum, * Et ossa vestra quasi herba germinábunt: & † Cognoscétur manus Dómini servis ejus. ℣. Cùm Christus apparúerit vita vestra; tunc & vos apparébitis cum ipso in glória. * Et ossa. Glória. † Cognoscetur. *Is.* 66. 14. *Colos.* 3. 4.

HYMNUS.

O Vos unánimes, Christíadum chori,
Sanctórum túmulos & cíneres patrum,
Dulces exúvias, pígnora cœlitum
Lætis dícite cántibus.
Cœlo quando piis æqua labóribus
Felíces ánimæ gáudia póssident,
Pœnárum sóciis débita rédditur
Hìc laus & decus óssibus.
Passim sparsa, Deus pollíciti memor,
Custos, ne péreant, pígnora cólligit;
Electósque suis próvidus ággerit
Aptándos lápides locis.
Quin & relliquias & túmulos, sibi
Aras ipse Deus cónsecrat hóstia;
Conjungénsque suis se caput ártubus,
Hos secum simul ímmolat.
Vos quorum cíneres súpplicibus pia,
Tutum præsídium, plebs colit ósculis;
Si vos nostra movent, subsídium, boni,
Vestris ferte cliéntibus.
Ut cùm nostra novis splendida dótibus
Surget juncta choris spiríτuum caro,
Indivísa Trias sit Deus ómnia
Nobis semper in ómnibus. Amen.

℣. Pretiósa in conspéctu Dómini ℟. Mors Sanctórum ejus. *Ps.* 115. 15.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *c.* Dórmiunt in terræ púlvere, evigilabunt in vitam ætérnam; & fulgébunt quasi splendor firmaménti. *Dan.* 12. 2. 3.

Oratio ut infrà in Laudibus.

Completorium *ut per Octav.*

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Mirábilem Deum in Sanctis suis, * Veníte, adorémus. *Ps.* 67. 36.

IN I. NOCTURNO.

In conservandis Sanctorum Reliquiis Dei providentia.

Ant. t. 1. *a.* Justi quasi virens fólium germinábunt: & radix justórum non commovébitur. *Prov.* 11. *v.* 28. & 12. *v.* 3

Ant. t. 2. *D.* De manu mortis liberábo eos, de morte rédimam eos. *Osee.* 13. 14.

Ant. t. 3. *a.* Quómodo si inveniátur granum in botro, & dicátur: Ne díssipes illud, quóniam benedíctio est; sic

fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum. *Is.* 65. 8.

℣. Non derelínquet Dóminus Sanctos suos: ℟. In ætérnum conservabúntur. *Ps.* 36. 28.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. Justi visi sunt óculis insipiéntium mori; & æstimáta est afflíctio éxitus illórum: illi autem sunt in pace: * Et spes illórum immortalitáte plena est. ℣. Ipsi expéctant resurrectiónem futúram justórum. * Et spes illórum. *Sap.* 3. 2. 3. 4. *Act.* 24. 15.

℟. 2. Inquiréntes Dóminum non minuéntur omni bono: * Custódit Dóminus ómnia ossa eórum; unum ex his non conterétur. ℣. Quia óculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eórum. * Custódit. *Ps.* 33. 11. 21. 1. *Pet.* 3. 12.

℟. 3. Cùm emisísset Pharao pópulum, tulit Móyses ossa Joseph secum; eò quòd adjuráffet fílios Israel, dicens: * Visitábit vos Deus, efférte ossa mea hinc vobíscum. ℣. Fide Joseph, móriens, de profectióne filiórum Israel memorátus est, & de óssibus suis mandávit.* Visitábit. Glória. * Visitábit. *Exod.* 13. 17. 19. *Hebr.* 11. 22.

IN II. NOCTURNO.

Signis & prodigiis multis commendat Deus Sanctorum Reliquias.

Ant. t. 4. a. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis terræ. *Soph.* 3. 20.

Ant. t. 5. a. Qui credit in me, ópera quæ ego fácio, & ipse fáciet, & majora horum fáciet. *Joan.* 14. 12.

Ant. t. 6. f. Laudábitis nomen Dei vestri, qui fecit mirabília vobíscum. *Joel.* 2. 26.

℣. Numquid mórtuis fácies mirabília? ℟. Et confitebúntur tibi? *Ps.* 87. 11.

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni.

Lectio iv. Adversus Julianum Orat. 3. & in Carm.

ITa quidem morbi Sanctórum méritis curántur; quorum apparitiónes, & prædictiónes, quorum vel sola córpora idem possunt quod ánimæ, sive mánibus contrectÉntur, sive honoréntur; quorum vel solæ sánguinis guttæ, atque exígua passiónis signa idem possunt quod córpora. Unde orbem hunc penè totum instar síderum serénis splendóribus, sublímibus thronis, doctrínis, cœtibus, concúrsibus integrárum familiárum, hymnis conveniéntibus collústrant hi, qui juguláti, Christi gloriosi sunt victóres. Estque ádeò frequens eórum luctæ certaminúmque venerátio, ut exíguus pulvis aut relíquiæ véterum óssium, totíus ad honórem sufficiat;

& nonnullórum saltem appellationem Reliquiarum omníno expértem, scio locis certis índitam esse pro toto Mártyre, quæ tamen eámdem vim obtinúerit. O rem prodigiósam! Salútem affert sola recordátio.

℟. Projecérunt cadáver in sepúlchro Eliséi: quod * Cùm tetigísset ossa Eliséi, revíxit homo, & stetit super pedes suos. ℣. Per fidem accepérunt de resurrectióne mórtuos. * Cùm tetigísset. 4. *Reg.* 13. 21. *Hebr.* 11. 33. 35.

Sermo sancti Ephræm, Diáconi.

Lectio v. Serm. 1. *de Mart.*

MArtyres mórtui tamquam vivi operántur: ægrótos sanant, dæmones expéllunt, omnémque tyránnidis ipsórum nequítiam virtúte Christi in fugam agunt. Semper enim sanctis Relíquiis grátia adest Spíritûs sancti, quæ cuncta in eis mirácula edit. Quóniam viríliter Christum coram homínibus in magna patiéntia conféssi sunt: ídeò & ipse eos coram Patre & Angelis sanctis conféssus est; promisítque illis bona illa, quæ óculus non vidit, nec auris audívit, neque in cor mortalis hóminis venérunt, & in quæ Angeli prospícere desíderant: & quid ámpliùs hîc sermóne explicáre vólumus? Cohærédes ipse sibi eos effécit.

℟. Virtútes non quáslibet faciébat Deus; ita ut super lánguidos deferréntur à córpore Pauli sudária, & semicínctia: * Et recedébant ab eis languóres, & spíritus nequam egrediebántur. ℣. Misericórdia tua, Dómine, advéniens sanábat illos. * Et recedébant. *Act.* 19. 11. 12. *Sap.* 16. 10.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio vj. Serm. 275. *num.* 3. *Edit. Ben.*

MAgnum Dóminus testimónium præbet téstibus suis; cùm ille qui rexit corda certántium, nec córpora déserit mortuórum.... Verè pretiósa in conspéctu Dómini mors Sanctórum ejus; quando nec terra, carnis vitâ deserénte, contémnitur; & invisíbili ánimâ de visíbili domo discedénte, habitáculum servi curâ Dómini custodítur, & in glóriam Dómini à consérvis fidélibus honorátur. Quid enim agit Deus, mira ópera faciéndo circa Sanctórũ córpora, nisi testimónium pérhibet, sibi non períre quod móritur, & ut hinc intelligátur in quali honóre secum hábeat ánimas occisórum, quando caro exánimis tanto effécto divinitátis ornátur? Sicut enim de membris Ecclésiæ loquens Apóstolus, similitúdinẽ adhíbuit de membris córporis nostri, quóniam quæ inhonésta sunt nostra, his abundantiórem ho-

nórem circumpónimus : ita providentia Creatóris cadavéribus Mártyrum tam præclára miraculórum testimónia præstándo, abundantiórem honórem exanguibus Reliquiis hóminum circumpónit.

℟. Dómine Deus Israel, qui in signis, & in prodígiis, & in virtúte magna fecisti tibi nomen, * Statuísti verba tua, quæ locútus es in mánibus tuorum Prophetárum, ut transferrentur ossa patrum nostrorum de loco suo; & † Fecisti in nobis, Dómine, secúndùm omnem bonitátem tuam. ℣. In eo quòd manum tuam exténdas ad sanitátes, & signa, & prodigia fieri * Statuísti. Glór. † Fecísti. *Barúc.* 2. 11. 24. 27. *Act.* 4. 30.

IN III. NOCTURNO.

Ex sanctarum Reliquiarum cultu, resurrectionis spes.

Ant. t. 4. *a.* Dicit Dóminus Deus óssibus his : Ecce ego intromíttam in vos spíritum, & vivétis. *Ezech.* 37. 5.

Ant. t. 7. *a.* A quátuor ventis veni, spíritus; & insúffla super interféctos istos; & revivíscant. *Ezech.* 37. 9.

Ant. t. 8. *c.* Sicut præcéperat Dóminus, ingréssus est in ossa spíritus, & vixérunt. *Ezech.* 37. 10.

℣. Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, Dómine? ℟. Et justítia tua, in terra obliviónis? *Ps.* 87. 13.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 20. 27.

In illo témpore; Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem. Et réliqua.

Homília sancti Joánnis Chrysóstomi.

In Ss. Mach. Hom. 1. *n.* 1.

Quàm toto anno splendidior hæc dies! Sexcéntis sólibus splendidióres hi sunt, ac magnis luminábus clarióres. Propter illos hódie terra ornátior est, quá ipsum cœlum. Ne mihi púlverem dicas, ne mihi cínerem cógites, vel ossa témpore consúmpta; sed fídei óculos áperi, & vide assidéntem ipsis Dei virtútem, ambiéntem ipsos spíritus grátiam, circumfúsam cœléstis lúminis glóriam. Non tales ex solári orbe in terrã emittúntur rádii, quales ex sanctis corpóribus prosiliéntes fulgóres diáboli óculos excæcant. Quemádmodum enim prædónum duces, aut sepulchrorum effossóres, ubi vident imperatória arma jacéntia, auro tota fulgéntia, statim resíliunt, magnúmque suspicántes perículum, neque accédere, neque ea contíngere audent; sic & dæmones verè prædónum duces, ubicúmque vident Mártyrum córpora jacéntia, statim fúgiunt, ac resíliunt. Non enim in mortálem natúram eórum respíciunt, sed

in arcánam Christi, qui illa gestávit, dignitátem.

℟. Vivent mórtui, interfécti resúrgent: * Expergiscímini, & laudáte, qui habitátis in púlvere. ℣. Sicut in Adam omnes moriúntur; ita & in Christo omnes vivificabúntur. * Expergiscímini. *Is.* 26. 19. 1. *Cor.* 15. 22.

Lectio viij. Hom. in Martyres Ægyptios. n. 1.

VIros qui úrbibus, quæ illis obvénerint, post óbitum étiam præstant securitátem, præ ómnibus æquũ est honóris prærogatívâ donári. Sanctórum enim córpora quovis adamantíno & inexpugnábili muro tútiùs nobis urbem múniunt, & tamquam excélsi quidã scópuli úndique prominéntes, non horum qui sub sensus cadunt, & óculis cernúntur, hóstium ímpetus propúlsant tantùm, sed étiam invisibílium dæmonum insídias, omnésque diáboli fraudes subvértunt ac díssipant, non minùs fácilè, quàm si fortis vir áliquis lúdicra puerórũ subvérteret ac prostérneret.... Neque verò tántùm advérsùs hóminum insídias, aut advérsùs fallácias dæmonum, útilis nobis est hæc posséssio, dilectíssimi; sed & si nobis commúnis Dóminus ob peccatórum multitúdinem irascátur, his objéctis corpóribus contínuò potérimus eũ propítium réddere civitáti.

℟. Qui digni habebúntur sæculo illo, & resurrectióne ex mórtuis, non ultrà mori póterunt: * Æquáles enim Angelis sunt; & filii sunt Dei, cùm sint filii resurrectiónis. ℣. Fulgebunt quasi stellæ in perpétuas æternitátes. * Æquáles. *Luc.* 20. 35. 36. *Dan* 12. 3.

Lectio ix. Libr. in S. Babylam contra Julian. & Gentil. Num. 11. & 12.

DEus ille clemens, qui infinítas nobis salútis occasiónes cóntulit, hanc quoque cum áliis nobis apéruit viam, quæ nos possit ad virtútem evocáre, Sanctórum Relíquias apud nos ínterim relínquens. Nam post sermónis virtútem, secúndum tenent órdinem Sanctórum sepúlchra, ad ánimos intuéntium hóminum ad imitatiónem concitándos. Ac sícubi quis ejúsmodi capsæ adstet, statim ejus efficáciam sensu pércipit. Etenim capsæ aspéctus ánimum óccupans, ipsum percéllit & éxcitat, atque illum sic áfficit, ac si ille qui jacet simul precarétur, adésset, viderétur. Multi verò, intolerábili afféċti dolóre, prope sepúlchra mortuórum domicílium sibi perénne constituérunt; id nequáquam factúri, nisi ex loci conspéctu quidpiam consolatiónis percepíssent. Ecquid de loco & sepúlchro loquor? cùm vestis sæpè sola mortuórum visa, aut verbum unum mente repetítum, áni-

mum excitárit, & labéntem memóriam redúxerit. Ideò Relíquias Sanctórum nobis Deus dimísit. Me autem non hæc frustrà jactitáre, sed ad utilitátem nostram ita provísum esse, fidem fácere possunt mirácula, quæ à sanctis quotídie Martyribus edúntur.

℟. Mundi Creátor, qui formávit hóminis nativitátem, quique ómnium invénit oríginem,* Spíritum vobis cum misericórdia reddet & vitã. ℣. Deus qui vivíficat mórtuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, * Spíritum. 2. *Mach.* 7. 23. *Rom.* 4. 17. Te Deum.

AD LAUDES.

In resurrectione futura Sanctorum gloria.

℣. *Sacerdotal.* Psállite Dómino, Sancti ejus: ℟. Et confitémini memóriæ sanctitátis ejus. *Ps.* 29. 5.

Ant. t. 1. a. Fulgébunt justi, & dominabúntur pópulis, & regnábit Dóminus illórum in perpétuum. *Sap.* 3. 7. 8.

Ant. t. 5. a. Cùm à mórtuis resurréxerint, sunt sicut Angeli in cœlis. *Marc.* 12. 25.

Ant. t. 6. f. Sit memória illórum in benedictióne, & ossa eórum púllulent de loco suo. *Eccli.* 46. 14.

Ant. t. 7. D. Deus non est mortuórum, sed vivórum: omnes enim vivunt ei. *Luc.* 20. 38.

Ant. t. 8. C. Seminátur corpus in ignobilit[...] get in glória. 1. *Cor.*

Capitulum. Coloss.

Mortui estis, & [...]tra est abscón[...] Christo in Deo. Cù[...]tus apparúerit vit[...] tùnc & vos apparé[...] ipso in glória.

℣. Beáta gens [...] Dóminus, Deus eju[...]pulus quem elégit i[...]tátem sibi. *Ps.* 32. 1[...]

Ad Bened. Ant. In consummatióne [...] justi fulgébunt sic[...] regno Patris eórun[...] 13. 40. 43.

Oratio.

Auge in nobis, [...] resurrectiónis [...] qui in Sanctórum Relíquiis mirabília [...] & fac nos immortál[...] partícipes, cujus i[...] cinéribus pígnora [...]mur; Per, &c.

Ad Horas br. Anti[...] Laudibus.

AD PRIM[...]

CANO[...]

Ex Concílio Bitu[...] *An.* 1584. *Tit.* [...] *Reliq. Sanctoru[...]*

Honorámus R[...] Mártyrum, u[...] cujus servi sunt, ad[...] honorámus servos, [...] servórum redúndet i[...]num. Si enim ossa [...]rum pólluunt conti[...] quómodo Eliséus P[...] mórtuus, mórtuu[...]távit?

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 51. 52. 53.

Ecce mystérium vobis dico: Mórtui resúrgent incorrúpti: & nos immutábimur: opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem; & mortále hoc indúere immortalitátem.

℟. Dómine, in lúmine vultûs tui ambulábunt, & in nómine tuo exultábunt totâ die: & * In justítia tua exaltabúntur; † Quóniam glória virtútis eórum tu es. ℣. Alia cláritas solis, ália cláritas lunæ, ália cláritas stellárum: stella enim à stella differt in claritáte; sic & resurréctio mortuórum. * In justítia. Glória. † Quóniam. *Ps.* 88. 16. 17. 18. 1. *Cor.* 15. 41. 42.

℣. In ætérnum exultábunt: ℟. Et habitábis in eis, Dómine. *Ps.* 5. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Rom. 8. 11.

Qui suscitávit Jesum Christum à mórtuis, vivificábit & mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum ejus in vobis.

℟. *br.* Filii Sion * Exúltent in rege suo. Filii. ℣. Glória hæc est ómnibus Sanctis ejus. * Exúltent. Glória. Filii. *Ps.* 149. 2. 9.

℣. Exultábunt Sancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. *Ps.* 149. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 15. 54. 55.

Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus?

℟. *br.* Dómine, * Dabis gáudium & lætítiam. Dómine. ℣. Et exultábunt ossa humiliáta. * Dabis. Glória. Dómine. *Ps.* 50. 10.

℣. Sancti tui glóriam regni tui dicent: ℟. Et poténtiam tuam loquéntur. *Ps.* 144. 10. 11.

Vesperæ de sequenti.

Die ix.

OMNIUM Ss. Episcoporum Tulléensium.

Dupl. 1. *Clas. Solemne minus.*

AD I. VESPERAS.

Patres nostros in fide laudemus unanimes.

Psalmi de Feria

Ant. t. 1. *D.* Laudémus viros gloriósos, & paréntes nostros, imperántes in virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. *Eccli.* 44. 1. 4.

Ant. t. 5. *f.* Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ suâ à sæculo: hómines dívites in virtúte, in diébus suis habéntur in láudibus. *Eccli.* 44. 2. 6. 7.

Ant. t. 6. *F.* Illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt. *Eccli.* 44. 10.

Ant. t. 7. a. Habéntes librum legis Dómini, circuíbant cunctas urbes, atque erudiébant pópulum. 2. *Paral.* 17. 9.

Ant. t. 8. c. Ad eórum eruditiónem omnis Israel sanctificabátur Dómino. 2. *Paral.* 35. 3.

Capitulum. Eccl. 44. 15.

SApiéntiam ipsórum narrent pópuli, & laudem eórum núntiet Ecclésia.

℞. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt: * Et filii eórum propter illos usque in ætérnum manent; & † Glória eórum non derelinquétur. ℣. Vos estis fílii prophetárum, & testaménti quod dispósuit Deus ad patres nostros. * Et fílii eórum. Glória. † Glória. *Eccli.* 44. 7. 13. *Act.* 3. 25.

HYMNUS.

O Qui pro grégibus das ánimam tuis,
Alto consílio quàm bene próvidos
Charo ponis ovíli
Quos tu, Christe, vocas duces!
Hi justo pópulos judício regunt;
Hi de fonte bibunt quem sítiunt Deum;
Et de Númine pleni,
In nos hi superéffluunt.
Hi dum corda sacris légibus ímbuunt,
Discússis tenebris stat fidei decus;
Sese pandit apérta
Toto lúmine vé
Facti forma, Deo
riunt, gregi
Quæ sermóne do
ribus éxprimu
Cùm mandant,
get:
Cùm damnant,
guit.
Nusquam lenta te
désides:
Noctes atque di
lant agro,
Subrépens inimi
Ne zizánia sémi
Quas erráre viden
dévias,
Cautè sollíciti,
móntium,
Per desérta requí
Et portant húme
Laus, qui Pontífice
tuit, Patri:
Pastórum Cápiti
quoque Fílio;
Qui pinguédine
Ungis, laus tibi
tus. Amen.

℣. Laudámini in sancto ejus: ℟. Læt quæréntium Dómin 104. 3.

Ad Magnif. Ant. Sit memória illórun nedictióne; & non rum permáneat in æt pérmanens ad fílios il sanctórum virórum *Eccli.* 46. 14. 15.

Oratio ut infrà in L

Fit Comm. de Oct. (*Sanctorum per Antiph.*

Amodo jam dicit S ut requiéscant à lab

suis : ópera enim illórum sequúntur illos. *Apoc.* 14. 13.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Ps.* 125. 5.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Christum Pastórum Príncipem, * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 5. 4.

IN I. NOCTURNO.

Misericors Dominus, qui dignos gregi suo promittit Pastores.

Ant. t. 1. *d.* Dabo vobis Pastóres juxta cor meum, & pascent vos sciéntiâ & doctrínâ. *Jerem.* 3. 15.

In Psalm. 18. Cœli enárrant glóriam Dei, *pag.* 28.

Ant. t. 2. *d.* Deum Israel prædicábunt : & scient errántes spíritu intelléctum. *Is.* 29. 23. 24.

In Psalm. 23. Dómini est terra, *pag.* 34.

Ant. t. 3. *e.* Erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia; & placébit Dómino sacrifícium. *Malach.* 3. 3. 4.

In Psalm. 32. Exultáte, justi, in Dómino, *pag.* 29.

℣. Sacerdótes Sion índuam salutári : ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Ps.* 131. 16.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. Cap. 44. *v.* 1. *ad* 6.

LAudémus viros gloriósos, & paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntiâ suâ à sæculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni in virtúte, & prudéntiâ suâ præditi, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetarum, & imperántes in præsénti pópulo, & virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, & narrantes cármina Scripturárum.

℟. Jerúsalem, ponam Præpósitos tuos justítiam, & occupábit salus muros tuos : pópulus autem tuus omnes justi, in perpétuum hæreditábunt terram, * Germen plantatiónis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum. ℣. Vos genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis, * Germen. *Is.* 60. 17. 18. 21. 1. *Petri* 2. 9.

Lectio ij. v. 6. *ad* 10.

HOmines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes; pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt; & in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. Et sunt quorum non est memória: periérunt quasi non fúerint; & nati sunt quasi non nati, & filii ipsórum cum ipsis.

℟. Congregábo relíquias gregis mei; * Et suscitábo super eos Pastóres, & pascent eos : non pavébunt, & nullus quærétur ex número. ℣. O-

ves meæ non períbunt in ætérnum, & non rápiet eas quisquam de manu mea. * Et suscitábo. *Jerem.* 23. 3. 4. *Joan.* 10. 28.

Lectio iij. v. 10. *ad* 16.

SEd illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona: hæréditas sancta nepótes eórum, & in testaméntis stetit semen eórum: & fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum & glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, & laudem eórum núntiet Ecclésia.

℟. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis, & super multitúdinem bonórum, quæ * Largítus est secúndùm indulgéntiam suam, & † Secúndùm multitúdinem misericordiárum suárum. ℣. Ipse dedit Pastóres ad consummatiónem sanctórum, in opus ministérii. * Largítus. Glória. † Secúndùm multitúdinem. *Is.* 63. 7. *Eph.* 4. 11. 12.

IN II. NOCTURNO.

Maximis eorum in nos meritis accedit maxima gloria.

Ant. t. 4. *e.* Hi príncipes faciébant ópera ministérii domûs Dómini. 1. *Paral.* 23. 24.

In Psalm. 33. Benedícam Dóminum, *pag.* 80.

Ant. t. 5. *f.* Omnes isti erudiébant cánticum Dómini, cuncti Doctóres. 1. *Paralip.* 25. 5. 7.

In Psalm. 46. Omnes gentes, pláudite, *pag.* 35.

Ant. t. 6. *f.* Coróna senum fílii filiórum: & glória filiórum patres eórum. *Prov.* 17. 6.

In Psalm. 63. Exaúdi, Deus, oratiónem, cùm, *pag.* 77.

℣. Deus, patres nostri annuntiavérunt nobis, ℟. Opus, quod operátus es in diébus antíquis. *Ps.* 43. 2.

Lectio iv.

MUltos ex sanctíssimis illis, quibus tamquam suis nostra gloriátur Ecclésia, passim per annum, fratres charíssimi, próprio nómine vocávimus Antístites; gestis commendávimus quemque suis; speciáli quemque festivitáte, & quidem congruénter, recolúimus. Etenim à nobis vel à nullo débuit illa Patrum, quæ filiórum est glória, commemorári celébritas. Nec quoque per gratum lícuit ánimum alios omíttere quàm plúrimos, quos licèt ætáte, óbitu, singulísque vitæ gestis non indubitánter nobis notos, pari tamen nostrûm curâ, páribus in nos benefíciis, iisdémque virtútibus in unam

beatitúdinem

beatitúdinem colléctos, in unam útique décuit festivitátem cólligi. Quos inter sanctitátis nómine clarissimos imprímis cogitáte per sǽcula, religiósum Amónis successórem Alcham, qui omni virtútum génere insígnis, verbo & exémplo oves sibi créditas ad unum Christi ovíle sollícitè perdúxit pastor óptimus: Celsínum mirábilem, qui divinárum ornaménto gratiárum exaltátus in terris, copióso óperum mérito coronátus est in cœlis: Ursínum laudábilem, qui nóminis sui fortitúdinem contra vítia imitátus, amícam in móribus mansuetúdinem est secútus: venerábilem Albínum, qui inter cǽtera pietátis insígnia, Ecclésiam quam prædecéssor suus cœperat sanctus Aper, ságaci stúdio peraedificávit, ibíque fidéles viros ad exémplum Apostolórum efformándos aggregávit. Quid plura? Longum esset ire per síngulos. Dicénti occúrrunt Antimúndus, Endulus, Arnúlphus ... omnes viri sanctitatis nómine venerándi, quorum, Deus qui novit luculénter ópera, abundánter corónat & mérita.

℞. Beati servi illi, quos cùm vénerit Dominus, invénerit vigilántes: * Præcínget se, & fáciet illos discúmbere, & tránsiens ministrábit illis. ℣. Accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini. * Præcínget. *Luc.* 12. 37. *Sap.* 5. 17.

Lectio v.

His & áliis perplúrimis Pastóribus adolévit Ecclésia nostra, pusíllus grex imprímis; quæ felícibus evécta pennis crevit in iménsum & locupletíssimâ in dies accessióne propagáta, ad diffúsos undequàque fines sanctórum suórum Præsulum laudes cóncinit. Quantam étenim, non dicam oratiónis, sed admiratiónis matériam súggerunt? Si vitam illórum inquíritis, quid laudabílius? Hómines mundi illécebris & negotiórum anfráctu expedíti, toti hæréntes orígini suæ Deo, quibus cibus, jejúnium erat; paupértas, opuléntia; cruciátus, delíciæ; hoc unum habéntes in votis, ut Ecclésiam nostram cœli plantam, jam læto gemmárum partu turgéntem, & se per duméta hilárius efferéntem excólerent, exercitatióne contínuâ, fructu copióso, ostentatióne nullâ. Si labóres prosequímini, quid generósius? Fluéntem in se totíus vastæ Diœcésis molem excepérunt, excéptam fortíssimè sustinuérunt, sustentátam cum laude gestárunt: docuérunt rectè, pugnárunt ácriter, potentíssimè convicérunt: ecquid non póterat in eis illa, quæ numquam feriári solet, cháritas? Si glóriam dénique contemplámi-

ni, quæ gratiárum amplitúdinem est consecúta; quid mirabílius? Totos in Deum vidébitis amóris similitúdine transfúsos; tum in hoc beatitúdinis domicílio fidos nostræ salútis propugnatóres, áuspices felicitátis, altóres, pœdagógos; & ut summátim dicam, amóre germános, exémplo duces, subsídio patrónos, auctoritáte Patres.

℟. Qui docti fúerint, * Fulgébunt quasi splendor firmaménti: & qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. ℣. Quàm speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! * Fulgebunt. *Dan.* 12. 3. *Rom.* 10. 15.

Lectio vj.

FElíces nos, fratres charíssimi! habémus ad manum, quæ proponámus hæc magnificentíssima rerũ spectácula. In promptu sunt quos laudémus, & qui nobis laudatiónis præmium reddant cum fœnore. Et vos, Duces fortíssimi dum vixístis, nunc postquam à nobis excessístis tutóres fidelíssimi, ætérna, quæ devótè ampléctimur, & in quibus, quasi adhuc vívitis, charitátis vestræ monuménta consecrástis. Vobis tot sunt túmuli, quot in nostris pártibus aræ; tot laudes, quot ora fidélium; tot triúmphi, quot virtútum ópera. Stat, & quidem stabit ipsa trophæórum vestrórum moles, hæc nostra Ecclésia, vestris labóribus felíciter exaráta, sudóribus vestris tóties irrigáta, vestris minùs páſſibus quàm victóriis assíduè perlustráta. Pérgite: huic vastæ Diœcési, in qua vosmetípsos exercuístis sæpiùs, certástis alácriùs, versáti estis utíliùs, huic, inquam, quam vestram adhuc jure dixérimus, bene precámini salútem: pacem quam novístis, quam pleno fonte bíbitis, impertíte: nec enim vos mortis necessitáte putábimus distentos, è quibus omnes nos vitam háusimus.

℟. Pópulus tuus est, Dómine, & hæréditas tua: * Sit Dóminus Deus noster nobíscum, sicut fuit cum Pátribus nostris, non derelínquens nos: sed † Inclínet corda nostra, ut custodiámus quæcúmque mandávit Pátribus nostris. ℣. Deus plebis Israel elégit Patres nostros, & plebem exaltávit. * Sit. Glória. † Inclínet. 3. *Reg.* 8. 51. 57. 58. *Act.* 13. 17.

IN III. NOCTURNO.

Quantùm in Christo nos desideraverint.

Ant. t. 6. F. Non nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum. 2. *Cor.* 4. 5.

In Psalm. 84. Benedixísti, Dómine, terram, *pag.* 78.

Ant. t. 7. a. Facti sumus párvuli in médio vestrùm,

tamquam si nutrix fóveat fílios suos. 1. *Thess.* 2. 7.

In Psalm. 95. Cantáte Dómino... cantáte, *pag.* 124.

Ant. t. 8. *c.* Semper tríumphat nos Deus in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ maniféstat per nos. 2. *Cor.* 2. 14.

In Psalm. 98. Dóminus regnávit, irascántur, *pag.* 81.

℣. Benedíximus vobis ℟. De domo Dómini. *Ps.* 117. 26.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 11.

IN illo témpore; Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi, Abbátis.

Lib. 4. *de considerat. Cap.* 2. *n.* 3. & 4.

FUérunt qui se totos óvibus pascéndis expónerent, Pastóris ópere & nómine gloriántes, nihil sibi reputántes indígnum, nisi quod salúti óvium obviáre putárent, non quæréntes quæ sua sunt, sed impendéntes. Impendére curam, impendére substántiam, impendére & seípsos. Unde unus illórum: Et ego, ait, superimpéndar pro animábus vestris. Et tamquam dícerent: Non vénimus ministrári, sed ministráre; ponébant, quóties oportuísset, sine sumptu Evangélium. Unus erat de súbditis quæstus, una pompa, únaque volúptas, si quo modo eos possent paráre Dómino plebem perféctam. Id omnímodis satagébant, étiam in multa contritióne cordis & córporis, in labóre & ærúmna, in fame & siti, in frígore & nuditáte. Ubi nunc consuetúdo hæc? Súbiit dissímilis valdè: longè in áliud mutáta sunt stúdia.

℟. Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, & dispensatóres mysteriórum Dei. * Hîc jam quæritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur. ℣. Multi hómines misericórdes vocántur; virum autem fidélem quis invéniet? * Hîc jam. 1. *Cor.* 4. 1. 2. *Prov.* 20. 6.

Lectio viij. in Festo Ss. Apost. Serm. 1. *n.* 2. & 3.

TAles decébat humáno géneri Pastóres & Doctóres constítui, qui & dulces essent, & poténtes, & nihilóminus sapiéntes. Dulces, ut me blandè & misericórditer suscíperent; poténtes, ut fórtiter protégerent; sapiéntes, ut ad vitam & per viam dúcerent quæ ducit ad civitátem... Hi sunt magístri nostri, qui à Magístro ómnium vias vitæ pléniùs didicérunt, & docent nos usque in hodiérnum diem. Quid ergo docuérunt nos, vel docent nos?... Non Platónem légere; non Aristótelis versútias inversáre; non

semper díscere, & numquam ad veritátis sciéntiam perveníre. Docuérunt me vívere. Putas, parva res est scire vívere? Magnum áliquid, immò máximum est.

℟. Desiderántes vos, cúpidè * Volebámus trádere vobis non solùm Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras: quóniam charíssimi nobis facti estis. ℣. Fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio. * Volebámus. 1. *Thess.* 2. 8. *Cant.* 8. 6.

Lectio ix.

De Ss. Apost. Serm. 3. *n.* 1. *&* 5.

HI sunt viri misericórdiæ, quorum justítiæ obliviónem non accepérunt: cum sémine eórum pérmanent bona. Sunt enim hi planè viri misericórdiæ, sive quia misericórdiam consecúti, sive quia misericórdiâ pleni, sive quia misericórditer à Deo nobis donáti sunt... Scimus enim quòd viri isti nec sibi vixére, nec sibi mórtui sunt; sed ei qui pro ipsis mórtuus est; magis autem nobis ómnibus propter illum. Pro nobis facit eórum vita, eórum doctrína, étiam & mors ipsa. Quantùm usque hódie conférre non cessant misericórdiâ pleni, quod est sanctárum fructus orationum!... Et quis enúmeret quàm multa nobis per eos benefícia provenérunt? Bene ergo de eis Scriptúra lóquitur, quóniam Hi sunt viri misericórdiæ.

℟. Scitis quáliter unumquémque vestrûm (sicut pater fílios suos) testificáti sumùs, ut ambularétis dignè Deo, * Qui vocávit vos in suum regnum & glóriam. ℣. Audíte ergo, fílii; Servíte Dómino in veritáte, & inquírite ut faciátis quæ plácita sunt illi: * Qui. Glória. * Qui. 1. *Thess.* 2. 11. 12. *Tob.* 14. 10.

Te Deum.

AD LAUDES.

Qualis fuerit apud nos Patrum nostrorum conversatio.

℣. *Sacerdot.* Benedícite, Sacerdótes Dómini, Dómino: ℟. Laudáte, & superexaltáte eum in sæcula. *Dan.* 3. 84.

Psalmi de Dominica.

Ant. 1. *E.* DEus idóneos nos fecit minístros novi Testaménti: non lítterâ sed spíritu. 2. *Cor.* 3. 6.

Ant. 2. 1. *D.* Christum nos annuntiámus, corripiéntes & docéntes in omni sapiéntia, ut exhibeámus hóminē perféctum in Christo Jesu. *Col.* 1. 28.

Ant. 3. 7. *D.* Non dominámur fídei vestræ, sed adjutóres sumus gáudii vestri. 2. *Cor.* 1. 23.

Ant. 4. 5. *f.* Prædíximus.

CANTICUM.

Is. 61. 6. *ad* 10.

VOs Sacerdótes Dómini vocabímini: * Minístri Dei nostri, dicétur vobis;

Fortitúdinem Géntium comedétis, * & in glória eárum superbiétis.

In terra sua duplícia possidébunt, * lætítia sempitérna erit eis.

Quia ego Dóminus díligens judícium, * & ódio habens rapínam in holocáusto.

Et dabo opus eórum in veritáte, * & fœdus perpétuum fériam eis.

Et scient in Géntibus semen eórum, * & germen eórum in médio populórum.

Omnes qui víderint eos, cognóscent illos; * quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus.

Glória Patri.

Ant. Prædíximus vobis, quòd in córdibus nostris estis, ad commoriéndum, & ad convivéndum. 2. *Cor.* 7. 3.

Ant. t. 6. *F.* Cognovístis nos quòd glória vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. 2. *Cor.* 1. 14.

Capitulum. 1. *Thess.* 2. 9. 10.

MEmores estis, fratres, labóris nostri & fatigatiónis; nocte ac die operántes prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta ejus intellexérunt. *Ps.* 63. 10.

Ad Bened. *Ant.* t. 7. *a.* Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis, & non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversati sumus in hoc mundo; abundántiùs autem ad vos. 2. *Cor.* 1. 12.

Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui per Evangélicos labóres Pontífices nostros, in fide nobis Patres, ad immortálem glóriam evexísti: da córdibus nostris dignam pro eórum commemoratióne lætítiam; ut quos pio amóre ampléctimur, eórum précibus adjuvémur; Per, &c.

Ad Horas br. *Hymni, & Psalmi de Dominica, Antiph. de Laudibus.*

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Thess.* 4. 1.

FRatres, Rogámus vos & obsecrámus in Dómino Jesu; ut quemádmodum accepístis à nobis, quómodo opórteat vos ambuláre, & placére Deo, sic & ambulétis, ut abundétis magis.

℟. Quanta Dóminus mandávit Pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis; ut cognóscat generátio áltera: * Ut ponant in Deo spem suam, & † Non obliviscántur óperum Dei; & mandáta ejus exquírant. ℣. Ipsi cùm essent Prophétæ, verbo plúrimo fratres confirmavérunt, docéntes & evangelizántes; * Ut ponant. Glória. † Non obliviscántur. *Ps.* 77. 5. 6. 7. *Act.* 15. 32. 35.

℣. Quanta audívimus & cognóvimus ea! ℟. Patres nos-

tri narravérunt nobis, allelúia. Ps. 77. 3.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Thess.* 2. 10.

Vos testes estis, fratres, & Deus, quàm sanctè, & justè, & sine queréla, vobis, qui credidístis, fúimus.

℟. Congregáte illi Sanctos ejus, * Allelúia, allelúia, Congregáte. ℣. Qui órdinant testaméntum ejus super sacrifícia. * Allelúia, allelúia, Glória. Congregáte. Ps. 49. 5.

℣. In te speravérunt Patres nostri, Dómine; ℟. In te speravérunt, & non sunt confúsi, allelúia. Ps. 21. 5. 6.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Thess.* 2. 19. 20.

Quæ est nostra spes, aut gáudium, aut coróna glóriæ? Nonne vos ante Dóminum nostrum Jesum Christum estis in advéntu ejus? Vos enim estis glória nostra & gáudium.

℟. *br.* In nómine tuo, Dómine, exultábunt totâ die, * Allelúia, allelúia. In nómine. ℣. Quóniam glória virtútis eórum tu es. * Allelúia, allelúia. Glória. In nómine. Ps. 88. 17. 18.

℣. Plantáti in domo Dómini, ℟. In átriis domûs Dei nostri florébunt, allelúia. Ps. 91. 14.

AD II. VESPERAS.

Patrum vestigia, vos qui filii estis, sequimini.

Psalmi de Dominica; & loco ultimi dicitur: Laudate Dóminum, omnes, *pag.* 91.

Ant. 1. *irr.* Filii, æmulatóres estóte Patrum vestrórum; & memeentóte óperum quæ fecérunt in generatiónibus suis: & accipiétis glóriam magnam. 1. *Mach.* 2. 50. 51.

Ant. 2. 5. *f.* Germen eórum in médio populórum; quia isti sunt semen, cui benedíxit Dóminus. *Is.* 61. 9.

Ant. 3. 6. *F.* Cum sémine eórum pérmanent bona, hæréditas sancta nepótes eórum. *Eccli.* 44. 11. 12.

Ant. 4. 7. *a.* Ab uno orti sunt, (& hoc emórtuo) tamquam sídera cœli in multitúdinem & sicut aréna innumerábilis. *Hebr.* 11. 12.

Ant. 5. 8. C. Juxta fidem defúncti sunt omnes isti: ídeò Deus parávit illis civitátem. *Hebr.* 11. 13. 16.

Capitulum. Hebr. 13. 7.

Mementóte Præpositórũ vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem.

HYMNUS.

Vos, ô Pontífices, præsídium gregis,
Nostri tangit amor, sollícitos tenet;
Olim quæ cor adússit,
Urget nunc quoque cháritas.
Christi frugífero vínea pálmite,
Vestris crescit adhuc culta

labóribus;
Cœlo sémina surgunt,
Vobis nata satóribus.
Vobis una fuit cura, salus gregis;
Vobis una quies, contínuus labor;
Vobis vívere, Christus;
Vobis grande lucrum mori.
In vos turpis opum nil pótuit fames;
Thesáurus pótior péctora móverat;
Æris pródiga dextra
Sparsit quæ méteret polo.
Quâ duxére tuum Pontífices gregem,
Quâ nos, Christe, præis, cúrrere fac viam:
Duc, ne lóngiùs errent;
Serva, ne péreant oves.
Laus, qui Pontífices constítuit, Patri;
Pastórum Cápiti laus quoque Fílio;
Qui pinguédine mentes
Ungis, laus tibi, Spíritus. Amen.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam: ℟. Et Sancti tui exúltent. *Ps.* 131. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 8. *c.* Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. *Eccli.* 44. 14.

Oratio ut suprà in Laud.

DIE X.

SS. TRYPHONIS ET RESPICII, Martyrum.

Simplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio. Exáudi, Dómine, *pag.* xvij.

Lectio iij.

Ex eorum Actis apud Ruinart.

Trypho & Respícius, sub Décio Imperatóre, sciéntiæ divínæ cultúrâ & omni virtútum mérito præclári, Christiánæ religiónis accusáti, ab Aquilíno Oriéntis Præfécto in cárcerem missi sunt; unde paucos post dies prodúcti, & cum omni fidúcia Christum conféssi, carnifícibus torquéndi tradúntur. At illi, depósitis vestiméntis, ultrò se quæstionariis offeréntes, & per trium ferè horárum spátium dirè cruciáti, íterum detrudúntur in cárcerem, ingéntibus pœnis, nisi diis ímmolent, reserváti. Interim ad álias civitátes proféctus Præféctus, & post áliquot dies Nicæam urbem suam revérsus, sibi Sanctos Dei addúci jussit: quibus ait: Deliberástis apud vos per tanti témporis spátium, quemádmodum horrífica vérbera evadátis? Audíte me, filii, & sacrificáte diis. At illi: Nihil à nobis primum quæras, nihil extrémum requíras, nisi quæ à nobis in primis audísti, quia fidem nostram nemo subvértere potest. Hinc excandéscens Aquilínus, váriis eos jubet probári torméntis. Clavis pedes eórum configúntur, & per médium civitátis in hyemis asperitáte trahúntur; nudi cædúntur,

ligátis post tergum mánibus; úngulæ & lámpades eórum latéribus applicántur. Póstera demum die, cùm Sanctis Dei non prævaléret varíetas tormentórum, Præféctus senténtiam hanc prótulit: Púeros hos génere Phrygios, Christiános, Imperatórum jussis obedíre noléntes, decollári jubémus. Elevántes autem vocem suam Thryphon & Respícius, dixérunt: Dómine Jesu, súscipe ánimas nostras, & cólloca eas in sinu Patriarchárum: & hæc dicéntes víctimæ Christi cervíces gladiatóri ultrónei præbuérunt, sicque mucróne juguláti, beatíssimas Creatóri reddidérūt ánimas.

DIE XI.

S. MARTINI, TURONENSIS Episcopi.

Dupl. 2. Clas.

Omnia de Communi unius Pontificis, exceptis quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Capitulum. Is. 58. 7. 8.

Cum víderis nudum, óperi eum, & carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi manè lumen tuum, & sánitas tua cítiùs oriétur, & anteíbit fáciem tuam justítia tua, & glória Dómini cólliget te.

℟. *ut in Comm. Pontificum.*

HYMNUS

Ex Sant. Vict.

Ecquis ardéntes rápitur per auras?
Iste quis pauper petit astra dives?
Cœlites plaudunt: comitémur hymnis
Astra peténtem.

Flore sub primo juvenílis ævi,
Cæsarum jussu tulit arma miles;
Moxque depónet: tibi, Christe, nomen
Tyro proféssus.

Non furor belli bene Christiánum
Pectus infrégit; pius inter arma
Integros servat, semel obligáto
Nómine, mores.

Páuperi pauper malè membra nudo
Dívidit vestem, mediâque Christus
Obtulit sese túnicâ micántem
Nocte sequénti.

Fonte lustrátur; melióre testes
Se sacraménto vovet inter aras:
Induit Christum, simul ac profána
Exuit arma.

Hinc capit vires; velit Imperátor,
Solus advérsos penetrábit hostes
Una Crux Christi, velut umbo, tela
Omnia contra.

Ut novus miles nova bella tentat,
Sævit in sese, sibi factus hostis;

Unde majóres sibi pollicétur
Ferre triúmphos.
Lúminis splendor, Patris una proles,
Christe, te pronus venerétur orbis,
Qui Sacerdótes per Amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

℣. Beátus qui intélligit super egénum & páuperem : ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Ps.* 40. 2.

Ad Mag. Ant. t. 1.*d.* Nonne Deus consíderat vias meas? Si ambulávi in vanitáte, si despéxi pereúntem, eò quòd non habúerit induméntum, & absque operiménto páuperem? *Job.* 31. 4. 5. 19.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Sulpit. Sev. & Greg. Tur.

MArtínus, Sabáriæ in Pannónia, patre Tribúno mílitum natus, Papíæ verò in Itália educátus, anno ætátis décimo, invítis paréntibus ad Ecclésiã confúgiens, inter catechúmenos nomen dedit. Ascríptus milítiæ ex Imperatórum edícto, quo veteranórum fílii sua nómina profitéri cogebántur, sub Constántio stipéndia méruit. Ambiánis ad portam urbis, páuperi nudo eleemósynam peténti, cùm nihil habéret præter arma & vestiméntum, partem chlámydis dedit. Cui sequénti nocte Christus dimidiátâ illâ veste indútus appáruit, hanc mittens vocem: Martínus catechúmenus hâc me veste contéxit. Decem & octo annos natus, baptizátus est; ac relíctâ milítiâ, ad sanctum Hilárium Pictaviénsem se cóntulit, à quo Exorcista factus est, cùm priùs Diáconi Ordinem præ humilitáte recusásset: nec multò post ad suos revérsus, matrem ad Christum convértit. Ab Epíscopis Ariánis, quòd eorum perfídiam prudéntiâ suâ frángeret, públicè virgis cæsus, Illyrico pulsus est. Eâdem de causâ Mediolâno, ubi Monastérium sibi constrúxerat, per Auxéntium ejéctus, sedem in Pictónibus fixit; ibíque sub Hilário tum Mónachis apud Lococíacũ congregatis præfuit, tum prædicatiónis lumen, per omnem vicíniam spárgere cœpit.

Lectio v.

TUronénsis, pópulo cogénte, ordinátus Epíscopus, secúndo ab urbe lápide Monastérium cóndidit, in quo discípulos octogínta, nihil própriũ habéntes congregávit, ex quibus plures póstea facti sunt Epíscopi. Idolórum fana dejécit, & lucos succídit, non véritus aliquándo vitæ adíre discrímen, ut eórum cultum pénitùs aboléret. Ad comitá-

tum ob máxima negótia ire coáctus, a Valentiniáno repúlsam passus est; qui tamen séptimo post die, redeúnti Martíno, è sólio divínitus excússus, assurréxit, ejúsque postulátis ánnuit. Ithácium Epíscopum ácriter reprehéndit, quòd contra leges Ecclesiásticas Priscilliánum in causa cápitis insectarétur. Cum injuriárum ipse esset patientíssimus, adeò ut impunè vel ab ínfimis Cléricis læderétur, ac plerúmque sibi obtrectántium peccáta defléret, Episcopále tamen munus summâ cum dignitáte gessit, débitum Sacerdótio honórem morum sanctitáte & agéndi ratióne víndicans. Tréviris, quò proféctus fúerat, ut apud Máximum grávibus de causis ágeret, ab Imperatóre vocátus ad convívium, páteram Presbytero priùs porréxit quam Imperatóri, à quo honóris grátiâ ut prior bíberet, accéperat. Innúmeris cláruit miráculis. Apud Tréviros, paralyticam penè exánimem óleo à se benedícto sanávit; próprii córporis óbice flammas aliquándo represſit: tres mórtuos suscitávit.

Lectio vj.

Annis demum gravis, dum Condaténsis vici Ecclésiam in sua Diœcési visitáret, víribus deféctum se séntiens, mortem sibi imminére discípulis indicávit. Ingravescénte febre, in cínere & cilício decúmbens, nec vile quidem stramen sibi subjíci passus, assíduâ Deum oratióne precabátur, ut se ex illo mortali cárcere liberáret. Tum mœror & luctus ómnium, una vox plangéntium: Cur nos, Pater, déseris? Aut cui nos desolátos relínquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. Quibus ille motus flétibus, conversúsque ad Dóminum, hac fléntibus voce respóndit: Dómine, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem; fiat volúntas tua. Et cùm à Presbyteris, qui ad eum convenerant, rogarétur ut convérso córpore tantísper, dum remítteret morbi vis, pronus conquiésceret, ait: Sínite me cœlum pótiùs quàm terram aspícere, ut suo jam itínere itúrus ad Dóminum spíritus dirigátur. Instánte jam morte, viso humáni géneris hoste, Quid hìc astas, inquit, cruénta béstia? Nihil in me, funéste, repéries. Eâ in voce unum & octogínta annos natus, ánimam Deo réddidit, anno Christi trecentésimo nonagésimo séptimo.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. v. 33.

In illo témpore; Dixit Jesus turbis: Nemo lucérnam accéndit, & in abscóndito ponit, neque sub mé-

dio; sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi, Abbátis.

In Festo sancti Martini, n. 12. 13. & 14.

MArtínus lucérna erat ardens & lucens: eum saltem non pígeat imitári; sed imitári in eo quod est imitábile, non autem quod mirábile exhibétur. Ad mensam dívitis sedes hódie: diligénter consídera quæ tibi apponúntur: quænam vidélicet ad admiratiónem, quæ verò ad imitatiónem. Húmilis fuit & spíritu pauper iste Martínus, sicut evidentíssimè probat effectus ipse divínæ grátiæ, quam profectò Deus tam multam nisi multùm húmili non dedísset. Tantam advérsùs omnes injúrias patiéntiam assúmpserat, ut cùm esset summus Sacérdos, impúnè étiam ab ínfimis Cléricis læderétur. Ad cœlum lácrymæ ejus à maxílla ascéndere consuéverant, quibus sic abundábat, ut soléret pro illórum quoque, qui obtrectatóres sibi videbántur, flere peccátis.

Lectio viij. n. 15. & 16.

SAnè quantùm justítiam esuríerit, tum in cæteris ejus áctibus, tum speciáliter in idololatríæ persecutióne probátum est, in templórum destructióne, in statuárum dejectióne, in succisióne lucórum. Ubi se quoque aliquándo non est véritus dare discrímini, ut occásio tanti críminis de médio tollerétur. Nam misericórdem eum in páupere se expértum Salvátor ipse apud Angelos gloriabátur datam sibi medietátẽ vestis osténtans. Porrò mundítiã cordis ejus illud vel máximè índicat, quòd non est confúsus inimíco loquens in porta; Nihil in me, funéste, repéries; Abrahæ me sinus recípiet. Cæterùm persecutiónes quas sustínuit propter justítiam, longum est numeráre; pro quibus ómnibus dúbium non est multiplíciter coronári eum, qui quidem etsi non semel effectu consummátæ passiónis, sed tóties Martyr fuit affectu devotíssimæ voluntátis. *Lectio ix.*

DOmine, inquit, si adhuc pópulo tuo sum necessárius, non recúso labórem; fiat volúntas tua. O verè sanctíssimam ánimam! O inæstimábilem charitátem! O obediéntiam singulárem! Bonum certámen certásti, fidem servásti; de réliquo súperest tibi coróna justítiæ, quam reddet tibi Dóminus hódie justus judex; & adhuc dicis: Non recúso labórem, fiat volúntas tua. Obtulísti planè Isaac; únicum illum quem díligis, quod in te est, jugulásti. Immolásti singuláre gáudium tuum piâ devotióne, parátus redíre ite-

Die xiii.

S. BRICII,

Turonensis Episc.

Simplex.

De Communi unius Pontificis.

Oratio. Omnípotens, *p.* xxiv.

Ex Históriâ Ecclesiástica Francórum sancti Gregórii Turonénsis Epíscopi.

Lectio iij. Lib. 2. *Cap.* 1. *& Lib.* 10. *Cap.* 31.

Bríccius, civis Turónicus, cùm esset primævæ ætátis júvenis, sancto Martíno multas tendébat insídias. Quâdam autem die Bríccium Diáconum vir beátus allóquitur: En ego, Briccì, delírus tibi vídeor? Amen dico tibi quia obtínui apud Deum, ut post meum tránsitum ad Pontificátûs honórem accédas; sed nóveris te in Episcopátu multa advérsa passúrum. Adéptus ergo, consentiéntibus cívibus, anno Arcádii & Honórii secúndo, Pontificátûs officium, oratióni vacábat. Anno autem Ordinatiónis ejus trigésimo tértio óritur contra eum lamentábilis causa pro crímine, illo viríliter negánte. Illis verò non credéntibus, sed contradicéntibus, tráhitur, calumniátur, ejícitur, ut sermo Sancti adimplerétur. Hoc enim ejécto Justiniánum in Episcopátu constítuunt. At Bríccius Epíscopus Romam véniens, cuncta quæ pertúlerat Papæ refert: ibíque plerùmque Missárum solémnia célebrans, quidquid in sanctum Martínum delíquerat, defléndo díluit. Séptimo ígitur anno, immúnis invéntus à crímine, ad urbem suam redíre jussus est; fuerúntque omnes anni Episcopátûs ejus quadragínta septem; obiítque, & sepúltus est in Basílica quam super sanctum Martínum ædificávit.

Die xiv.

S. THEODORI,

Martyris.

Simplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio. Deus, qui beátum, *pag.* xj.

Ex Oratióne sancti Gregórii Nysséni in magnum Mártyrem Theodórum.

Lectio iij.

Cum duces mílitum hîc in Hibérnis cópias collocássent, Theodórus cum ea legióne, in quam ascríptus erat, ad nostram regiónem transívit. Bello autem contra Deum moto, Præses & Tribúnus servum crucifíxi ad judícium sistunt; Ac, dic, ínquiunt, cur non adóras, sicut placet Imperatóribus? Maximiánus enim cum consórte tunc impériũ tenébat. Tunc ille: Deos quidem néscio: mihi verò Deus est Christus Dei Unigénitus: pro cõfessióne istíus, qui vúlnerat, incídat; & qui vérberat, láceret; & qui cremat, flammam admóveat; & qui his vócibus meis offénditur, linguam éximat; per síngula

enim membra corpus Creatóri patiéntiam debet. Exíguum, inquiunt, insanienti tempus concedátur. Matri deûm templum erat in Metrópoli Amásea: hoc ille incéndit in tempore datæ sibi securitátis. Tum magistrátus impiíssimum adversùs deos eum vocántes, & in Imperatóres contumeliósum, primùm quidem in ligno suspénsum lacerábant. Is verò tormentis accinébat: Benedícam Dóminum in omni tempore. Hoc modo punítum carcer excépit, ubi noctu vox psalléntium audiebátur, & facum splendor ab iis qui foris erant, conspiciebátur. Demum igne consummári jussus, beáto itínere ábiit ad Deum.

DIE XVII.

S. GREGORII,

THAUMATURGI EPISCOPI.

Semiduplex.

De Commmuni unius Pontificis. Oratio. Exáudi, *pag.* xxiv. *Comm. S. Aniani, Episcopi, per Antiphonam ad* Benedíctus, *&* ℣. *de Laudibus. Oratio.* Omnípotens, *p.* xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Ex Libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Cap.* 65.

Lectio iv.

THeodórus, qui póstea Gregórius appellátus est, Neocæsaréæ Ponti Epíscopus, ádmodùm adoléscens ob stúdia Græcárum & Latinárum litterárum, de Cappadócia Bérytum, & inde Cæsaréam Palæstínæ tránsiit, juncto sibi fratre Athenodóro. Quorum cùm egrégiam índolem vidísset Orígenes, hortátus est ad Philosóphiam; in qua paulátim Christi fidem subintrodúcens, sui quoque sectatóres réddidit. Quinquénnio ítaque erudíti ab eo, remittúntur ad matrem, è quibus Theodórus proficíscens panégyrim eucharísticam scripsit Orígeni: & convocátâ grandi frequéntiâ, ipso quoque Orígene præsénte recitávit; quæ usque hódie extat.

Ex libro sancti Basilii magni, de Spíritu sancto. *Cap.* 29. *n.* 74.

Lectio v.

GRegórium magnum, & illius voces quo loco ponam? Annon cum Apóstolis & Prophétis? Virum qui eódem Spíritu, quo illi, versátus sit, quique Sanctórum vestígiis per omnem vitam inhæserit, quique Evangélicæ conversatiónis vigórem, quámdiu vixit, præstíterit. Equidem illud díxerim, profectò injúriâ affecérimus veritátẽ, si non ánimã illam annumerémus iis qui Deo juncti sunt; qui velut insígnis mágnaque lucérna in Ecclésia Dei resplénduit; qui è Spíritûs ope treméndam hábuit advérsùs dæmones potestátem. Nam tantam accéperat grátiam ad ob-

diéntiam fidei inter gentes, ut assúmptis non plus septémdecim Christiánis, univérsum pópulum & urbánũ & rusticánum per agnitiónem adjúnxerit Deo. Ille & flúminum cursus in divérsum vertit, præcípiens illis in magno nómine Christi; & palúdem exsiccávit, belli causam præbéntem frátribus aváris. Cæterùm prædictiónes de futúris ejúsmodi sunt, ut níhilò sit inférior cæteris Prophétis. Sed omnínò perlóngum fúerit viri percensére mirácula, qui propter donórum excelléntiam, quæ in ipso operabátur Spíritus in omni virtúte, signis ac prodígiis, ab ipsis étiam veritátis hóstibus, alter Moses appellátus fuit.

Ex Commentário venerábilis Bedæ Presbyteri, in Marcum. *Lib.* 3. *Cap.* 11.

Lectio vj.

Legimus factum précibus beati Patris Gregorii Neocesaréæ Ponti Antístitis, viri méritis & virtútibus eximii; ut mons in terra tantùm loco céderet, quantùm incolæ civitátis opus habébant. Cùm enim volens ædificáre Ecclésiam in loco apto, vidéret eum angustiórem esse quàm res exigébat, eò quòd ex una parte rupe maris, ex ália monte próximo coarctarétur; venit nocte ad locum; & génibus flexis admonuit Dóminum promissiónis suæ, ut montem longiùs juxta fidem peténtis ageret. Et manè facto, revérsus invénit montem tantùm spátii reliquísse structóribus Ecclésiæ, quantùm opus habúerant.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Marcum.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 22.

In illo témpore; Jesus ait discípulis suis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti: Tóllere, & míttere in mare; & non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúmque díxerit, fiat, fiet ei. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 57. *aliàs* 58. *in Matth. Num.* 3.

Si díxeris: Ubinam montes transtulérunt? Dicam illos multò majóra fecísse, cùm mille mórtuos suscitárint. Neque paris potestátis est mortem transférre ac mortem à córpore péllere. Narrant post illos, Sanctos quosdam illis minores, montes, necessitáte postulánte, transtulísse. Unde líqueat illos quoque translatúros fuísse, si id necéssitas postulásset. *Lectio viij.*

Si autem numquam necésse fúerit, ne árguas illos. Alióquin autem non dixit ipse: Omnínò transferétis, sed id potéritis. Si porrò non transtulérunt, non quòd non possent: quomodo enim qui majóra possent? sed

sed quod noluérint absque necessitáte. Pótuit étiam id accidísse, etsi scriptum non fúerit : neque enim ómnia, quæ illi edidérunt mirácula, scripta sunt. * Tunc porrò multò imperfectióres erant. Quid ígitur ? An nondum tantam fidem habébant? Non útique habébant, neque iídem semper fuére; quandóquidem Petrus, nunc beátus prædicátur, nunc increpátur; réliqui verò quasi insipiéntes arguúntur ab ipso, quòd parábolam de ferménto non intellexíssent. Cóntigit autem ut tunc discípuli imbecillitáte laborárent; sic enim ante crucem & passiónem fúerant.

Lectio ix. de S. Aniano.
Ex Sidon. Apoll. Gregor. Tur. Duchesn. & Surio.

ANiánus máximus consummatissimúsque Póntifex, dignus hábitus qui Germáno & Lupo compararétur, eximiæque non solùm sanctitátis, sed & prudéntiæ vir, eo témpore Ecclésiæ Aurelianénsi jam senex præerat, quo Attila Hunnórum rex Gállias devastábat. Imminébat Aureliánis præcípuè hæc tempéstas, immò pótiùs ira indignatiónis Dei, quam précibus suis differre decertábat Aniánus, ut pópulum ínterim ad pœniténtiam revocáret. Nec negléxit Arelátem usque ad Aétium pérgere, qui rebus Románis Valentiniáni nómine tunc præerat, ut festínum urbi periclitánti auxílium impetráret. Jamque áderat Attila, totâque vi Aureliános impugnábat. Cùmque inclúsi pópuli suo Pontífici quid ágerent acclamárent, ille fisus in Deo, monet omnes in oratiónem prostérni. Factum id íterum & tértiò, ardentióri semper desidério atque uberióri fletu, donec de muro juxta senis impérium aspiciéntes, vidérunt à longè quasi nébulam de terra consúrgere. Quod ut renuntiavérunt, ait Sacérdos : Dómini auxílium est. Interim tamen non oppugnabátur modò cívitas, sed & expugnabátur; jamque ingréssi Hunnórũ próceres nihil nisi de victæ plebis spóliis cogitabant, cùm ecce mixti Románi Gothíque inexpectáti superveniunt, imparatósque fácilè fugant. Fertur biénnio post Aniánus, bonis opéribus plenus, obdormísse in Dómino, anno scílicet quadringentésimo quinquagésimo tértio.

In Laudib. Commemorat. S. Aniani per Antiph. & ℣. de 1. Vesperis unius Pontificis.

DIE XIX.

S. ELIZABETH, VIDUÆ.

Simplex.

De Comm. unius S. Viduæ.

Oratio.

TUórum corda fidélium, Deus, miserator illústra; & beátæ Elízabeth précibus gloriósis, fac nos próspera

mundi despícere, & cœlésti semper consolatióne gaudére; Per, &c.

Lectio iij.

Ex ejus vita apud Sur.

ELízabeth Andréæ Hungarórum Regis fília, Ludovíco Hermánni, Toríngiæ Lantgrávii fílio adhuc lactens despónsáta est, & tandem ab eo, cùm núbilis facta esset, solémniter ducta. Tantos verò in pietáte Christiána progréssus jam ántea fécerat, ut nihil viro juncta de prístino fervóre remítteret, præcípuo charitátis afféctu paupéribus compátiens, quibus, absénte viro, in magna annónæ inópia omne ditiónis suæ fruméntum distríbuit: quorum étiam infirmitátibus cónsulens, nosocómium illis ad radícem montis, in cujus vértice situm erat palátium, extrúxit. Mórtuo viro, ab iis qui fratri ejus Henríco nondum ad regéndum idóneo à consíliis erant, contumeliósè hábita est, bonis spoliáta, & aulâ excédere coácta. Majóris autem paupertátis desidério flagrans, in quodam Fratrum Minórum sacéllo, die sancto Parascéves, pósitis super altáre nudum mánibus, solémni professióne, sæculi pompis, cognátis, ac sibi ipsi renuntiávit; facultátes autem quas Henrícus ipsi restitúerat, quasque jussu Pontíficis retinuit, páuperum necessitátibus sublevándis impéndens, victum lanifício cómparans, mirâ humilitáte ac patiéntia réliquum vitæ currículum egit, absolvítque anno millésimo ducentésimo trigésimo primo. Eam post triénnium Gregórius nonus Sanctis ascrípsit.

DIE XXI.

PRÆSENTATIO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Duplex 2. Class.

AD I. VESPERAS.

Virgo junior festinat ad Dominum.

Psalmi de Feria; & sic in toto Officio.

Ant. t. 8. c. CUm adhuc júnior essem, quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea. *Eccli.* 51. 18.

Ant. t. 3. a. Circuíbam, quærens, ut mihi illam assúmerem: & ádii Dóminum. *Sap.* 8. 18. 21.

Ant. t. 7. a. Ante templum postulábam pro illa, & usque in novíssimis inquíram eam. *Eccli.* 51. 19.

Ant. t. 4. E. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea; proptérea expectábo eum. *Thr.* 3. 24.

Ant. t. 2. D. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quæréntì illum. *Thr.* 3. 25.

Capitulum. Is. 56. 4. 5.

HÆc dicit Dóminus: Qui elégerint quæ ego vólui, & tenúerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum: nomen

sempitérnum dabo eis, quod non períbit.

℟. Dóminus regit me: dedúxit me super sémitas justítiæ: * Misericórdia tua, Dómine, subsequétur me ómnibus diébus vitæ meæ, ut inhábitem in domo Dómini. ℣. Grátias ago Deo, cui sérvio à progenitóribus in consciéntia pura. * Misericórdia. Glória. * Misericórdia. *Ps.* 22. 1. 3. 6. 2. *Tim.* 1. 3.

HYMNUS.

Quàm pulchrè gráditur filia Príncipis
Templi cùm próperat límina tángere!
Prælúdit melióri
Quam mox ófferet hóstiam.

E matris grémio, Núminis in sinum
Infans non dúbiis pássibus ádvolat:
Virgo Núminis ara,
Aris víctima sístitur.

Sponso membra Deo móllia dévovet;
Cordis virgínei dédicat íntima:
Verbo débita mater
Verbo víscera cónsecrat.

Tecum cuncta Deo pródiga dum voves,
Numen, Virgo, tui péctoris íncola,
Quanto fœnore pensat,
Terræ quæ bona déspicis!

Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Quo virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri Flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

℣. Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: ℟. Quóniam loquétur pacem in plebem suam. *Ps.* 84. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Dómine Deus, inveníssti cor ejus fidéle coram te: percussísti fœdus, & implésti verba tua, quóniam justus es. 2. *Esd.* 9. 7. 8.

Oratio ut infrà in Laudib.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Jesum Fílium Maríæ, * Veníte, adorémus. *Marc.* 6. 3.

IN I. NOCTURNO.

Irrequietum est cor Mariæ, donec requiescat in Domino.

Ant. t. 1. *a.* Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ut nuntiétis diléćto meo, quia amóre lángueo. *Cant.* 5. 8.

Ant. t. 2. *D.* Totus desiderábilis est diléctus meus, & ipse est amícus meus. *Cant.* 5. 16.

Ant. t. 3. *a.* Quis mihi det ut invéniam te? Apprehéndam te, & me docébis. *Cant.* 8. 1. 2.

℣. Unam pétii à Dómino, hanc requíram; ℟. Ut inhábitem in domo Dómini. *Ps.* 26. 4.

Lectiones de Script. occurr.

℟. 1. En diléctus meus lóquitur mihi: * Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, & veni.

℣. Qui me segregávit ex útero matris meæ, vocávit per grátiam suam. * Surge. *Cant.* 2. 10. *Galat.* 1. 15.

℟. 2. Surgam, & quæram quem díligit ánima mea: * Donec aspíret dies, vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris. ℣. Dicit mihi: Tempus propè est; ecce vénio citò. * Donec. *Cant.* 3. *v.* 2. *& C.* 4. *v.* 6. *Apoc.* 22. 10. 12.

℟. 3. Gaudens gaudébo in Dómino, & exultábit ánima mea in Deo meo; * Quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; * Quia. Glória. * Quia. *Is.* 61. 10. *Luc.* 1. 47.

IN II. NOCTURNO.

Ad templum vocatur à Domino, in æternum sponsanda.

Ant. 1. 3. *a.* Veni in hortum meum, soror mea sponsa, immaculáta mea. *Cant.* 5. 1. 2.

Ant. 1. 4. *a.* Sponsábo te mihi in sempitérnum: sponsábo te mihi in fide. *Osee.* 2. 19. 20.

Ant. 1. 5. *a.* Quia complácuit Dómino in te, gaudébit sponsus super sponsam, & gaudébit super te Deus tuus. *Is.* 62. 4. 5.

℣. Audívit, & lætáta est: ℟. Et exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 96. 8.

Sermo sancti Bernárdi, Abbátis.

Lectio iv. Hom. 3. *de Laud. B. V. M. super* Missus est. *n.* 3.

Mérito concupívit Rex decórem Vírginis. Fécerat enim quidquid longè ántea præmónita fúerat à patre suo David, dicénte sibi: Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam, & oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui: & si hoc féceris, concupíscet Rex decórem tuum. Audívit quippe & vidit... Audívit & crédidit; vidit & intelléxit; & inclinávit aurem suam ad obediéntiam, & cor suum ad disciplínam; & oblíta est pópulum suum, & domum patris sui; quia nec pópulum suum augére prolis successióne, nec dómui patris sui relínquere curávit hærédem; sed quidquid honóris in pópulo, quidquid de patérna domo rerum terrenárum habére potuísset, ómnia arbitráta est ut stércora, ut Christum lucrifáceret.

℟. Audi, fília, & inclína aurem tuam: * Oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui: & concupíscet Rex decórem tuum; quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum... * Oblivíscere. *Ps.* 44. 11. 12. *Luc.* 1. 30.

Lectio v. n. 7.

O Virgo prudens, ô Virgo devota, quis te dé-

cuit Deo placére virginitátem? Quæ lex, quæ justítia, quæ página véteris Testaménti vel præcipit, vel cónsulit, vel hortátur in carne non carnáliter vívere, & in terris Angélicam dúcere vitam? Ubi légeras, beáta Virgo; Sapiéntia carnis mors est, &, Curam carnis ne perfecéritis in desidério?.. Ubi audíeras, Volo vos omnes esse sicut meípsum? &, Bonum est hómini, si sic permáneat secúndùm meum consílium? De virgínibus, inquit, præcéptum non hábeo, consílium autem do. Tu verò non dicam præcéptum, sed nec consílium, nec exémplum: nisi quod únctio docébat te de ómnibus; ac sermo Dei vivus & éfficax, antè tibi factus magíster quàm fílius, priùs instrúxerit mentem, quàm indúerit carnem. Christo ergo dévoves te exhibére vírginem; & nescis quòd ipsi exhibéri te opórteat étiam matrem? Elígis in Israel esse contemptíbilis, & ut illi pláceas cui te probásti, maledíctum incúrrere sterilitátis; & ecce maledíctio benedictióne cõmutátur; sterílitas fœcunditáte recompensátur.

℟. Dicit Dóminus: Ego suscípiam te; * Amodo voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. ℣. Sicut dicit Deus: Ego recípiam vos: & ero vobis in Patrem; & vos éritis mihi in fílios & fílias. * Amodo. *Jerem.* 3. 1. 4. 2. *Cor.* 6. 16. 18.

Lectio vj. n. 8.

Ecce factúrus est tibi magna qui potens est; in tantùm ut pro maledictióne Israel, beátam te dicant omnes generatiónes. Nec suspéctam hábeas, prudens Virgo, fœcunditátem, quia non áuferet integritátem. Páries, sed non cum tristítia: néscies virum, & gignes fílium. Qualem Fílium! Illíus eris mater, cujus Deus est Pater. Fílius patérnæ claritátis erit coróna tuæ castitátis; sapiéntia patérni cordis erit fructus úteri virginális: Deum dénique páries, & de Deo concípies. Confortáre ergo, Virgo fœcúnda, casta puérpera, mater intácta; quia non eris in Israel ultrà maledícta, neque inter stériles deputáta... Benedícta ergo tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.

℟. Lauda, stérilis, quæ non paris: decánta laudem, quæ non pariébas: * Semen tuum gentes hæreditábit: † Non confundéris, quia fœdus pacis meæ non movébitur. ℣. Scriptum est enim: Lætáre, stérilis, quæ non paris: erúmpe & clama, quæ non párturis. * Semen. Glória. † Non confundéris. *Is.* 54. 1. 3. 4. 10. *Galat.* 4. 27.

IN III. NOCTURNO.

Quæ Deo sanctè vovit, fideliter adimplet.

Ant. t. 6. f. Vovit votum, dicens: Erit mihi Dóminus in Deum. *Gen.* 28. 20. 21.

Ant. t. 7. D. Fecit sicut vóverat, quæ ignorábat virum. *Judic.* 11. 39.

Ant. t. 8. c. Virgo cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore & spíritu. 1. *Cor.* 7. 34.

℣. In me sunt, Deus, vota tua, ℟. Quæ reddam, laudatiónes tibi. *Ps.* 55. 12.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 27.

IN illo tempore; Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

Lib. de S. Virginit. Cap. 3. & 4.

BEátior María percipiéndo fidem Christi, quàm concipiéndo carnem Christi. Nam & dicénti cuídam, Beátus venter qui te portávit, ipse respóndit: Imò beáti qui áudiunt verbum Dei, & custódiunt. Dénique frátribus ejus, id est, secúndùm carnem cognátis, qui non in eum credidérunt, quid prófuit illa cognátio? Sic & matérna propinquitas nihil Maríæ profuísset, nisi felíciùs Christũ corde quàm carne gestásset. Ipsa quoque virgínitas ejus ídeò grátior & accéptior, quia Christus priùsquam conciperétur, jam Deo dicátam de qua nascerétur, elégit. Hoc índicant verba quæ sibi fœtum annuntiánti Angelo María reddidit. Quómodo, inquit, fiet istud, quóniam virum non cognósco? Quod proféctò non díceret, nisi Deo Vírginem se antè vovísset.

℟. Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus: * Afferéntur regi vírgines post eam in lætítia & exultatióne: adducéntur in templum regis. ℣. Unus de Angelis locútus est mecum, dicens: Veni, & osténdam tibi sponsam. * Afferéntur. *Ps.* 44. 14. 15. 16. *Apoc.* 21. 9.

Lectio viij. Cap. 5.

NOn est ergo cur Dei Vírgines contristéntur, quòd étiam ipsæ virginitáte servátâ, matres carnis esse non possunt. Illum enim solùm virgínitas decénter párere posset, qui in sua nativitáte parem habére non posset. Verúmtamen ille uníus sanctæ Vírginis partus, ómnium sanctárum Vírginum est decus. Et ipsæ cum María matres Christi sunt, si Patris ejus fáciunt voluntátem. Hinc enim & María laudabílius atque beátiùs Christi mater est, secúndùm suprà memorátam ejus senténtiam: Quicúmque facit voluntátem Patris mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est.

℟. Una est matris suæ,

electa genitrici suæ. * Vidérunt eam filiæ, & beatíssimam prædicavérunt; reginæ & laudavérunt eam. ℣. Extóllens vocem múlier de turba, dixit Jesu: Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. * Vidérunt. *Cant.* 6. 8. *Luc.* 11. 27.

Lectio ix. de S. Columbano.
Apud Mabil. T. 1. Annal.

COlumbánus, Hibérnus, adhuc adoléscens, Psalmos expósuit; múltaque de divína psalmódia & pietáte Christiána utíliter scripsit. Cùm per plures annos vitam monásticâ in Cœnóbio Bencorénsi sub sancto Comogállo egísset, venit in Gállias. Ibi, accéptâ à Sigebérto Rege licéntiâ, Luxoviénse Monastérium in Burgúndia extrúxit; quò tanta Monachórum conflúxit multitúdo, ut succedéntibus vicíssim sibi choris, in decantándis Dei láudibus dies nóctibus continuaréntur. Ædificáto póstea Fontanénsi Cœnóbio, régulam monásticâ primus Francis trádidit. Luxóvio pulsum à Theodoríco Rege, quòd dissolútos ejus mores líberè argúeret, Clotárius humániter excépit; cui prædíxit Columbánus post tres annos futúrum ut Theodebérti ac Theodoríci regna ditióni ejus accéderent. In Itáliam proféctus, Medioláni Ariános voce & scriptis expugnávit: & in ea regióne Ebobiénse Monastérium eréxit, ubi anno verténte, ex hac vita ad cœléstem Pátriam éxitu felíci translátus est.

℟. In lege Dómini volúntas ejus, & * In lege ejus meditábitur die ac nocte: & † Erit tamquam lignum quod plantátum est secus decúrsus aquárum, quod fructum suum dabit in témpore suo. ℣. María conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. * In lege ejus. Glória. † Erit. *Ps.* 1. 2. 3. *Luc.* 2. 19.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quòd tota sit Deo devota, sibi gratulatur María.

℣. *Sacerdos.* Immola Deo sacrifícium laudis: ℟. Et redde Altíssimo vota tua. *Ps.* 49. 14.

Ant. t. 1. irr. EGo dilécto meo: & diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6. 2.

Ant. t. 2. d. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2. 3.

Ant. t. 3. E. Offerénte me Deo altíssimo, múnera mea suscípiet. *Eccli.* 7. 11.

Ant. t. 5. E. Audiétur.

Canticum. Lauda, *ut in parvo Officio B. M. V.*

Ant. Audiétur in loco isto vox sponsi & vox sponsæ, vox portántium vota in domum Dómini. *Jerem.* 33. 10. 11.

Ant. t. 6. F. Véniat orátio mea, Dómine, ad templum sanctum tuum: Ego autem

in voce laudis immolábo tibi; quæcúmque vovi, reddam Dómino. Jonæ 2. 8. 10.

Capitulum. Eccli. 35. 20.

QUi adórat Deum in oblectatióne, suscipiétur; & deprecátio illíus usque ad nubes propinquábit.

℣. Vota mea Dómino reddam, ℟. In atriis domûs Dómini. Ps. 115. 18. 19.

Ad Bened. Ant. t. 8. c. Dábitur illi fidei donum eléctum, & sors in templo Dei accceptíssima: bonórum enim laborum gloriósus est fructus. Sap. 3. 14. 15.

Oratio.

DEus, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritûs sancti habitáculum, hodiernâ die in Templo præsentári voluísti: præsta, quæsumus, ut ejus intercessióne in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur; Per.. In unitáte ejúsdem, &c.

Comm. S. Columbani Abbatis.

Oratio. Omnípotens, p. xl.

Ad Horas br. Antiph. de Laudibus.

Ad Primam, Ad ℟. br. Qui natus es de María Vírgine.

AD TERTIAM.

Capitulum. Sap. 6. 19. 20.

CUra disciplínæ, diléctio est; & diléctio, custódia legum illíus est: custodítio autem legum, consummátio incorruptiónis est: incorrúptio autem facit esse próximum Deo.

℟. In velaménto alárum tuárum exultábo, Dómine;* Adhæsit ánima mea post te; me suscépit déxtera tua.

℣. Qui adhæret Dómino, unus spíritus est. * Adhæsit, Glória. * Adhæsit. Ps. 62. 8. 9. 1. Cor. 6. 17.

℣. Me propter innocéntiam suscepísti: ℟. Et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum. Ps. 40. 13.

AD SEXTAM.

Capitulum. Eccli. 17. 24. 25.

COgnósce justítias & judícia Dei, & sta in sorte propositiónis & oratiónis altíssimi Dei. In partes vade sæculi sancti, cum vivis & dántibus confessiónem Deo.

℟. br. Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ, * Dum oro ad te. Exáudi. ℣. Dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.* Dum oro. Glória. Exáudi. Ps. 27. 2.

℣. Ego sicut olíva fructífera in domo Dei, ℟. Sperávi in misericórdia Dei in ætérnum. Ps. 51. 10.

AD NONAM.

Capitulum. Judith. 10. 8.

DEus patrum nostrórum det tibi grátiam, & omne consílium tui cordis suâ virtúte corróboret, ut gloriétur super te Jerúsalem.

℟. br. Reddam tibi, Dómine,* Vota mea. Reddam. ℣. Quæ distinxérunt lábia mea. * Vota. Glória. Reddam. Ps. 65. 13. 14.

℣. Sic psalmum dicam nómini tuo; ℟. Ut reddam vota mea de die in diem. Ps. 60. 9.

AD II. VESPERAS.

Magna Dei super Mariam consilia.

Ant. t. 5. f. QUàm pulchri sunt gressus tui in calceaméntis, fília príncipis! *Cant.* 7. 1.

Ant. t. 6. F. Lauda, & lætáre, filia Sion; quia ecce ego vénio, & habitábo in médio tuî, ait Dóminus. *Zach.* 2. 10.

Ant. t. 8. C. Custódiet Dóminus Deus tuus pactum tibi, & misericórdiam quam jurávit pátribus tuis. *Deut.* 7. 12.

Ant. t. 1. d. Dóminus Deus tuus in médio tuî fortis, ipse salvábit. *Soph.* 3. 17.

Ant. t. 5. a. Gaudébit super te in lætítia: silébit in dilectióne sua: exultábit super te in laude. *Soph.* 3. 17.

Capitulum. Apoc. 21. 3.

ECce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

HYMNUS.

INfans pulsa recèns matris ab úbere,
Abscóndi tácitis quærit in átriis;
Templum Virgo futúra,
Templi crescit in ædibus.

In blanda réquie, plena negótio,
Uni nota Deo vívere cógitat:
Hîc pro lacte paréntis
Sugit Núminis úbera.

Sic auróra novi núntia lúminis
Primo manè latet núbibus óbsita;
Mox solem paritúra,
Plenum qui réferat diem.

Sol in virgíneo péctore prævìis
Ardórem rádiis súscitat íntimum;
Hoc fœcúnda calóre
Virtus ínsita gérminat.

Ut fert prima novis múnera fróndibus
Arbos irrígui fontis in álveo,
Fructum Virgo datúra
Sese flóribus índuit.

Sit supréma tibi glória, Trínitas;
Quo Virgo téneram se vovet hóstiam,
Puri Flamen amóris,
Fac nos jam tibi vívere.
Amen.

℣. Sanctificávit tabernáculum suū Altíssimus: ℟. Deus in médio ejus, non commovébitur. *Ps.* 45. 5. 6.

Ad Magnif. Ant. t. 5. a. Eò quòd castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te; & ídeò eris benedícta in ætérnum. *Judith.* 15. 11.

Commemorat. de sequenti.

DIE XXII.

S. CÆCILIÆ, VIRGINIS ET MARTYRIS.

Duplex 4. Classis.

De Commemoratione unius Virginis Martyris.

Oratio. Deus, qui inter, *pag.* lj.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Gregor. Magno, & Fortun.

CÆcilia in virginitátis propósito, & in fidei confessióne, Dei múnere sic roboráta est, inquit sanctus Gregórius Magnus in Sacramentário, ut nec ætátis lúbrico ab intentióne mutarétur, nec blandiméntis carnálibus demulcerétur, nec sexûs fragilitáte deterrerétur, nec tormentórũ immanitáte vincerétur; sed servándo córporis ac mentis integritátem, cum virginitátis & martyrii palma ætérnam mererétur adipísci beatitúdinem. Hæc una est è quátuor celebérrimis Ecclésiæ Occidẽtális Virgínibus martyrio coronátis, quarum nomen antíquitùs insértum est in Cánone Missæ. Corpus ejus in Cœmetério Prætextáti, extra urbem viâ Appiâ, vel inítio sepúltum est, vel illùc translátum.

Lectio v. Ex Anastas. Biblioth.

CUm autem rumor increbuísset, sanctæ Vírginis corpus, Astúlfo Longobardórum rege Romam obsidénte, ab hóstibus furto fuísse ablátum; Pascháli Pontífici pro more Vigílias celebránti, anno octingentésimo vigésimo primo, Cæcíliam apparuísse scribit Anastasius, & quo in loco sepúlta esset indicásse. Is, cùm sanctæ Mártyris corpus in sepúlchro áureis induméntis velátum, & ad ejus pedes linteámina ejúsdẽ sánguine aspérsa reperísset; illud magno cum honóre intra muros tránstulit in Ecclésiam quam sub ejus nómine Gregórius Magnus exstrúxerat. Ibi Cæcíliæ corpus, unà cum sanctórum Valeriáni, Tibúrtii & Máximi, Urbáni quoque ac Lúcii Pontíficum corpóribus, sub altári collocávit.

Lectio vj.

Ex Baronio teste oculari.

EAm Ecclésiam Paulo Sfondráto Cardinále exornánte, vetus excavátum forámen detéctum est, pérvium ad corpus sanctæ Mártyris, per quod fideles sudaríola solébant demíttere, quæ è sepúlchri contáctu vim restituéndæ sanitátis hauríreat. Marmóreum ítaque ibi monuméntum invéntum est; & in eo arca Cypréssina, penitùs illæsa, ductíli clausa opérculo, in qua sanctum jacébat Cæcíliæ corpus, séricis pannis involútum, qui cùm essent depréssi, situm córporis ostendebant. Sérica quoque fila auro intertéxta, circa corpus ejus repérta sunt; & ad pedes vela sánguine mádida. Visúmque est, non, ut ássolet in sepulchro, resupínum corpus; sed ut in lecto, jacens supra dextrum latus. Tum Clemens octávus, die ipsâ sanctæ Mártyri sacrâ, post oblátum ritu solémni Missæ sacrifícium, ministério Diaconórum adjútus, the-

eam argénteam détulit in Confessiónem; in eâque Cypréssinam arcam, quæ venerándũ Vírginis corpus continébat, collocávit; & in lapídeo monuménto utrámque ita simul compósitam inclúsit anno Dómini milléſimo quingentéſimo nonagéſimo nono.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectii vij. Cap. 25. v. 1.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlorum decem virgínibus, quæ accipiéntes lampades suas, exiérunt obviàm sponso & sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Nysséni.

Libr. de Virgin. Cap. 1.

AUgústa virginitátis spécies, quæ in pretio est apud omnes quorum de honésto sincérum est judícium, iis solùm obtíngit, quibus Dei grátia ad præclárum hoc stúdium opitulátur; & ex ipsa statim nuncupatióne laudem cóngruam habet. Nam cùm multa sint quæ virtúte gerúntur, unum hoc incorrúpti nómine ornátum est. Sufficiat ad ejus laudatiónem divínus Apóstolus, sanctam & immaculátam appéllans quæ hoc múnere ornáta sit. Augústæ enim hujus virginitátis id fácinus est, ut immaculátus sanctúsque efficiáre; quæ nómina própriè ac primò ad incorrúpti Dei glóriam assumúntur. Ecquænam major laus virginitátis exístat, quàm ut eos qui castórum suórum mysteriórum consórtes sint, deos quodámmodo efficere monstrétur? Ita nimírum ut Dei, qui solus verè sanctus ac immaculátus est, puritátis & incorruptiónis nostrâ cum ipso necessitúdine sócii reddámur.

Lectio viij.

SIcuti studiórũ artes quædam, quibus síngula nostris dédita curis exequámur, adinvéntæ sunt; sic virginitátis quoque disciplína, mihi ars quædam, & facúltas diviniòris vitæ esse vidétur, quæ in carne vivéntes ad natúræ córpore vacántis similitúdinem compónat. Vitæ enim hujus stúdium omne ac institútum est, ne libídinum insúltu ánimi altitúdo in húmile trahátur: neve ánimus qui sublímia pétere, ac cœléstia contuéri debet, ad carnis sanguiníſque vítia, affectúsque prolabátur. Quare ut ad divínam illam atque beátam voluptátem liber atque solútus ánimus aspíciat, nullas voluptátes, quas vulgáris sibi ápprobat usus, indulgébit; sed amóris vim omnem, à corpóreis rebus ad spiritálem ac matériâ vacántem contemplatiónem tradúcet.

Lectio ix.

Quicúmque virginitáte nitens vero sponso adhæret ánimus, non à corpóreis solùm abscédit sórdibus, sed pari diligéntiâ ad ómnia præténdet, idque ádeò timens, ne quò extra honésti ac offícii ratiónem vergénte corde, mali alicújus commércio, adúlteræ mentis labem eâ parte admíttat. Verbi grátiâ, qui Dómino adhæret, út unus cum eo fiat spíritus, velut sociális vitæ jura proféssus, ut eum solum ex toto corde, totâque virtúte díligat; nec adúlteræ adhærébit, ne unum cum illa corpus efficiátur, nec áliud quidquam eórum quæ salúti advérsa sunt, admíttet; velut una sit in ómnibus polluéndi commúnitas; ne ullo áliquo conspurcátus, jam labis expers secum ipse manére non præváleat.

In Vesp. Comm. sequentis.

DIE XXIII.

S. CLEMENTIS, PAPÆ ET MARTYRIS.

Semiduplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio.

Deus, qui in Sanctórum tuórum es virtúte mirábilis; da nobis in beáti Cleméntis ánnuâ solemnitáte lætári; qui Fílii tui Martyr & Póntifex, quod minis-tério gessit, testimónio comprobávit; & quod prædicávit ore, confirmávit exémplo; Per eúmdem, &c.

Deinde fit Comm. S. Cleméntis, Epíscopi Metensis.

Oratio. Exaudi, *pag.* xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Ex libro sancti Irenæi Epíscopi & Mártyris, advérsùs hæreses. *Lib.* 3. *Cap.* 3.

Lectio iv.

Post Anaclétum, tértio loco ab Apóstolis Episcopátum sortítur Clemens, qui & vidit ipsos Apóstolos, & cóntulit cum eis, cùm adhuc insonántem prædicatiónem Apostolórum & traditiónem ante óculos habéret. Non solus; adhuc enim multi supérerant tunc ab Apóstolis docti. Sub hoc ígitur Cleménte, dissensióne non módicâ inter eos qui Corínthi essent fratres, factâ, scripsit quæ est Romæ Ecclésia potentíssimas lítteras Corínthiis, ad pacem eos cóngregans, & réparans fidem eórum, & annúntians quam in recénti recéperant ab Apóstolis traditiónem, annuntiántem unum Deum omnipoténtem, factórem cœli & terræ, plasmatórem hóminis; qui indúxerit cataclysmum, & advocáverit Abraham; qui edúxerit pópulum de terra Ægypti, qui collocútus sit Móysi; qui legem dispofúerit, & prophétas míserit; qui ignem præparáverit diábolo & ángelis ejus. Hunc Patrem Dómini nostri Jesu Christi ab Ecclésiis annuntiári, ex divína Scriptúra qui velint,

díscere possunt, & Apostólicam Ecclésiæ traditiónem intellígere; cùm sit vetústior Epístola his qui nunc falsò docent.

Lectio v.

HUic autem Cleménti succédit Evarístus, & Evarísto Alexánder; ac deínceps sextus ab Apóstolis constitútus est Xystus, & ab hoc Telésphorus, qui étiam gloriosíssimè martyrium fecit; ac deínceps Hygínus; post Pius; post quem Anicétus. Cùm autem successísset Anicéto Soter, nunc duodécimo loco Episcopátum ab Apóstolis habet Eleuthérius. Hâc ordinatióne & successióne, ea quæ est ab Apóstolis in Ecclésia tradítio, & veritátis præconátio pervénit usque ad nos. Et est pleníssimè hæc osténsio, unam & eámdem vivificatrícem fidem esse, quæ in Ecclésia ab Apóstolis usque nunc sit conserváta, & trádita in veritáte.

Lectio vj.

Ex libro sancti Hierónymi Presbyteri, de Scriptóribus Ecclesiásticis. *Cap.* 15.

CLemens, de quo Apóstolus Paulus ad Philippenses scribens, ait: Cum Cleménte & cæteris cooperántibus meis, quorum nómina scripta sunt in libro vitæ, quartus post Petrum Romæ Epíscopus; síquidem secúndus Linus fuit, tértius Anaclétus; tamétsi pleríque Latinórum, secúndum post Petrum Apóstolum putent fuísse Cleméntem. Scripsit ex persóna Románæ Ecclésiæ ad Ecclésiam Corinthiórum valdè útilem Epístolam, quæ in nonnúllis locis públicè légitur; quæ mihi vidétur caractéri Epístolæ, quæ sub Pauli nómine ad Hebræos fertur, convenire. Fertur & secúnda ejus nómine Epístola, quæ à verétibus reprobátur; & disputántio Petri & Appiónis longo sermóne conscrípta, quā Eusébius in tértio Históriæ Ecclesiásticæ volúmine coárguit. Obiit tértio Trajáni anno, & nóminis ejus memóriam usque hódie, Romæ extrúcta Ecclésia custódit.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 12. 42.

IN illo témpore; Dixit Dóminus Petro: Quis, putas, est fidélis dispensátor & prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Et réliqua.

Homília sancti Cleméntis Papæ & Mártyris.

Epist. 1. *ad Corinth. Cap.* 42. & 44.

APóstoli nobis evangelizavérunt à Dómino Jesu Christo: & factum est utrúmque ex voluntáte Dei. Itaque accéptis mandátis, & certò persuási per resurrectiónem Dómini nostri Jesu

Christi, & in fide confirmáti per verbum Dei, cum sancti Spíritûs plenitúdine ac securitáte, egréssi sunt, annuntiántes adventúrum esse regnum Dei. Prædicántes igitur per regiónes ac urbes, primítias eórum, spíritu cùm probássent, in Epíscopos & Diaconos eórum qui créditúri erant, constituérunt: & deínceps futúræ successiónis régulam tradidérunt; ut cùm illi decéderent, ministérium eórum ac munus alii viri probáti excíperent.

Lectio viij. Cap. 45. & 46.

PErsecutiónem passi sunt justi, sed ab iniquis: in cárcerem sunt conjécti, sed ab ímpiis: lapidáti sunt à nefáriis; occísi à sceléstis, & injústo zelo occupátis. Hæc passi, præclárè tulérunt. Odio ac execratióne digni, & omni malítiâ pleni in tantum furóris erupérunt, ut viros in sancto & irreprehénso propósito Deo serviéntes, contuméliis ac torméntis affécerint, dum nésciunt Altíssimum, propugnatórem & protectórem esse eórum qui in pura consciéntia potentíssimo nómini ejus insérviunt. Illi verò in fiducia tolerántes, glóriæ & honóris hærédes facti sunt; elevati sunt, & sublímes beatique effécti à Deo in memória ipsórum. Tálibus itaque exémplis & nos adhærere opórtet, fratres; scriptum est enim: Sanctis vos adjúngite, quia qui illis adhærent, sanctificabúntur.

Lectio ix. Cap. 7. 54. & 55.

HÆc, dilécti, non tantùm ut vos moneámus, scríbimus; sed étiam ut nos ipsi commonefaciámus: in eodem enim stádio versámur, & certámen idem nobis impósitum est. Quocírca relinquámus inánes & vanas glórias, atque veniámus ad gloriósam & venerabilem sanctæ vocatiónis nostræ régulam. Quis ergo inter vos magni ánimi est? Quis misé-ricors? quis charitátis plenus? Dicat: Si propter me sedítio, & discórdia, & schísmata; discédo, ábeo quòcúmque voluéritis, & fácio quæ à plebe mandántur: solùm ovíle Christi in pace degat cum constitútis Presbyteris. Qui hoc fécerit, sibi magnum decus in Dómino comparabit; & omnis locus eum suscípiet. Dómini enim est terra, & plenitúdo ejus. Hæc, qui divínam ac cujus numquam pœnitet, vitam agunt, fecérunt & fácient. Multos inter nos cognóvimus, qui seipsos in víncula conjecérunt, ut álios redímerent. Multi seípsos in servitútem dederunt, & accépto prétio suî, filios cibárunt.

In Vesperis Comm. de sequenti.

DIE XXIV.

S CHRYSOGONI, MARTYRIS.

Simplex.

De Communi unius Martyris.

Oratio. Deus, qui, *pag.* xj.

Lectio iij.

Ex Histor. Ecclesiast. Tillem. Tom. 5. Adon. Suid. & aliis.

Chrysógonus, post longa víncula, & cárceres Romæ pro Christi confessióne tolerátos, jubénte Diocletiáno, Aquiléiam perdúctus, postquam ejúsdem nec blanditiis nec minis à propósito deterréri pótuit, ad Aquas Gradátas secúri percússus est. Corpus ejus projéctum in mare, paulò post invéntum, Zóïlus Présbyter sepelívit in ædibus suis. Vetus est Romæ títulus sancti Chrysógoni, cujus méntio fit in Concílio Románo sub Symmacho, & à Gregório Magno in Epístolis. Hanc ædem Gregórius Papa tértius adornávit, & munéribus auxit. Ejus autem nomen, quod per Illyricum, & in Africa étiam célebre fuit, Cánoni Missæ quo tota jam Ecclésia Occidentális útitur, à primis tempóribus insertum est.

Vesperæ de sequenti.

DIE XXV.

S. DIONYSII, EPISCOPI ALEXANDRINI, & Confessoris Christi.

Semiduplex.

De Comm. unius Confessoris Christi.

Oratio. Deus, pro cujus nómine, *pag.* xix.

Comm. S. Catharinæ, Virginis & Martyris.

Oratio. Deus, qui inter, *pag.* lj.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Eusebio, Athan. Hieron. & ipsius Dionysii Scriptis apud Ruinart.

Dionysius, quem Græci Patres Magnum Dionysium appellant, illústri famíliâ natus, professióne Rhetor, cui discéndi stúdium, suscipiéndæ fídei occásio fuit, magístrum audívit Orígenem, & ex ejus discípulo, scholæ Alexandrínæ Præféctus constitútus est. Defúncto Herácla, ad tértium círciter Philíppi Imperatóris annum, in ejus locum Ecclésiæ Alexandrínæ Epíscopus substitúitur Dionysius. Tunc quidem témporis, sub Philippórum império summâ pace fruebátur Ecclésia; sed quam paulò post tam sæva subsecúta est persecútio, ut toto Imperatórum gentílium témpore vix ulla fúerit acérbior. Ejus persecutiónis occasióne, Dionysius lítteras ad Fábium Antiochénum Epíscopũ conscrípsit de plúribus Martyribus qui eo témpore Alexandríæ passi sunt, & quos ut generósos Christi milites, ad pugnam pro fide armáverat.

Lectio v.

Ipse verò in ea Décii persecutióne, à satellítibus comprehénsus, & Tapósirim ductus, in cárcerem detrúsus est; unde à superveniéntibus quibúsdam Christiánis invítus nec spontè sequens per vim abstráctus, in deſérto & squálido Lybiæ loco conclúsus mansit aliquámdiu, scriptis ínterim epístolis, & missis Presbyteris, Confessóres Christi in vínculis adhortári & consolári non désinens; donec, pace rédditâ, ad suos redíre lícuit. Cùm autem Novatiánus Nováto adjúnctus, qui post excitátas in Africána Ecclésia multas turbas Romam accésserat, à tribus Epíscopis ex Itáliæ fínibus cállidè advocátis contra Cornélium legítimum Pontíficem in Epíscopum ordinátus, primum schisma in Ecclésia Románа excitásset; de hoc facínore à Cornélio mónitus Dionysius, nihil prætermísit quóminus pacem Ecclésiæ Románæ restitúeret, scriptis tum ad Románam Ecclésiam, tum ad Confessóres qui Nováto favébant, lítteris, quin & ad ipsum Novatiánum, quem his præcláris verbis árguit: Sátius fúerat quidvis pati ne Ecclésia Dei discinderétur. Nec minùs gloriósum fuísset idcircò subíre martyrium ne Ecclésiam scínderes, quàm ut ne idólis sacrificáres. Imò illud meo quidem judício illústrius fuísset. Hìc enim pro suâ uníus ánima; illìc pro omni Ecclésia martyrium quis sústinet.

Lectio vj.

Sabellaniórum hæresim, Personárum distinctiónem in sanctíssima Trinitáte impugnántem, quæ apud Ptolemaïdem Pentapóleos urbem pullulábat, Dionysius oppréssit, váriis de hoc arguménto lítteris & Tractátibus éditis. Sed cùm eâ occasióne à nonnúllis incusarétur, quasi in contrárium erróremimpegísset, quátuor libris hac de re ad sanctum Dionysium Epíscopum Románum conscrípsit, quibus se, ut refert Athanásius, ab eo erróre immúnem esse planè demonstrávit. Dum ítaque totus expugnándis Sabelliánis incúmberet, Gallo post biénnii impérium è vivis sublá-to, Valeriánus in ejus locum substitútus sævíssimam advérsùs Christiános persecutiónem concitávit. Hæc tempéstas Dionysium cum multis áliis involvit. Sístitur coram Æmiliáno Præside; & cùm jubénti ut diis sacrificáret, neve convéntus Christiános fáceret, hoc respondísset Apostolórum verbo: Opórtet obedíre Deo magis quàm homínibus, primùm in locum Lybiæ qui dícitur Cephro, tum ad Colluthiónis regiónem exul míttitur. Valeriáno à Persis capto, &

pace

pace à Galliéno Ecclésiæ réddità, Alexandríam regréssus, urbem tantis seditiónibus agitátam réperit, ut ipso die Paschæ suos, tamquam si longè fuísset pósitus, per lítteras convenire coáctus fúerit. Bellum civíle lues immaníssima excépit, in qua Dionysius multíque cū ipso Christiáni insígnia gessérunt charitátis ópera, quæ ipsórum Mártyrū méritis æquiparántur. Tandē morti próximus, Christi divinitátem, quam sánguinis sui effusióne tóties profitéri volúerat, scriptis advérsùs Pauli Samosaténi blasphémias proféssus, extrémum diem óbiit, anno Principátûs Galliéni duodécimo, cùm Alexandríæ Episcopátum septémdecim annis obtinuísset; vir scriptis & virtútibus omni laude major.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 10. v. 32.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Omnis qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo qui in cœlis est. Et réliqua.

Homília sancti Dionysii Alexandríni Epíscopi.

Apud Eusebium Lib. 7. Histor. Eccles. Cap. 22.

MUlta quidem & acérba nobis contigérunt. Primùm enim nos urbe expulérunt. Cùmque soli ab ómnibus fugarémur atque opprimerémur, nihilóminus tunc quoque festos égimus dies. Quivis dénique locus in quo várias ærúmnas sigillátim pertúlimus; ager, inquam, solitúdo, navis, stábulum, carcer, instar templi ad sacros convéntus peragéndo fuit. Sed ómnium lætíssimam festivitátem egérunt consummáti Mártyres, qui in cœlo epuláti sunt. Post hæc, bellum fames excépit: quæ quidem nos cum Gentílibus junctim pertúlimus. Et ea quidem mala quibus nos attrivérunt, soli sustinúimus. Quæ autem ipsi sibi vicíssim intulérunt ac passi sunt, eórum partem tolerávimus. Sed rursus oblectávit nos pax illa quam Christus nobis solis indúlsit.

Lectio viij.

CUm brevíssimo témporis spátio nos & illi respirassémus, repentè ingruit lues illa; ipsis quidem res ómnium formidolosíssima & calamitosíssima; & quæ sola, ut próprius ipsórum scriptor lóquitur, ómnium spem opinionémque superávit. Nobis verò non ejúsmodi fuit; sed pótiùs medicaméntum quoddam ac probaméntum períndè ac cætera. Neque enim à nobis abstínuit lues illa, licèt plúrimùm in Gentíles grassáta sit. Plúrimi quidem ex frátribus nostris ob nímiam charitátem, curam omnem próprìæ salútis abjiciéntes, sibíque mú-

tuò adhærescéntes, dum ægros secúrè atque audácter invísunt, eísque assíduè ministrant, & curatiónem ádhibent in Christo, unà cum illis mórtui sunt; aliórum ægritúdine libentíssimè sese impléntes, & proximórum morbum in semetípsos quodámmodo attrahéntes, doloréfque eórum sponte sua expriméntes atque extergéntes. *Lectio ix.*

MUltíque ádeò qui álios ægrotántes curáverant, & in prístinam valetúdinem restitúerant, ipsi interiérunt; mortem illórum in seípsos traducéntes; verbúmque illud vulgáre, quod officiósæ dúmtaxat comitátis háctenus visum fúerat, reípsâ adimpléntes, cùm aliórum peripséma effécti ex hac vita migrárent. Et hoc quidem pacto óptimi quique ex frátribus nostris, quorum nonnúlli Presbyteri erant ac Diáconi; & ex pópulo laudatíssimus quisque mortem oppetiérunt: ádeò ut genus hoc mortis, ob pietátem fideíque constántiam, nequáquam inférius mártyrio censeátur. Hi ergo Sanctórum córpora supínis mánibus gremióque excipiéntes, óculos illis & ora claudéntes, bajulántes éadem húmeris suis, componéntes, adhæréscéntes illis, compleсténtes, lavácro & vestiméntis ornántes, páulò pòst éadem offícia ab áliis consecuti sunt; cùm supérstites semper eórum qui præcésserant vestígiis insísterent.

In Laudib. Comm. S. Catharinæ, Virginis.

In Vesperis Comm. de sequenti.

DIE XXVI.

S. PETRI, ALEXANDRINI EPISCOPI ET MARTYRIS.

Simplex.

De Comm. unius Martyris.

Oratio. Fac nos, *pag.* xj.

Comm. S. Basoli, Eremitæ.

Oratio. Deus, qui nos ádmones, *pag.* xl. *Lectio iij.*

Ex Apológia secúnda sancti Athanásii Epíscopi contra Ariános. *n.* 59.

PEtrus apud nos ante persecutiónẽ Epíscopus, in persecutióne Mártyr occúbuit. Hic Melétium, qui Epíscopus in Ægypto erat, plurimórum convíctum scélerum, ac potíssimùm quòd immoláſſet idólis, in commúni Episcopórum Synodo depósuit. Melétius verò neque ad áliam confúgit Synodum, neque curávit apud pósteros sese purgáre; sed schísmatis auctor fuit; hincque factum ut ejus sectatóres háctenus, pro Christiánis, Meletiáni áudiant. Statímque ille Epíscopos maledíctis cœpit incéssere; primò quidem ipsum Petrum, dehinc Achillam calumniátus est, & post Achillam, Alexándrum. Hoc autem Absalonis imitátus exémplum, cállidè est aggréssus, eo nempe ánimo, ut quan-

dóquidem deposítio ignomíniam inurébat, calúmniis saltem suis simplicióres posset circumveníre.

Die xxvii.

SS. VITALIS ET AGRICOLÆ, MARTYRUM.

Simplex.

De Comm. plurium Martyrum.

Oratio. Exáudi, *pag.* xvij.

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi, de exhortatióne ad virginitátem. *Cap.* 1. *n.* 2. 4. & 5.

Lectio iij.

Martyri Agrícolæ Vitális servus fuit antè, nunc consors & colléga martyrii. Cùm sanctus Vitális cogerétur à persequéntibus ut Christum negáret, & ille ámpliùs profiterétur Dóminum Jesum Christum, ómnia tormentórum génera in eum exercéntes, ut non esset in córpore ejus sine vúlnere locus, oratiónem fudit ad Dóminum, dicens: Dómine Jesu Christe, Salvátor meus & Deus meus, jube súscipi spíritum meum; quia jam desídero ut accípiam corónam quam Angelus tuus sanctus mihi ostendit: & complétâ oratióne, emísit spíritum. Sanctus Agrícola mitior habebátur móribus, ut ab ipsis étiam inimícis diligerétur: ideòque differébant ejus passiónem. Sed hæc persecutórum honorificéntia omni erat immanitáte acérbior, quæ invidébat martyrium. Dénique ubi non acquiévit sanctus Agrícola, crucifíxus est; ut advertámus illas blandítias eórum non sedulitátis fuísse, sed fraudis. Supplício servi, dóminum terrére voluérunt. Vertit hoc Christus in grátiam, ut martyrium servi dóminus imitarétur.

Die xxix.

VIGILIA S. ANDREÆ, APOSTOLI.

Simplex.

Officium fit de Feria occurrente, exceptis quæ sequuntur.

Comm. S. Saturnini, Tolosani Episcopi & Martyris.

Oratio. Omnípotens, *pag.* xj.

Lectiones duæ priores ex Script. occurr. fit una ex secunda & tertia.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio iij. Cap. 1. *v.* 35.

In illo témpore; Stabat Joánnes, & ex discípulis ejus duo; & respíciens Jesum ambulántem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi.

In Joan. Tract. 7. *n.* 9.

Et audiérunt eum duo discípuli loquentem, & secúti sunt Jesum. In his duóbus erat Andréas, sicut modò audístis. Andréas autem frater Petri erat: & nóvimus in Evangélio, quòd Petrum & Andréam Dóminus de navi vocávit, dicens: Veníte post me, & faciam vos piscatóres hóminum. Et ex illo jam inhæsérunt illi, ut non recéderent. Modò ergo

quòd illum sequúntur isti duo, non quasi non recessúri sequúntur, sed vidére voluérunt ubi habitáret, & fácere quod scriptum est: Limen ostiórum ejus éxterat pes tuus; surge ad illum venire assíduè, & erudíre præcéptis ejus. Osténdit eis ille ubi manéret: venérunt & fuérunt cum illo. Quàm beátum diem duxérunt; quàm beátam noctem! Quis est qui nobis dicat quæ audíerint illi à Dómino? Ædificémus & nosmetípsi in corde nostro, & faciámus domum quò véniat ille, & dóceat nos, & colloquátur nobis.

Oratio.

MAjestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus, ut qui beáti Andréæ Apóstoli Festum solémnibus jejúniis, & devótis prævenímus offíciis, illíus apud te adjuvémur méritis, & instruámur exémplis; Per, *In Laudi Comm. S. Saturnini.*

DIE XXX.

S. ANDREÆ, APOSTOLI.

Duplex 2. Classis.

Omnia de Communi Apostolorum, iis exceptis quæ sequuntur.

AD I. VESPERAS.

Ad Magnif. *Ant. t. 7. D.* Audiérunt Joánnem duo discípuli loquéntem, & secúti sunt Jesum. Erat autem Andréas frater Simónis Petri unus ex duóbus, qui secúti fúerant eum. *Joan. 1. 37. 40.* *Oratio ut infrà in Laudibus.*

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Script. occurr.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex Evang. Euseb. Lib. 3. Hist. Greg. Nazian. Orat. 25. Paulino, Carm. 2. Greg. Turon. de glor. Mart. 31. & aliis.

ANdréas, Joánnis, seu Jonæ fílius, Simónis, qui póstmodum Petrus dictus est, frater, Bethsáïdæ in Galilæa natus, unus fuit ex duóbus discípulis Joánnis Baptístæ, qui statim ab ipso Joánnis de Jesu testimónio, Jesum secúti sunt. Sciscitáti ambo ubi manéret, invitáti cómites venére, & illâ die mansérunt apud ipsum hóspites. Hinc ubi invénit Andréas primùm fratrem suum, dixit ei: Invénimus Messíam: & addúxit eum ad Jesum. Ambos fratres, jam discípulos suos, nondum tamen perpétuos itínerum & vitæ sócios, cùm ámbulans póstea Jesus juxta mare Galilææ vidísset mitténtes rete in mare, his vocávit verbis: Veníte post me, & fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. Qui nullam interponéntes moram, & relíctis rétibus, secúti vocántem, ita ei placuérunt, ut inter duódecim, quos è discípulis suis elégit, & Apóstolos nominávit, primùm Simónem quem cognominávit Petrum, mox Andréam fratrem ejus, Matthæus & Lucas recénseant.

Lectio v.

POst Christi passiónem & resurrectiónem, Scythiam sortítus Andréas, in Epíro étiam, Achäïa & áliis Provínciis, innúmeros Christo, qui evéntum promíserat, piscátus hómines, Patras civitátem Achäïæ morte célebrem fecit & túmulo. Ejus Relíquias Constántius Imperátor, ex voto Constantíni patris, Constantinópolim tranférri, & in augustíssimo Apostolórum templo collocári curávit. Toto itínere, & per omnes vias, quâ sanctæ transiérunt Relíquiæ, miris manum divínam claruísse signis refert sanctus Paulínus. Ex his pígnora decérpta, divérsis locis, quasi vitæ sémina, dispérsa sunt: & quòcúmque, vel minúta ossa, vel ipsæ favíllæ pervenérunt, illìc ingéntes divína grátia vitæ fontes miraculórum frequéntiâ & multitúdine exundáre facit. Quin &, teste sancto Hierónymo, ad has sacras exúvias rúgiunt dæmones, & illárum præséntiâ cruciári se confiténtur.

Lectio vj.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

Serm. 133.

BEátus Andréas hódie moriéndo pro Dómino, toto virtútis gradu Domínicis incúmbit hærére vestígiis; ne eum cursus fáciat díssparem fratri, quem natúra, símilem; vocátio, sócium; parem grátia ipsa perfécerat. Ad unam vocem Dómini, sicut ille, patrem, pátriam, censum relíquit. Solùm est quòd témpore Domínicæ passiónis fugit; sed neque hoc impar, quia non est grávius fúgere quàm negáre. Sed æquavit fratres vénia, quos sic discréverat culpa. Nam crucem quam refúgerant, póstea conjúnctis víribus, ardénter invádunt; ut unde reátum súmpserant, inde conscénderent cœlum, inde præmium súmerent & corónam. Petrus namque crucem, árborem conscendit Andréas: ut qui Christo cómpati gestiébant, in semetípsis figúram, formámque ipsíus exprímerent passiónis; & redémpti ligno, consummaréntur ad palmam. Sic Andréas noster, etsi cedit órdini, præmio tamen non cedit, & labóri.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 4. v. 18.

IN illo témpore; Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, & Andréam fratrē ejus, mitténtes rete in mare: (erant enim piscatóres) & ait illis: Veníte post me, & fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuò, re-

líctis rétibus, secúti sunt eum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ.

Hom. 5. in Ev. habit. in Basil. S. Andr. in Natali ejus. n. 1.

AUdístis, fratres charíssimi, quia ad unius jussiónis vocem Petrus & Andréas, relíctis rétibus, secúti sunt Redemptórem. Nulla verò hunc fácere adhuc mirácula víderant; nihil ab eo de præmio ætérnæ retributiónis audíerant; & tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc quod possidére videbántur, oblíti sunt. In cœlo jam sedet, qui de conversióne nos ádmonet: jam jugo fídei colla géntium súbdidit: jam mundi glóriam stravit; jam ruínis ejus crebrescéntibus distrícti sui judícii diē propinquántē denúntiat: & tamen supérba mens nostra adhuc non vult hoc sponté desérere, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres, quid in ejus judício dictúri sumus, qui ab amóre præséntis sæculi, nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

Lectio viij. n. 2.

SEd fortásse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam utérque iste piscátor quid aut quantùm dimísit, qui penè nihil hábuit? Sed hac in re, fratres charíssimi, afféctum debémus pótiùs pensáre quàm censum. Multùm relíquit, qui sibi nihil retínuit. Multùm relíquit, qui quantúmlibet parum, totum desèruit. Certè nos & hábita cum amóre possidémus, & ea quæ mínimè habémus, ex desidério quærimus. Multùm ergo Petrus & Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi derelíquit.

Lectio ix. n. 4.

QUia ergo, fratres charíssimi, beáti Andréæ Apóstoli Natalítia celebrámus, debémus imitári quod cólimus. Osténdat nostræ obséquium devotiónis, immutátæ solémnitas mentis: despiciámus quæ terréna sunt; relíctis temporálibus, mercémur ætérna. Si autem necdum póssumus relínquere própria, saltem non concupiscámus aliéna. Si necdum mens nostra accénditur igne charitátis, in ambitióne sua hábeat frænum timóris; ut proféctûs sui pássibus vegetáta, dum ab alienórum appetítu compéscitur, quándoque ad própria contemnénda perducátur, adjuvánte Dño nostro Jesu Christo.

Ad Bened. *Ant. t. 1. A.* Invénit Andréas primùm fratrem suum Simónem, & dicit ei: Invénimus Messíam; & addúxit eum ad Jesum. *Joan. 1. 41. 42.*

Oratio.

OMnípotens Deus, qui beáto Andréæ Apóstolo tuo Christo configi in cruce

tribuísti; præsta, quæsumus, eódem intercedénte, ut terréna in nobismetípsis desidéria crucifigéntes, tibi firmiter adhærére valeámus; Per eúmdem, &c.

Ad Magnif. *Ant. t. 3. a.* Vidit Jesus Simónem, & Andréam fratrem ejus, mitténtes rétia in mare; & dixit eis: Venite post me, & fáciam vos fieri piscatóres hóminum. Et protinus relíctis téribus secúti sunt eum. *Marc.* I. 16. 17. 18.

Commem. S. Eligii, Episcopi.

FESTA DECEMBRIS.

Die I.
S. ELIGII,
Noviomensis Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Comm. unius Pontif.

Oratio. Da Ecclésiæ tuæ, *pag.* xxiv.

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Ex vita S. Eligii, auctore S. Audoëno.

ELígius Lémovix, aurífaber indústrius, relíctâ pátriâ, Parísios se cóntulit, ubi perítiæ suæ fama Clotário secúndo innótuit. Sanctióris vitæ desidério accénsus, ómnium ab adolescéntia delictórum exomologésim fecit coram Sacerdóte; & gravi peráctâ pœniténtiâ, exínde in pietátis ópera toto incúbuit ánimo. Nam étiam dum artem exercébat suam, subínde in sacros intendébat códices; ut mens Deo vacáret, cùm manus úsibus servírent humánis. Quidquid verò arte suâ comparábat, illud totum fovéndis egénis, & captívis, rerum étiam necessariárum dispéndio, rediméndis erogábat. Hinc tantus ad eum páuperum concúrsus, ut quærénti domum Elígii dicerétur: Ubi páuperum cœtum conspéxeris, illìc & Elígium repéries. Intra domum autem vacábat orationi cum familiáribus, qui diu noctúque in ejus cámera Canónicum cursum solémniter adimplébant.

Lectio v.

DAgobérto non minùs accéptus, quàm Clotário patri, & ab ipso ad Aremoricórum regem, pacis componéndæ causâ, missus, reges ambos felíci sociávit fœdere. Vária ejus hortátu & impénsis extrúcta sunt templa & monastéria. Solemniacénse in Lemovícibus Cœnóbium cóndidit. Parísiis áliud ædificávit Monastérium Vírginum, ad quarum sepultúram extra civitátem, sancti Pauli Ecclésiam constrúxit. Plúrimas divérsis tempóribus, auro, argénto, & gemmis, Sanctórum capsas, aut túmulos, miro decorávit artifício. De Ecclésiæ discipli-

na sollícitus ádmodum, simoníacam labem, quæ altas in Gállia égerat radíces, junctis cum Audoéno stúdiis, extirpávit; suísque curis perfécit utérque, ut nullus deínceps eligerétur Epíscopus, nisi qui morum integritáte álios antecéderet.

Lectio vj.

TOt in Ecclésiam méritis clarus, mórtuo Acchário, Diœcési Noviomensi præpósitus est. Cavit tamen ex usu Cánonum, ne sibi priùs manus imponeréntur, quàm sub norma Clericátûs tempus exegísset áliquod. Quo trāsácto, Presbyteris adscriptus est à Deódato Matiscono nénsi. Tum Rothómagi unà cum sancto Audoéno die Máii décimâ quartâ, Domínicâ ante Litanías, in Epíscopum est consecrátus. In eo órdine, non modò salúti gregis sibi commíssi consúluit, sed & Flandros, ac Frísios, aliósque ad Septentriónem pópulos, non sine magno labore, & vitæ discrímine, ad Christum addúxit. Sedit in Concílio Cabillonénsi sub Clodovæo secúndo. Multa præclárè scripsit, dæmones ejécit, futúra prædíxit; ac tandem miraculórum illústris glóriâ, Noviómi óbiit septuagenárius. Ejus funus Bathíldis regína, pedes, nec sine lácrymis, cum líberis ac totâ famíliâ prosecúta est.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Lectio vij. Cap. 24. v. 42.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis quâ horâ Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homília sancti Elígii Epíscopi.

Refert S. Audoenus in ejus vita, Lib. 2. Cap. 15.

COnsideráte, fratres, quia opórtet me sine cessatióne vestras ánimas ad treméndum Dei judícium, & ad desiderándum cœléste præmiū excitáre, ut vobíscum páriter mérear in Angelórum consórtio perpétuâ pace gaudére. Ideòque rogo, ut diem judícii semper pertimescátis; diem mortis suspéctum quotídie ante óculos habeátis. Consideráte quales éritis præsentándi conspéctibus Angelórum, vel qualem pro méritis vicissitúdinem receptúri; si potéritis in illo die illibátum reférre, quod in baptísmo promisístis. Mementóte quia tunc pactum cum Deo fecístis, atque abrenuntiáre vos diábolo, & ómnibus opéribus ejus, in ipso baptísmi sacraménto promisístis.

Lectio viij.

ECce prædíxi vobis simplíciter, ut intellígere possítis quæ sunt unicuíque

ventúra. Nemo jam se de ignorántia excusáre póterit, quorum vita & mors prænuntiáta sunt. Supplícia impiórum, & glória justórum vobis denuntiáta sunt: jam verò in arbítrio vestro consístit elígere quod teneátis. Unusquísque enim quod hìc concupíverit, & assecútus fúerit, hoc útique illìc possidébit. Vitam ergo ætérnam toto nisu concupíscite, nec emendatiónem vestram diu differátis: sed ad lucrándа cœléstia regna, ultrò ipsi relínquite quod lucis istíus fine perdéndum est. Surgat jam, quæso, quicúmque peccáti caténâ astríctus tenétur, & expergefáctus à somno suæ mortis, evígilet, recúrrat ad confessiónem, & agat pœniténtiam.

Lectio ix.

HÆc nos, fratres, diébus ac nóctibus memória refóveat; hæc nos præcépta frequénter sollícitent: débitum vitæ finem jamjam affutúrum putémus; vicinúmque sperémus mortis diem, quem longinquum esse nescímus. Modò emendémus quod delíquimus; ne tunc pœnitére incipiámus, quando jam non valébimus. Erit quidem & in inférno pœniténtia; sed omníno infructuósa. Erit ibi pœniténtia dolórem habens, sed jam medicínam non habens; ibíque nullátenùs póterit à Deo promeréri quod petit, qui hìc noluérit audíre quod Deus jussit.

DIE II.

S. PETRI CHRYSOLOGI,

RAVENNENSIS EPISCOPI.

Simplex.

Oratio Omnípotens, *pag.* xxiv.

Lectio iij.

de S. Petro Chrysologo.

Ex ipsius sermon. Hieron. Rub. Abb. Ughel, &c.

PEtrus, cui sua dicéndi facílitas & eloquéntia Chrysólogi cognómen áddidit, Imolæ in foro Cornélii honéstis paréntibus natus, sancto Cornélio civitátis illíus Epíscopo tráditus est móribus & disciplínis instruéndus adoléscens. Tantæ autem fuérunt primæ surgéntis véluti ingénii faces, tanta præmatúræ virtútis indícia, ut discípulum sæpè mirátus magíster, ipsum sibi, Ecclésiæ suæ bene cónsulens, in Diaconátûs ministério devínxerit. Divíno deínde oráculo designátus in Ravennénsem Epíscopum Petrus, omnes sui múneris partes sic adimplévit, ut nulli defúerit óptimi Pastóris offício; ita in pascéndo grege pérvigil, sic in verbi divíni dispensatióne assíduus, ut labóris ejus monuménta, sermónes ad nos pervénerint número centum septuagínta sex. Illíus ætáte, novæ de In-

carnatióne contentiónes movit Eutyches; & ad hæresis suæ patrocínium, Petri suffrágia tentávit per lítteras: quibus veritátis & unitátis amans Petrus sic respóndit: Tristis legi tristes lítteras tuas; & scripta mœróre débito percúrri: quia sicut nos pax Ecclesiárum, Sacerdótum concórdia, tranquíllitas plebis, gaudére facit gáudio cœlésti; ita nos afflígit, & déjicit fraterna dissénsio. Tum Eutychen his ad obséquium hortátur verbis: In ómnibus hortámur te, ut his quæ à beatíssimo Papa Románæ civitátis scripta sunt, obediénter attendas; quóniam beátus Petrus, qui in própria Sede & vivit, & præsidet, præstat quæréntibus fidei veritátem. Obiit Imolæ circa médium quinti sæculi.





COMMUNE SANCTORUM.

PARS AUTUMNALIS.



COMMUNE APOSTOLORUM.

In hoc Communi, & in cæteris ad totum Officium semper dicuntur Psalmi de Feria, nisi aliter notetur in Proprio.

AD I. VESPERAS.

Prophetiæ vel figuræ de Apostolis prænuntiantes.

Ant. 1. 1. *d.* QUi sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras? *Is.* 60. 8.

Ant. 1. 5. *A.* Isti sunt, quos misit Dóminus, ut perámbulent terram. *Zach.* 1. 10.

Ant. t. 6. f. Locútus es, Dómine, cum eis, & dedisti eis judícia recta, & legem veritátis. 2. *Esd.* 9. 13.

Ant. t. 3. *a.* Ecce venérunt: ponent Domino glóriam, & laudem ejus in Insulis nuntiábunt. *Is.* 42. 9. 12.

Ant. t. 8. *g.* Ædificábunt desérta à sæculo, & ruínas antíquas érigent, & instaurábunt civitates dissipátas. *Is.* 61. 4.

Capitulum. Is. 66. 12. 19. 20.

HÆc dicit Dóminus... Mittam ex eis qui salvati fúerint, ad gentes,.. ad Insulas longè, ad eos qui non audiérunt de me. Et annuntiábunt gloriam meam géntibus, & addúcent omnes fratres vestros donum Dómino. ℟. Deo gratias.

℟. Testaméntum ætérnum constituit Deus cum illis, & * Judícia sua osténdit illis. Et † Magnalia honóris ejus vidit oculus illórum: & mandavit illis unicuique de próximo suo. ℣. Pósuit Deus in Ecclesia primùm Apóstolos; * * Judicia. Gloria. † Magnália. *Eccli.* 17. 10. 11. 12. 1. *Cor.* 12. 28.

HYMNUS.

QUos Christus ténebras
pellere méntibus,
(Ceu bissena novi lúmina fœderis)
Doctores fidei mittit Apóstolos,
Festo cármine pángimus.
Ut nubes pluviis densa salúbribus,
Veri fœta cohors tránsvolat æquora:
Christum voce tonat; fulsaque córruunt,
Verbi fúlmine, númina.
Velóces operi, quo páritur salus,
Plures per lácrymas, dum sterili sacrum
Fundunt semen agro, spem simul áureæ
Messis córdibus ínserunt.
Nec torménta movent impávidos mori:
Docti dura pati, móllia spérnere,
Fictas delícias, vánaque lúdicra
Mundi, quàm bene dédocent!
His Christi réferunt dógmata móribus,
Nascentísque gregis partúriunt fidem,
Quam, ne degéneri péctore décidat,
Fuso sanguine nútriunt.
Heu! nostris sua vox áuribus ínsonans
Hortatur; nec adhuc cordis ahéneam
Mollit durítiem: da per eos fata,
Da Numen, frúticet fides.
Sit laus summa Patri, summaque Filio:
Par sit, sancte, tibi glória, Spíritus,
Quo donante, ferunt lumen Apóstoli
Fines orbis ad último.
Amen.

℣. Magnificéntiam glóriæ sanctitatis tuæ loquentur:

℟. Et mirabilia tua narrabunt. *Ps.* 144. 5.

Ad Magnificat. Ant. t. 1. *D.* Exúrge, Jerúsalem, & vide collectos filios tuos ab Oriẽte sole usque ad Occidéntem in verbo sancti gaudentes Dei memóriâ. *Baruch.* 5. 5.

Oratio ut in Proprio Sanctorum.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invitat. Christum Apostolórum Magístrum & Dominum * Veníte, adoremus. *Joan.* 13. 13. *Psalmus* 94. Venite. *Pag* 2.

IN I. NOCTURNO.

Apostolorum vocatio, & electio.

Ant. t. 2. *D.* Vos Sacerdótes Dómini vocabímini: Ministri Dei nostri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis. *Is.* 61. 6.

Ant. t. 2. *d.* Vocabúntur fortes justítiæ, plantatio Dómini ad glorificándum *Is.* 61. 3.

Ant. t. 8. *C.* Ascéndent salvatóres in montem Sion: & erit Dómino regnum. *Abdiæ.* 1 21.

℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii:

℟. Constitues eos príncipes super omnem terram. *Ps.* 44. 17.

Pater noster, &c.

Tres primæ Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Laudemus viros gloriósos, & paréntes nostros in generatione sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificentiâ suâ à sæculo, * Hómines magni virtute, & prudentia sua prædíti, & imperantes populis sanctíssima verba. ℣. Vocávit Jesus ad se quos voluit; & venérunt ad eum: & fecit ut essent duódecim cum illo, * Hómines magni ... *Eccli.* 44. 1. 2. 3. 4. *Marc.* 3. 13. 14.

℟. 2. Pósuit Dóminus óculum suum super corda illorum, osténdere illis magnalia óperum suórum, * Ut nomen sanctificatiónis collaúdent, & magnalia enarrent óperum ejus. ℣. Elégit duódecim ex ipsis, quos & Apóstolos nominávit. * Ut nomen . . . *Eccli.* 17. 7. 8. *Luc.* 6. 13.

℟. 3. Qui dat lasso virtútem: * His fortitúdinem & robur multíplicat: † Assúment pennas sicut áquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non defícient. ℣. Ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret. . . * His fortitúdinem ... Glória . . . † Assúment. *Is.* 40. 29. 31. 1. *Cor.* 1. 28.

IN II. NOCTURNO.

Apostolorum missio; & ipsis data potestas:

Ant. t. 4. *A.* Seminábo eos in pópulis; & confortábo eos in Dómino; & in nómine ejus ambulabunt. *Zach.* 10. 9. 12.

Ant. t. 2. *D.* Annuntiáte in géntibus, & audítum fáci-

te: leváte signum, prædicáte, & nolíte celáre. *Jerem.* 50. 2.

Ant. t. 1. *d.* In doctrínis glorificáte Dóminum; in Insulis maris nomen Dómini Dei Israel. *Isa.* 24. 15.

℣. Annuntiáte inter gentes glóriam ejus, ℟. In ómnibus pópulis mirabília ejus. *Ps.* 95. 3.

Pater noster, &c.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Vox speculatórum tuórum, Sion: levavérunt vocem; óculo ad óculum vidébunt. * Consolátus est Dóminus pópulum suum: parávit bráchium sanctum suũ in óculis ómnium géntium. ℣. Duódecim Apóstolos misit Jesus; præcípiens eis, dicens: Eúntes prædicáte: quia appropinquávit regnum cœlorum. * Consolátus. *Is.* 52. 8. 9. 10. *Matth.* 10. 5. 7.

℟. 5. Aperíte portas, & ingrediátur gens justa, custodiens veritátem. * Vetus error ábiit: Servábis pacem, Dómine; pacem, quia in te sperávimus. ℣. Egressi circuíbant per castélla, evangelizantes & curantes ubíque. * Vetus error. . . . *Is.* 26. 2. 3. *Luc.* 9. 6.

℟. 6. Ite, ángeli velóces, ad gentem convulsam; * Ad pópulum terríbilem, post quem non est álius. † Omnes habitatóres orbis, cùm elevátum fúerit signum in móntibus, vidébitis. ℣. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. * Ad pópulum. Glória. † Omnes. *Is.* 18. 2. 3. *Matth.* 10. 16.

IN III. NOCTURNO.

Apostolorum prædicatio: & fructus.

Ant. t. 7. *D.* Elécti mei non laborabunt frustrà, quia semen benedictórum Dómini est. *Isa.* 65. 23.

Ant. t. 5. *F.* Sanctificábunt sanctum Jacob, & Deũ Israel prædicabunt. *Is.* 29. 23.

Ant. t. 3. *a.* Pópulus, quem ignóro, sérviet mihi: filii alieni audítu auris obédient mihi. 2. *Reg.* 22. 44. 45.

℣. Dóminus dabit verbum Evangelizántibus, ℟. Virtúte multâ. *Ps.* 67. 12.

Pater noster, &c.

Evang. & Homil. ut in Proprio.

℟. 7. Nova bella elégit Dóminus: qui próprià voluntáte obtulístis vos discrímini, benedícite Dómino: qui sedétis in judício, loquímini. * Salvatæ sunt relíquiæ pópuli, Dóminus in fortibus dimicávit. ℣. Magnificábat eos pópulus, augebatur credentium in Dómino multitudo. * Salvatæ sunt. *Judic.* 5. 8. 9. 10. 13. *Act.* 5. 13. 14.

℟. 8. Spíritum tuum bonum dedísti, Dómine, qui docéret eos. * Et dedisti eis regna, & populos, & partitus es eis sortes: & multiplicasti filios eorum sicut stellas cœli. ℣. Salutem

de qua exquisiérunt Prophétæ, evangelizavérunt, Spíritu sancto misso de cœlo. * Et dedísti . . 2. *Esd.* 9. 20. 22. 23. 1. *Petri.* 1. 10. 12.

℟. 9. Magnificávit Dóminus fácere cum eis. * Eúntes ibant & flebant, mitténtes sémina sua. † Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos ℣. Illi pertransíbant narrántes conversiónem géntium, & faciébant gaúdium magnum. * Eúntes . . . Glória. † Veniéntes. *Ps.* 125. 2. 6. *Act.* 15. 3.

Te Deum *dicetur.*

AD LAUDES.

Apostolorum virtutes: & per eos facta judicia.

℣. *Sacerdotalis.* Pósuit in eis Dóminus verba signórum suórum, ℟. Et prodigiórum in terra. *Ps.* 104. 27.

Ant. t. 1. *A.* ISti hómines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salútis *Act.* 16. 17.

Ant. t. 5. *A.* Dedit illis Jesus virtutem & potestátem super ómnia dæmonia, & ut languores curarent. *Luc.* 9. 1.

Ant. t. 2. *D.* Prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, & sermónem confirmánte, sequentibus signis. *Marc.* 16. 20

Ant. t. 6. *f.* Erat manus Dómini cum eis; multúsque númerus credéntium convérsus est ad Dóminum. *Act.* 11. 21.

Ant. t. 7. *C.* Loquebántur verbum Dei cum fidúcia: & gratia magna erat in ómnibus. *Act.* 4. 31. 33.

Capitulum. Heb. 2. 3. 4.

CUm inítium accepísset salus enarrári per Dóminum, ab eis qui audiérunt, in nos confirmáta est, contestáte Deo signis & porténtis, & váriis virtútibus.

℣. Glóriam regni tui dicent; ℟. Ut notam fáciant filiis hóminum poténtiam tuam. *Ps.* 144. 11. 12.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* In fundaméntis civitátis sanctæ Jerúsalem nómina duódecim Apostolórum Agni. *Apoc.* 21. 14. *Oratio ut in Proprio.*

AD PRIMAM.

Ad Horas Antiphonæ de Laudibus quarta prætermissa, quod semper observatur.

Ant. Isti hómines.

Capitulum. Regi sæculórũ, &c. *Canon, ut in Proprio de Tempore, reliqua ut in Psalterio.*

AD TERTIAM.

Ant. Dedit illis.

Capitulum. Act. 5. 12.

PEr manus Apostolórum fiébant signa & prodígia multa in plebe.

In Duplicibus. ℟. Ecce dedi vobis potestátem super omnem virtútem inimíci. * Verúmtamen in hoc nolíte gaudére: † Gaudéte autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. ℣. Dabo vos in nomen, & in laudem ómnibus pópulis terræ. * Verúmtamen . . . Glória † Gau-

déte . . . *Luc.* 10. 19. 20. *Soph.* 3. 20.

℣. Nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus; ℟. Nimis confortátus est principátus eórum *Ps.* 138. 17.

In Semiduplicibus, & per Oct. ℟. *br.* Príncipes populórum congregáti sunt * Cum Deo Abraham: (*rep.*) Príncipes: ℟. Quóniam dii fortes terræ, vehementer eleváti sunt (*rep.*) Cum Deo. Glória. (*resum.*) Príncipes. *Ps.* 46. 10.

℣. Nimis honorificáti sunt &c. *ut suprà.*

Oratio ut in Proprio

AD SEXTAM.

Ant. Prædicavérunt

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 19. 20.

POsuit Deus in nobis verbum reconciliatiónis. Pro Christo ergo legatióne fún gimur, tamquam Deo exhortánte per nos.

℟. *br.* In omnem terram * Exívit sonus eórum. (*rep.*) In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. (*rep.*) Exívit. Glória.. (*rep.*) In omnem. *Ps.* 18. 5.

℣. Non sunt loquélæ, neque sermónes, ℟. Quorum non audiántur voces eórum. *Ps.* 18. 4.

AD NONAM.

Ant. Loquebántur.

Capitulum. Eph. 2. 19. 20.

FRatres, Jam non estis, hóspites & ádvenæ: sed estis cives sanctórum & doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum, & Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu.

℟. *br.* Annuntiavérunt * Opera Dei. (*rep.*) Annuntiavérunt. ℣. Et facta ejus intellexérunt. (*rep.*) Opera. Glória. (*resum.*) Annuntiavérunt. *Ps.* 63. 10.

℣. Confitébimur tibi, Deus; ℟. Narrábimus mirabília tua. *Ps.* 74. 2.

AD II. VESPERAS.

Apostolorum labores, & ipsorum post passionem gloria.

Ant. 1. VIrtúte magnâ reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi. *Act.* 4. 33.
3. *A.*

Ant. t. 5. *F.* Ibant gaudéntes, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Jesu contumeliam pati. *Act.* 5. 41.

Ant. t. 1. *d.* Tradidérunt ánimas suas pro nómine Dómini nostri Jesu Christi. *Act.* 15. 26.

Ant. t. 8. *G.* Apóstoli Ecclesiárum, Glória Christi. 2. *Cor.* 8. 23.

Ant. t. 6. *f.* Exúlta super Babylónem, cœlum, & sancti Apóstoli; quóniam judicávit Deus judícium vestrum de illâ. *Apoc.* 18. 20.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. 9.

DEus nos Apostolos novíssimos ostendit, tamquam morti destinátos: quia spectáculũ facti sumus mundo, & Angelis, & homínibus.

HYMNUS. *Ex Sanct. Vict.*

QUem misit in terras Deus,
Ut morte nos servet suâ,
Amóris hic fidos suî
Vos éligit Vicários.

Occísus Agnus à lupis,
Vos misit agnos ad lupos:
Mores ferínos éxuunt,
Agni repénte de lupis.

Quæ victimárum cædibus
Tellus madébat ímpiis,
Vestris eam sudóribus,
Vestro piástis sánguine.

Hoc rore facta pínguior,
Quot illa fructus prótulit!
Quæ, quanta surréxit seges!
Et ista nos seges sumus.

Quam si bonus respéxeris,
Qui das rigátis créscere;
Illuménta nos cœlestibus
Matúra condes hórreis.

Uni sit & Trino Deo
Suprema laus, summū decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocavit glóriæ.
Amen.

℣. Qui séminant in lácrymis, ℟. In exultatióne metent. *Ps.* 125. 5.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Sedébitis & vos super sedes duódecim, judicántes duodecim tribus Israel. *Matth.* 19. 28.

Oratio ut in Proprio.

COMMUNE UNIUS MARTYRIS.

IN I. VESPERIS.

Certanti pro justitia adjuturum se promittit Deus.

Ant. t. 1. *d.* JUstus quasi leo confídens, absque terróre erit. *Prov.* 28. 1.

Ant. t. 3. *E.* In tentatióne Deus illum conservábit, non illidétur quasi in procélla navis. *Eccli.* 33. 1. 2.

Ant. t. 2. *d.* Bonus Dóminus, & confórtans in die tribulatiónis; & sciens sperántes in se. *Nahum.* 1. 7.

Ant. t. 7. *D.* Pro certo habet omnis qui te colit, Dómine, quòd vita ejus, si in probatióne fúerit, coronábitur. *Tob.* 3. 21.

Ant. t. 5. *A.* Usque in tempus sustinébit patiens, & postea rédditio jucunditátis. *Eccli.* 1. 29.

Capitulum. Josue. 1. 9.

ECce præcípio tibi, confortáre, & esto robústus. Noli metúere, & noli timére: quóniam tecum est Dóminus Deus tuus.

In Duplicibus. ℟. Benedictus vir qui confídit in Dómino, * Erit Dóminus fidúcia ejus. † Non timébit cùm vénerit æstus. ℣. Si propter Dei consciéntiam sústinet tristítias, pátiens injúste. * Erit Dóminus. Glória. † Non timébit. *Jerem.* 17. 7. 8. 1. *Petri* 2. 19.

HYMNUS.

MArtyr sancte, tibi débita nos decet
Virtútis mémores prómere cántica:
Quem nec blandítiis, nec pótuit minis

Fallax víncere sæculum.
Mundi spernis opes, fluxaque gaúdia;
Diras nec métuis carníficum manus:
Enses, flagra, rotas, ómnia pérpeti,
Victrix te dócuit fides.
Ut Christo móriens, quà póteris tuâ
Reddas morte vices, víctima víctimæ,
Tu pœnas ávidâ mente præóccupas,
Divínæ necis æmulus.
I nunc, sancte pugil, quò pia prælia,
Quò te magna vocant præmia mílitem:
Præsens Christus adest: hoc duce, non cades,
Ni victâ nece fórtior.
Æternùm cita mors vívere Martyri
Quòd spondet, próperas, Martyr, ovans mori,
Palmam dum móriens conséqueris tibi,
Firmas, nosque mori doces.
Et nos christíadæ, blanda per ótia
Vitæ delícias quærimus ánxii,
Nostram segnítiem dúriùs íncrepat
Fuso sánguine víctima.
Patri máxima laus, máxima Fílio,
Ambórumque sacro máxima Flámini,
Qui dat Martyribus mille neces pati,
Et per fúnera víncere.
Amen.

℣. Justus cùm cecíderit, non collidétur: ℟. Quia Dóminus suppónit manum suâ. *Ps.* 36. 24.

Ad Magnificat. *Ant. t.* 5. *F.* Ecce Deus salvátor meus, fiduciáliter agam, & non timébo: quia fortitúdo mea, & laus mea Dóminus. *Is.* 12. 2.

Oratio ut infrà ad Laudes, nisi sit Propria.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Christum qui dat vincénti manna abscónditum; * Veníte, adorémus. *Apoc.* 2. 17. *Ps.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Firmus Martyris ad pugnam se præparantis animus.

Ant. t. 1. *A.* Non mihi contíngat párcere ánimæ meæ in omni témpore tribulatiónis. 1. *Mach.* 13. 5.

Ant. t. 7. *D.* Prompto ánimo pro sanctíssimis légibus, honestâ morte perfungar. 2. *Mach.* 6. 28.

Ant. t. 8. *G.* In quocúmque loco fúeris, Dómine, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus. 2. *Reg.* 15. 21.

℣. Fortitúdinem meam ad te custódiam; ℟. Quia Deus suscéptor meus es. *Ps.* 58. 10.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. E cœlo membra ista possídeo; sed * Propter Dei leges nunc hæc ipsa despício, quóniam ab ipso me

ea receptúrum ſpero. ℣. Ego non ſolum alligári, ſed & mori parátus ſum, propter nomen Dómini Jeſu. * Propter Dei leges. 2. *Mach.* 7. 11. *Act.* 21. 13.

℟. 2. Angúſtiæ ſunt mihi úndique: ſed * Mélius eſt mihi abſque ópere incídere in manus veſtras, quàm peccáre in conſpéctu Dómini. ℣. Víncula & tribulatiónes me manent; ſed nihil horum véreor. * Mélius *Dan.* 13. 22. 23. *Act.* 20. 23. 24.

℟. 3. Ille glorioſíſſimam mortem magis quàm odíbilem vitam compléctens, voluntáriè præíbat ad ſupplícium; patiénter súſtinens, * Deſtinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. ℣. Magis éligens afflígi, quàm temporális peccati habére jucunditátem. * Deſtinávit. Glória. * Deſtinávit. 2. *Mach.* 6. 19. 20. *Heb.* 11. 25.

IN II. NOCTURNO.

Martyris in tormentis & in morte conſtantia.

Ant. t. 8. *C.* Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, & ſciret quóniam ómnium poténtior eſt ſapiéntia. *Sap.* 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Torménta ſuſcépit; ita ut miraréntur, quòd tamquam nihilum dúceret cruciátus. 2. *Mach.* 7. 8. 12.

Ant. t. 3. *a.* Mundus óbiit, per ómnia in Dómino confidens. 2. *Mach.* 7. 40.

℣. Deo ſubjécta eſto, ánima mea; ℟. Quoniam ab ipſo patiéntia mea. *Pſ.* 61. 6.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Dómine, qui habes ſanctam ſciéntiam, maniféſtè tu ſcis, quia, cùm à morte poſſem liberári, * Duros córporis ſuſtíneo dolóres: ſecúndùm ánimã verò propter timórem tuum libénter hæc pátior. ℣. Pátior, ſed non confúndor. Scio enim cui crédidi. * Duros. 2. *Mach.* 6. 30. 2. *Tim.* 1. 12.

℟. 5. Nequáquam ut mori ſolent ignávi mórtuus eſt; ſed * Sicut ſolent cádere coram fíliis iniquitátis, ſic corruíſti. ℣. Confortátus fide, dans glóriam Deo. * Sicut. 2. *Reg.* 3. 33. 34. *Rom.* 4. 20.

℟. 6. Hanc tentatiónem * Ideò permíſit Dóminus evenire illi, ut póſteris darétur exémplum patiéntiæ ejus. ℣. In labóribus plúrimis, in carcéribus abundántiùs, in plagis ſupra modum, in mórtibus frequénter. * Ideò. Glória. * Ideò. *Tob.* 2. 12. 2. *Cor.* 11. 23.

IN III. NOCTURNO.

Per Deum Martyris victoria.

Ant. t. 8. *C.* Honeſtávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. *Sap.* 10. 10.

Ant. t. 3. *A.* In fraude circumveniéntium illum áffuit illi. *Sap.* 10. 11.

Ant. t. 2. *D.* Intrávit in

animã servi Dei, & stetit contra reges horrendos in porténtis & signis. *Sap.* 10. 16.

℣. Tu, Dómine, adjuvisti me; ℟. Et consolátus es me. *Ps.* 85. 17.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Factus es mihi adjútor, Dómine, & liberásti me * A rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me. ℣. Dóminus mihi ástitit, & confortávit me, & liberátus sum de ore leónis. * A rugiéntibus. *Eccli.* 51. 3. 4. 5. 2. *Tim.* 4. 17.

℟. 8. Post tempestátem, tranquíllum facis, Dómine; & post lacrymatiónem & fletum, exultatiónẽ infúndis. * Sit nomen tuum, Deus Israel, benedíctum in sæcula.

℣. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus dedit consolatiónem ætérnam, & spem bonam in grátia. * Sit nomen. *Tob.* 3. 22. 23. 2. *Thes.* 2. 15.

℟. 9. Deus à peccatóribus liberávit eum, descendítque cum illo in fóveam, & * In vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi poténtiam advérsùs eos qui eum deprimébant. ℣. Erat Deus cum eo: & erípuit eum ex ómnibus tribulatiónibus ejus. * In vínculis. Glória. * In vínculis. *Sap.* 10. 13. 14. *Act.* 7. 9. 10.

In Duplicibus & Semiduplicibus dicitur Te Deum; *& sic in omni alio Communi.*

AD LAUDES.

E cælo missæ consolationes quæ Martyris animam lætificant mediis in tribulationibus.

℣. *Sacerdotalis.* Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, ℟. Et exultábo manè misericórdiã tuam. *Ps.* 58. 17.

Ant. t. 1. *D.* Non fácio ánimã meã pretiosiórem quàm me, dúmmòdo consúmmem cursum meum. *Act.* 20. 24.

Ant. t. 3. *A.* Pláceo mihi in persecutiónibus, in angústiis pro Christo. 2. *Cor.* 12. 10.

Ant. t. 8. *G.* Replétus sum consolatióne, superabúndo gaúdio in omni tribulatióne 2. *Cor.* 7. 4.

Ant. t. 6. *f.* Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. *Phil.* 1. 20.

Ant. t. 8. *C.* Omnia detriméntum feci, ut Christum lucrifáciam. *Philip.* 3. 8.

Capitulum. 1. *Joan.* 5. 4.

Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victória quæ vincit mundum, fides nostra.

℣. Dóminus exaudívit eum; ℟. Et de ómnibus tribulatiónibus ejus salvávit eum. *Ps.* 33. 7.

Ad Bened. *Ant.* t. 5. *F.* Qui perdíderit ánimã suam propter me, & Evangélium, salvam fáciet eam. *Marc.* 8. 35.

Oratio si sit Pontifex.

OMnípotens sempitérne Deus, qui in Sanctórum tuórum virtúte es mirábilis; da nobis Beáti N. festivitatem cóngruis honóribus, & sédulâ imitatióne celebráre; qui Filii tui Martýr & Póntifex, quod ministério gessit, testimónio comprobávit, & quod prædicávit ore, confirmávit exemplo: Per eumdem Dóminum, &c.

Alia Oratio si sit Pontifex.

FAc, nos, Dómine Deus, imitári sacerdotálē constántiam Beáti N. Mártyris tui atque Pontificis; ut fidem servantes, quam dócuit, ejúsdem corónæ consórtes effíciámur; Per Dóminum, &c.

Oratio pro Martyre tantùm.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui Beáti Mártyris tui N. natalítia cólimus, intercessióne ejus & exemplo, in tui nóminis amóre roborémur; Per Dóminum.

Alia Oratio pro Martyre tantùm.

DEus qui beátum Martyrem tuum N. virtúte constántiæ in passióne roborásti; tríbue, quæsumus, nos ex ejus imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidáre; Per Dóminum, &c.

Si facienda sit commemoratio alterius Martyris simpl. fiet per Ant. ad Magnif. & ℣. ex primis Vesperis: quod servatur in omni alio Communi.

AD TERTIAM.

Capitulum. Rom. 5. 3. 4. 5.

TRibulatio patiéntiam operátur: patiéntia autē probatiónem, probatio verò spem, spes autem non confúndit.

℟. *In Duplic.* Probávit me Dóminus quasi aurum, quod per ignem transiit. Vestígia ejus secútus est pes meus, * Viam ejus custodívi, & non declinávi ex ea. ℣. Ad cognoscendum Christum, & societátem passiónum illius, configurátus morti ejus. * Viam ejus. Glória. * Viam. *Job.* 23. 10. 11 *Philip.* 3. 10.

℣. In Deo sperávi, ℟. Non timébo quid fáciat mihi homo. *Ps.* 55. 11.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Si consístant advérsum me castra, * Non timebit cor meum. Si consístant. ℣. Si exúrgat advérsùm me prælium. * Non timébit. Gloria. Si. *Ps.* 26. 3.

℣. Dóminus illuminátio mea, & salus mea, ℟. Quem timébo? *Ps.* 26. 1.

Oratio ut in Laudibus.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 3. 5.

QUi vícerit, vestiétur vestiméntis albis, & confitebor nomen ejus corā Patre meo & coram Angelis ejus.

℟. *br.* Super salutáre tuum, Dómine, * Exultábit veheménter. Super. ℣. Desidériū cordis ejus tribuísti ei. *

Exultábit. Glória. Super. *Ps.* 20. 2. 3.

℣. Lætificábis eum in gaúdio, ℟. Cum vultu tuo. *Ps.* 20. 7.

AD NONAM.

Capitulum. Rom. 8. 18.

FRatres, Existimo quòd non sunt condignæ passiónes hujus temporis ad futúram gloriam, quæ revelabitur in nobis.

℟. *br.* Magna est glória ejus * In salutari tuo. Magna. ℣. Gloriam & magnum decórẽ impónes super eum.* In salutári. Glória. Magna. *Ps.* 20. 6.

℣. Dabis eum in benedictiónem, ℟. In sæculum sæculi. *Ps.* 20. 7.

AD II. VESPERAS.

Vincit & coronatur Martyr.

Ant. 1. 8. *G.* PRopter opus Christi usque ad mortem accéssit, tradens ánimã suam. *Philip.* 2. 30.

Ant. t. 7. *C.* Divítias æstimans impropérium Christi, aspiciébat in remuneratiónem *Hebr.* 11. 26.

Ant. t. 3. *e.* Expectábat fundaménta habéntem civitatem, cujus ártifex & cónditor Deus. *Hebr.* 11. 10.

Ant. t. 5. *f.* Deus justum oppréssum a nefandórum injúria erípuit. 2. *Petr.* 2. 7.

Ant. t. 6. *F.* Data est ei coróna, & exívit vincens ut vinceret. *Apoc.* 6. 2.

Capitulum. Jacob. 1. 12.

BEatus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cùm probátus fúerit, accipiet corónam vitæ, quam repromisit Deus diligẽtibus se.

HYMNUS. *ex Sant. Vict.*

EX quo, salus mortálium,
Fluxit sacer Dei cruor;
Homo redémptus æmulum
Deo litávit sánguinem.

Non jam crucis Christi pudet:
Quin surgit ingens glória
Deum fatéri mórtuum,
Pro mórtuo mori Deo.

Hoc ille plenus spíritu
Ridet minas, ridet neces;
Tuâque fretus déxterâ,
Tibi, Redémptor, mílitat.

Paráta spectans præmia,
Secúrus ad pœnam volat:
Sic pugnat, ut speret mori,
Et morte mortem víncere.

Unus tot armátas manus
Stupénte lassat júdice;
Et tortus ipsis qui cadit
Torquéntibus fit fórtior.

Da, Christe, tanti mílitis
Æquare facta fortia;
Da sustinére pro tuo,
Quodcúmque durũ, nómine.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus
Tibi, Deus sit glória. Amen.

℣. Posuisti, Dómine, in cápite ejus corónam, ℟. De lápide pretioso. *Ps.* 20. 4.

Ad Magn. *Ant.* t. 1. *D.* Bonum certámen certavi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justitiæ. 2. *Timoth.* 4. 7. 8.

Oratio ut suprà ad Laudes, nisi sit propria.

COMMUNE PLURIUM MARTYRUM.

IN I. VESPERIS.

Tribulatione, electorum suorum virtutem probat Dominus.

Ant. t. 1. D. PRobat hómines justos tentátio tribulatiónis. *Eccli.* 27. 6.

Ant. t. 3. *A.* Quasi holocaústi hóstiam accépit illos Deus, & in témpore erit respéctus illórum. *Sap.* 3. 6.

Ant. t. 2. *D.* In paucis vexáti, in multis bene disponéntur, quóniam Deus tentávit eos, & invénit illos dignos se. *Sap.* 3. 5.

Ant. t. 1. *f.* Etsi coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. *Sap.* 3. 4.

Ant. t. 7. *D.* Ruent in gládio, & in flamma, & in captivitate, ut conflentur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum. *Dan.* 11. 33. 35.

Capitulum. Is. 51. 7. 8.

NOlite timere oppróbrium hóminum, & blasphemias eórum ne metuátis: sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis: Salus autem mea in sempitérnum erit.

In Duplic. ℟. Nunc séquimur te, Dómine, in toto corde, & timemus te; ne confundas nos: & * Erue nos in mirabílibus tuis; & da glóriã nomini tuo: & confundántur omnes qui osténdunt servis tuis mala.

℣. Datum est béstiæ bellũ fácere cum sanctis. * Erue nos. Glória. * Erue nos. *Dan.* 3. 41. 42. 43. 44. *Apoc.* 13. 7.

HYMNUS.

CHristi quis mémoret prælia militum?
Palmis illa nitet turba viréntibus,
Victorúmque gerit præmia nóbiles
Multo sánguine laúreas.
Aptántur mánicæ, vérbera, cómpedes:
Illi supplícium delícias putant;
Subdunt se gládiis; & súperat fides
Armis fortior omnibus.
Qui vincéndo cadunt, áspice mílites,
Non indígna, Deus, númine múnera;
Quot prostráta jacent córpora Mártyrum,
Hæc sunt tot tibi víctimæ.
Et vos quæ, púgiles, glória múnerat,
Cùm vestros cíneres plebs colit ósculis?
Ultor nempe Deus pensat honóribus
Summis opprobriũ necis.
Tortori nócuit, prófuit & furor
Victis, queis títulos, nómen & addidit;
Quos delére cupit, cónsecrat ínsciũs
Fuso sanguine Mártyres.

Vincéndi genus hoc Martyribus novum :
Victis est sua laus, est sua gloria;
Victi dum cáditis, fúneris è sinu
Victâ morte resúrgitis.
Sit laus summa Patri, súmmaque Filio;
Sit par, sancte, tibi glória, Spíritus,
Per quem magnánimi prælia sustinent
Contémptâ nece Martyres.
Amen.

℣. Custodit Dóminus ánimas Sanctorum suorum, ℟. De manu peccatoris liberábit eos. *Ps.* 96. 10.

Ad Magn. *Ant. t. 6. f.* Agnóscent qui derelicti sunt, quoniam glória magna est sequi Dóminum. *Eccli.* 23. 37. 38.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Dominum legítimè certantes coronántem, * Venite, adoremus. 2. *Timoth.* 2. 5.

IN I. NOCTURNO.

A Martyribus rogatur, & à Deo promittitur auxilium in tribulatione.

Ant. t. 5. *F.* Convenérunt advérsum nos, ut nos disperdant. Quómodo poterimus subsistere, nisi tu, Deus, adjuves nos? 1. *Mach.* 3. 52. 53.

Ant. t. 8. *C.* Qui ostèndunt servis tuis mala, confundantur in omnipoténtia tua; & sciant quia tu es Dóminus Deus solus. *Dan.* 3. 44. 45.

Ant. t. 1. *A.* Dómine, réspice ad nostram humilitatem, & fáciem sanctórum tuorum attende, & osténde quoniam non derelínquis præsuméntes de te. *Judith.* 6. 15.

℣. Da nobis auxílium de tribulatióne; ℟. Quia vana salus hóminis. *Ps.* 59. 13.

Lectiones de Scriptura occurrente.

℟. 1. Dóminus Deus vester in médio vestrî est, * Et pro vobis contra adversários dimicabit, ut eruat vos de periculo.

℣. Quóniam estis filii, misit Deus spíritum Filii sui in corda vestra. * Et pro vobis. *Deuter.* 20. 4. *Gal.* 4. 6.

℟. 2. Æmulatóres estote legis, & date ánimas vestras pro testamento patrum vestrorum. Et * Cogitate quia omnes qui sperant in Dominum, non infirmantur. ℣. Fidelis est Deus, qui confirmabit vos, & custodiet à malo. * Cogitate, 1. *Mach.* 2. 50. 61. 2. *Thess.* 3. 3.

℟. 3. Mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem. * Et † Spiritū vobis íterū cum misericórdia reddet & vitam, sicut vosmetipsos despicitis propter leges ejus. ℣. Non injustus Deus ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. * Et spíritum. Gloria. † Spiri-

tum. 2. *Mach.* 7. 23. *Hebr.* 6. 10.

IN II. NOCTURNO.

Pugnæ firmo se animo devovent Martyres.

Ant. t. 6. f. Propítius sit nobis Deus: non est nobis útile relínquere legem & justítias Dei, ut eámus alterâ viâ. 1. *Mach.* 2. 21. 22.

Ant. t. 3. a. Paráti sumus mori, magis quàm pátrias Dei leges prævaricari. 2. *Mach.* 7. 2.

Ant. t. 7. a. Moriámur omnes in simplicitáte nostra: & testes erunt super nos cœlum & terra, quòd injústè pérditis nos 1. *Mach.* 2. 37.

℣. Non discédimus à te, vivificábis nos; ℟. Et nomen tuũ invocábimus. *Ps.* 79. 19.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Absit à nobis ut relinquámus Dominum, & serviamus diis aliénis: * Dómino Deo nostro serviémus, & obedientes érimus præcéptis ejus. ℣. Quis nos separabit à charitáte Christi? Tribulatio? An angústia? An fames? An persecútio? An gládius? neque mors, neque vita póterit nos separáre à charitáte Dei. * Domino. *Josue.* 24. 16. 24. *Rom.* 8. 35. 38. 39.

℟. 5. Dóminus Deus aspíciet veritátem, & consolábitur in nobis: * Pótius est ab homínibus morti datos spem expectáre à Deo, íterum ab ipso resuscitandos. ℣. Deus omnis grátiæ qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam, módicùm passos ipse perfíciet. * Pótius est. 2. *Mach.* 7. 6. 14. 1. *Petr.* 5. 10.

℟. 6. Nos ergo non ulciscámur nos pro his quæ pátimur, sed * Reputántes hæc ipsa supplícia esse flagélla Dómini, quibus quasi servi corrípimur, ad emendatiónem, & non ad perditiónem nostram, evenísse credámus. ℣. Ecce beatificámus eos qui sustinuérunt; quóniam miséricors Dóminus est. * Reputántes. Glória. * Reputántes. *Judith.* 8. 26. 27. *Jacob.* 5. 11.

IN III. NOCTURNO.

Martyrum in doloribus & in morte fortitudo.

Ant. t. 2. D. Convaluérunt ánimis; non solùm hómines, sed & béstias ferocíssimas, & muros férreos paráti penetráre. 2. *Mach.* 11. 9.

Ant. t. 8. G. Ibant prompti, de cœlo habéntes adjutórem, & miserántem super eos Dóminum. 2. *Mach.* 11. 10.

Ant. t. 6. f. Placuérunt Deo, per multas tribulatiónes trãsiérunt fidéles. *Judith.* 8. 23.

℣. Multæ tribulatiónes justórum; ℟. Et de omnibus his liberábit eos Dóminus. *Ps.* 33. 20.

Evang. & Lectiones, ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dedísti nos tamquam oves escárum: posuísti nos oppróbrium, subsannatiõnẽ,

& derísum his, qui sunt in circúitu nostro. Hæc ómnia venérunt super nos, * Nec obliti sumus te. ℣. Sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur totâ die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis.* Nec obliti. Ps. 43. 12. 14. 18. Rom. 8. 36.

℟. 8. Benedíctus Deus eórum; éruit servos suos qui credidérunt in eum: * Et tradidérunt córpora sua ne adorárent omnem deum, excépto Deo suo. ℣. Ludíbria, & vérbera expérti sunt, insuper & víncula, & cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. * Et tradidérunt. Dan. 3. 95. Hebr. 11. 36. 37.

℟. 9. Ecce bellum advérsùs sanctos, donec venit antíquus diérum, & judícium dedit sanctis Excélsi, * Et. † Regnũ obtinuérunt sancti. ℣. Per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adepti sunt repromissiónes. * Et regnũ. Glória. Regnum. † Dan. 7. 21. 22. Hebr. 11. 33.

AD LAUDES.

Post passionem & victoriam Martyribus gratulatur Ecclesia.

℣. *Sacerd.* Clamavérunt justi, & Dominus exaudívit eos: ℟. Ex ómnibus tribulatiónibus eorum liberavit eos. Ps. 33. 18.

Ant. t. 1. F. QUi sponte obtulistis ánimas vestras ad perículum, benedícite Dómino. Judic. 5. 2.

Ant. t. 8. G. Vobis donátum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis, sed ut étiam pro illo patiámini. Philip. 1. 29.

Ant. t. 3. A. Magnum certámen sustinuístis passiónum, oppróbriis, & tribulatiónibus spectáculum facti. Hebr. 10. 32. 33.

Ant. t. 5. A. Exultábitis lætítiâ inenarrábili, & glorificatâ, reportántes finem fidei vestræ, salutem animárum. 1. Petr. 1. 8. 9.

Ant. t. 6. f. In vobis gloriámur in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide in ómnibus persecutiónibus vestris. 2. Thess. 1. 4.

Capitulum. Jac. 1. 2. 3. 4.

OMne gaudium existimáte, fratres mei, cùm in tentationes várias incidéritis: sciéntes quòd probátio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet.

℣. In te, Dómine, speravérunt, ℟. Et liberásti eos. Ps. 21. 5.

Ad Bened. Ant. t. 1. D. Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis. 2. Cor. 1. 7.

Oratio si sint Pontifices.

DEus, cujus grátiâ sancti Mártyres, & Pontífices N. & N. mundi nec blandítiis, nec terroribus devicti sunt: da nobis, ut te solùm diligentes, prosperis mundi, vel advérsis non vincamur;

támur; Per Dóminum, &c.

Alia Oratio.

BEatórum Mártyrũ tuórum & Pontificum N. & N. nos quæsumus, Dómine, festa tueántur, & eórum commendet orátio veneránda; Per, &c.

Oratio pro Martyribus tantùm.

EXaúdi, Dómine, Mártyrum tuórum N. & N. victórias celebrántes, ut, córdibus ex eorum passióne succénsis, in lege tua fideliter ambulémus; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tui N. & sociorum solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecamur; ut in tua charitáte radicáti, & fundáti, passiónes hujus témporis amóre illíus glóriæ, quæ revelánda est in nobis, voléntí & invícto ánimo sustineámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Petr.* 4. 14.

SI exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ & virtútis Dei, & qui est ejus spíritus, super vos requiéscit.

In Dupl. ℟. Justi decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, * Et Victrícem manum tuam laudavérunt páriter. ℣. In multo experimento tribulatiónis, abundántia gaudii ipsorum fuit. Et victrícem. Gloria. * Victrícẽ. *Sap.* 10. 20. 2. *Cor.* 8. 2.

℣. Vox exultatiónis & salútis, ℟. In tabernáculis justorum. *Ps.* 117. 15.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Exúltent justi * In conspéctu Dei: Exúltent. ℣. Et delecténtur in lætitia.* In conspectu Dei. Glória. Exúltent. *Ps.* 67. 4

℣. Proteges eos, Dómine, ℟. In tabernaculo tuo. *Ps.* 30. 21.

AD SEXTAM.

Capitulum. Apoc. 21. 4.

ABstérget Deus omnem lácrymã ab óculis sanctórum: & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra; quia prima abiérunt.

℟. *br.* Ad te clamavérunt, * Et salvi facti sunt: Ad te. ℣. In te speravérunt, & non sunt confusi, * Et salvi. Glória. Ad te. *Ps.* 21. 6.

℣. In ætérnum exultábunt: ℟. Et habitábis in eis. *Ps.* 5. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 22. 14.

BEáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni: ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitátem.

℟. *br.* Lætáti sumus pro diebus, * Quibus nos humiliasti. Lætati. ℣. Annis, quibus vídimus mala. * Quibus. Glória. Lætati. *Ps.* 89. 15.

℣. Transívimus per ignem & aquam: ℟. Et eduxísti nos in refrigérium. *Ps.* 65. 12.

AD I. VESPERAS.

Martyrum plurium: & Martyrum [illegible]

Ant. t. 1. *A.* HI sunt, qui venerunt ex tribulatione magna, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. *Apoc.* 7. 14.

Ant. t. 5. *F.* Isti vicerunt, & non dilexerunt animas suas usque ad mortem: propterea lætamini, cœli, & qui habitatis in eis. *Apoc.* 12. 11. 12.

Ant. t. 4. *E.* Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis ut requiescerent. *Apoc.* 6. 11.

Ant. t. 3. *A.* Modico nunc dolóre sustentato, sub testaménto ætérnæ vitæ effecti sunt. 2. *Mach.* 7. 36.

Ant. t. 7. *D.* Lætabúntur coram te, Dómine, sicut qui lætántur in messe, sicut exultant victores captâ prædâ. *Is.* 9. 3.

Capitulum. 2. *Cor.* 4. 17.

ID quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitáte æternum glóriæ pondus operátur in nobis.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

QUam, Christe, signasti viam,
Pretium, pretioso sanguine,
Per hanc qui te fortiter
Ducem sequuntur milites.

Fossis manus, fossis pedes,
Ovans ad astra convolas,
Et membra truncis, Martyres
Addunt triumpho se tuo.

Omnes in ostro splendidi
Tuum tribunal ambiunt:
Accepta monstrant vulnera,
Et per tot ora supplicant.

Audire, si nos respuis,
Quos criminum moles gravat:
Audi tuos, qui sanguinem
Fudere pro te, Martyres.

Fac, si tyrannus deficit,
Ne blandiendo mollius
Frangat voluptas pectora
Ipsis tyrannis sævior.

Æterne tu Verbi Pater,
Æterne Fili, par Patri
Et par utrique, Spiritus
Tibi, Deus, sit gloria.
Amen.

℣. Confitebúntur nómini tuo, Domine: ℟. Et habitabunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139. 14.

Ad Magnific. Ant. t. 5. *F.* Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. *Sap.* 5. 5.

Oratio ut suprà in Laudibus.



COMMUNE UNIUS CONF. CHRISTI.

(*Qui scilicet coram Tyranno passus, in pace tamen obiit.*)

Omnia de Communi, secundùm dignitatem Sancti, exceptis quæ notantur infrà.

AD I. VESPERAS.

HYMNUS.

ECquis magnánimus se pugil exhibet?
Fit verbum gládius, fit clypeus fides;
Athletámque Dei præparat árdua
Ad certámina véritas.
Reges ante feros impávidus volat,
Testatúrque fidem, nil métuit mori,
Os, virésque, sui pollíciti memor,
Præsens suppéditat Deus.
Frustrà barbáries explícuit cruces;
Nil torménta movent: ore serénior,
Et fidens ánimi, promptus ad omnia
Pœnas inter ovat suas.
Perpessis tua jam sat cruciátibus
Commendáta fides: súscipit hostiam,
Ceu mactáta foret, Christus, & ímpias
Tortórum cóhibet manus.
Osténtas lacero córpore vúlnera,
Tamquam pulchra tuæ stemmata glóriæ:
Aptatúrque sacro, digna labóribus
Merces, laúrea vértici.
Patri máxima laus, máxima Fílio
Sit par, sancte, tibi laus quoque, Spíritus;
Fac mentes répleat lúmine véritas,
Urat péctora cháritas.
Amen.

℣. Dóminus mihi adjútor;
℟. Et ego despíciam inimícos meos. *Ps.* 117. 7.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *D.* Dómine, protéctor factus es mihi, & liberásti corpus meum à perditióne, & in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. *Eccli.* 51. 2. 3.

Oratio.

DEus, pro cujus nómine beátus N. Conféssor tuus (& Póntifex) passiónes invíctâ fide sustínuit; da nobis ejus exémplo magis elígere afflígi in hoc sæculo, quàm temporális peccáti habére jucunditátem; Per, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Deum patientiæ & solátii * Venite, adorémus. *Rom.* 15. 5.

Reliqua ut in Officio secundùm dignitatem Sancti.

AD LAUDES.

℣. *Sacerd. Ant. & Capitulum ut in Communi pro dignitate Sancti.*

℣. Propter verba labió-

[illegible]

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS

AD I. VESPERAS

In [illegible] Domini.

Ant. 1 *3. a.* Quaesivit Dominus sibi virum juxta cor suum; & praecepit ei ut esset dux super populum suum. *1. Reg.* 13. 14.

Ant. 2. 8. *G.* Ipsum elegit Dominus Deus, ut stet, & [illegible] Domini. *Deut.* 18. 5.

Ant. 3. 1. *D.* Gestabit in [illegible] Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper. *Exod.* 28. 30.

Ant. 4. 5. *F.* Erit ipsi pactum sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo. *Num.* 25. 13.

Ant. t. 1. *F.* Quemcúmque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16. 7.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet: & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Christo meo cunctis diebus.

℟. *In Duplic.* Locútus es sanctis tuis, Dómine, & dixísti: Invéni servum meum: * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens dixit: Invéni virum secúndùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Ps.* 88. 20. 21. 22. *Act.* 13. 22.

HYMNUS *Ex Guill. Ep. Santon.*

CHriste, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis Festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Strénuum bello púgilem supérni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu; posuítque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma
Lætus impéndit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegísti, & assumpsísti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64. 5.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* Ipsum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre sacrifícium Deo, incénsum, & bonum odórem pro pópulo suo. *Eccl.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Christum Pastórum príncipem; * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

IN I. NOCTURNO.

Non nisi vocatus, sibi sumit honorem, Pontifex.

Ant. t. 2. *D.* Vocávit eum Dóminus, & ait ei: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas

rum tuórum, ℟. Ego custodívi vias duras. *Ps.* 16. 4.

Ad Benedic. *Ant. t.* 8. *G.* Qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in Cœlis est. *Matth.* 10. 32.

Oratio ut suprà.

AD II. VESPERAS.

HYMNUS.

COnféctor ictus si tibi
deficit,
Nil inde laudi detráhitur
tuæ:
Mortem volúntas antevértit
Martyrium facit hæc volúntas.
O ter beátos! dura quibus
pati
Pro Christiáno nómine
cóntigit;
Sunt nempe truncis ista
membris
Eméritæ monuménta
palmæ.
Sunt & futúri pígnora præmii:
Diláta merces mox redit
aúctior;
Sic, Christe, vis nos in
cœlo:
Matéries datur hæc
triúmphis.
Fac simus, & nos nómine
pro tuo
Semper paráti fúndere
sánguinem:
Quam corde toto veritátem
Crédimus, hanc fateámur ore.
Sit laus Parénti, sit quoque
Fílio,
Tíbique sit par glória,
Spíritus
Trinúmque dum vox confitetur,
Vera fides venerétur
unum.
Amen.

℣. Paulò minùs consummavérunt me in terra:
℟. Ego autem non derelíqui mandáta tua. *Ps.* 118. 87.

Ad Magnif. *Ant. t.* 5. *A.* Apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. 1. *Tim.* 6. 12.

COMMUNE UNIUS PONTIFICIS.

AD I. VESPERAS.

In Pontificis electione consilia Domini.

Ant. t. 3. *a.* QUæsívit Dóminus sibi virum juxta cor suum; & præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. 1. *Reg.* 13. 14.

Ant. t. 8. *G.* Ipsum elégit Dóminus Deus, ut stet, & minístret nómini Dómini. *Deut.* 18. 5.

Ant. t. 1. *D.* Gestábit judícium filiórum Israel in péctore suo, in conspéctu Dómini semper. *Exod.* 28. 30.

Ant. t. 5. *F.* Erit ipsi pactum sacerdótii sempitérnū, quia zelátus est pro Deo suo. *Num.* 25. 13.

Ant. t. 1. *F.* Quemcúmque elégerit Dóminus, ipse erit sanctus. *Num.* 16. 7.

Capitulum. 1. *Reg.* 2. 35.

SUscitábo mihi Sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum & ánimam meam fáciet: & ædificábo ei domum fidélem, & ambulábit coram Christo meo cunctis diebus.

℟. *In Duplic.* Locútus es sanctis tuis, Dómine, & dixísti: Invéni servum meum: * Oleo sancto meo unxi eum: † Manus mea auxiliábitur ei. ℣. Huic Deus testimónium pérhibens dixit: Invéni virum secúndùm cor meum. * Oleo. Glória. † Manus. *Ps.* 88. 20. 21. 22. *Act.* 13. 22.

HYMNUS *Ex Guill. Ep. Santon.*

CHriste, Pastórum caput atque princeps,
Præsulis Festam veneráta lucem,
Débitis supplex tua templa votis
Turba frequéntat.

Ille non vano ténuit treméndam
Spíritu sedem, próprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Dómino vocánte,
Sumpsit honórem.

Strénuum bello púgilem supérni
Chrísmatis pleno tuus unxit intus
Spíritus cornu; posuítque sanctam
Páscere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma
Lætus impéndit sua, seque; servus
Omnium, curis gravis, omnibúsque
Omnia factus.

Pro reis orat, réficit geméntes,
Erigit lapsos, tenebrásque pellit,
Fit potens verbo, docet alta, pravum
Cónterit hostem.

Fac ut illíus précibus juvémur,
Christe, fac Patrem, paritérque tecum
Spíritum jugi celebrémus hymno
Omne per ævum.
Amen.

℣. Beátus quem elegísti, & assumpsísti; ℟. Inhabitábit in átriis tuis. *Ps.* 64. 5.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* Ipsum elégit Dóminus ab omni vivénte, offérre sacrifícium Deo, incénsum, & bonum odórem pro pópulo suo. *Eccl.* 45. 20.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Christum Pastórum príncipem; * Veníte, adorémus. 1. *Petr.* 5. 4.

IN I. NOCTURNO.

Non nisi vocatus, sibi sumit honorem, Pontifex.

Ant. t. 2. *D.* Vocávit eum Dóminus, & ait ei: Vidi afflictiónem pópuli mei: veni, & mittam te, ut edúcas

pɔpulũ meũ. *Ex.* 3. 4. 7. 10.

Ant. t. 8. *G.* Vade in hac fortitúdine tua, & liberábis Iſrael: ſcito quòd míſerim te. *Judic.* 6. 14.

Ant. t. 3. *a.* Perge ígitur: tu eris in his quæ ad Deum pértinent. *Exod.* 4. 12. 16.

℣. Elégit Dominus ſervum ſuum, ℟. Páſcere hæreditátem ſuam. *Pſ.* 77. 70. 71.

Lectiones ex Scriptura occur.

℟. 1. Elégi eum ex ómnibus mihi in ſacerdótem * Ut aſcénderet ad altáre meũ, & adoléret mihi incénſum, & miniſtráret in conſpéctu meo. ℣. Nec quiſquam ſumit ſibi honórem, ſed qui vocátur à Deo tamquam Aáron: * Ut aſcénderet. 1. *Reg.* 2. 28. 30. *Hebr.* 5. 4.

℟. 2. Speculatórem dedi te dómui Iſrael: * Audiens ergo ex ore meo ſermónem, annuntiábis eis ex me: ℣. Deus præordinávit te, ut cognóſceres voluntátem ejus, & audíres vocem ex ore ejus: quia eris teſtis illíus ad omnes hómines eórum quæ audíſti. * Audiens. *Ezech.* 33. 7. *Act.* 22. 14. 15.

℟. 3. Cum párvulus eſſes in óculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es. * Unxit te Dóminus ſuper Iſrael, & miſit te. ℣. Qui vocávit vocatióne ſuâ ſanctâ, ſecúndũ propóſitum ſuum, & grátiam. * Unxit. 1. *Reg.* 15. 17. 18. 2. *Tim.* 1. 9.

IN II. NOCTURNO.

Vocationi ſuæ fidelis, paſcit oves verbo & exemplo.

Ant. t. 2. *d.* In omni ópere dedit confeſſiónem Sancto, & Excélſo in verbo glóriæ. *Eccli.* 47. 9.

Ant. t. 7. *D.* In fide ſua probátus eſt Prophéta, & cógnitus eſt in verbis ſuis fidélis. *Eccli.* 46. 17. 18.

Ant. t. 1. *A.* Juſtítiam & fidem conſervávit genti ſuæ, & exquisívit omni modo exaltáre pópulum ſuum. 1. *Mach.* 14. 35.

℣. Véritas mea, & miſericórdia mea cum ipſo: ℟. Et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. *Pſ.* 88. 25.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Unxit illum óleo ſancto: * Et dedit illi Dóminus in præcéptis ſuis poteſtátem, docére Jacob teſtimónia, & in lege ſua lucem dare Iſrael; ℣. Hic erat edóctus viã Dómini, & fervens ſpíritu loquebatur. * Et dedit. *Eccli.* 45. 18. 21. *Act.* 18. 25.

℟. 5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timórem, & tímuit me: à fácie nóminis mei pavébat. * Lex veritátis fuit in ore ejus. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei, in teſtimónium eórum quæ dicenda erant. * Lex. *Malach.* 2. 5. 6. *Hebr.* 3. 5.

℟. 6. Iníquitas non eſt invénta in lábiis ejus: in pace & in æquitáte ambulávit, * Et † Multos avértit ab iniquitáte. ℣. Hortabátur

omnes in propósito cordis permanére in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spíritu sancto. * Et multos. Glória. ✝ Multos. *Malach.* 2. 6. *Act.* 11. 23. 24.

IN III. NOCTURNO.

Pontificis pro ovibus labores.

Ant. t. 6. f. Pascébat servus tuus gregem, & veniébat leo, & eruébam, persequébar, & percutiébam. 1. *Reg.* 17. 34. 35.

Ant. t. 8. *C.* Die noctúque æstu urébar, & gelu, fugiebatque somnus ab óculis meis. *Gen.* 31. 40.

Ant. t. 2. *D.* Sic in domo tua servívi tibi, pro grégibus tuis. *Gen.* 31. 41.

℣. Exítus aquarum dedu-xérunt óculi mei: ℟. Tabéscere me fecit zelus meus. *Ps.* 118. 136. 139.

Evang. & Homilia ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem; * Et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus. ℣. Nocte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque. * Et super. *Is.* 21. 8. *Act.* 20. 31.

℟. 8. Absit à me hoc peccátum in Dóminum, ut cessem oráre pro vobis, * Et docébo vos viam bonam & rectam. ℣. Non quæro quæ vestra sunt, sed vos. Libentíssimè impéndam, & superimpéndar ipse pro animábus vestris. * Et docébo. 1. *Reg.* 12. 23. 2. *Cor.* 12. 14. 15.

℟. 9. Factus sum infírmis infírmus: ómnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. * Omnia fácio propter Evangélium; ut párticeps ejus effíciar. ℣. Zelátus sum bonum: proptérea bonam possidébo possessiónem. * Omnia. Glória. * Omnia. 1. *Cor.* 9. 22. 23. *Eccli.* 51. 24. 29.

AD LAUDES.

Quanti ex ejus zelo & laboribus fructus.

℣. *Sacer.* Justítia ejus manet in sæculū sæculi, ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Ps.* 111. 9.

Ant. t. 7. D. SAcérdos magnus in vita sua suffúlsit domum, & in diébus suis corroborávit templum. *Eccli.* 50. 1.

Ant. t. 2. *d.* Curávit gentem suam, & liberávit eam à perditióne. *Eccli.* 50. 4.

Ant. t. 5. *A.* Invéntus est perféctus, justus, & in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. *Eccli.* 44. 17.

Ant. t. 8. *G.* Zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. 1. *Mach.* 2. 54.

Ant. t. 6. f. Hic est fratrū amátor, & pópuli Israel: hic est qui multum orat pro pópulo. 2. *Mach.* 15. 14.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro; quia fi-

fidelem me existimavit, ponens in ministerio.

℣. Constituit eum dominum domus suæ; ℟. Et principem omnis possessionis suæ. *Ps.* 104. 21.

Ad Bened. Ant. c. 1. *D.* Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis; & in diebus peccatorum corroboravit pietatem. *Eccli.* 49. 3. 4.

Oratio.

EXaúdi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beati N. Pontificis festivitate deférimus: & ejus, qui tibi digne méruit famulári, intercedentibus meritis, ab omnibus nos absólve peccátis; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnipotens Deus, qui beatum N. Antistitem pópulo tuo præésse, & quibus præerat verbo & exemplo prodesse voluisti, eódem intercedénte Pastóres Ecclésiæ tuæ cum gregibus sibi commissis dirige in viam salútis ætérnæ, ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, & totâ virtúte perficiant; Per, &c.

Alia Oratio.

DA Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut mérita sancti Epíscopi N. pietátem tuam pro ipsa semper exórent, & fructum in nobis labórum ejus custódiant; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum Act. 20. 18. 19. 20.

VOs scitis, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, serviens Domino, cum omni humilitate, & lacrymis: quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos.

℟. *In Dom.* In bonitáte & alacritate animæ suæ * Plácuit Deo pro Israel: ideo statuit illi testamentū pacis, principem sanctorū & gentis suæ, ut sit illi sacerdótii dignitas in æternum. ℣. Exemplum fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide. * Placuit. Gloria. * Plácuit. *Eccli.* 45. 29. 30. 1. *Tim.* 4. 12.

℣. Deduxit eos in viam rectam; ℟. Ut irent in civitatē habitationis. *Ps.* 106. 7.

In Semid. ℟. *br.* Deduxit eos * In viam rectam. Deduxit. ℣. Ut irent in civitátem habitatiónis. * In viam. Glória. Dedúxit *Ps.* 106. 7.

℣. Abstulit sicut oves pópulum suum: ℟. Et deduxit eos in spe. *Ps.* 77. 52. 53.

AD SEXTAM.

Capitulum Act. 20. 26. 27.

COntéstor vos, quia mundus sum à sánguine ómnium. Non enim subterfúgi, quóminus annuntiarem omne consilium Dei vobis.

℟. *br.* Pavit eos * In innocéntia cordis sui. Pavit

℣. Et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. * In innocéntia. Gloria. Pavit. *Ps.* 77. 72.

℣. Edúxit eos de ténebris. ℟. Suscépit eos de via iniquitátis eórum. *Ps.* 106. 14. 17.

AD NONAM.

Capitulum. Act. 20. 31. 32.

NOcte & die non cessávi, cum lácrymis monens unumquémque vestrũ. Et nunc comméndo vos Deo, & verbo grátiæ ipsíus, qui potens est ædificáre, & dare hæreditátem in sanctificátis ómnibus.

℟. *br.* Salvum fecit Dóminus * Christum suum. Salvum. ℣. Exaudiet illum de cœlo sancto suo. *Christum. Glória. Salvum. *Ps.* 19. 7.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui. ℟. Impleat omnes petitiónes tuas. *Ps.* 19. 4. 7.

AD II. VESPERAS.

In cœlis coronatur Pontifex: & memoria ejus in benedictione est in terris.

Ant. t. 3. *a.* FIdélis servus & prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. *Math.* 24. 45.

Ant. t. 6. *f.* Hic est qui fuit in Ecclesia cum pátribus nostris: qui accépit verba vitæ dare nobis. *Act.* 7. 38.

Ant. t. 5. *A.* Erudítus est omni sapiéntiâ, & erat potens in verbis, & in opéribus suis. *Act.* 7. 22.

Ant. t. 7. *D.* Induit eum Dóminus stolam glóriæ, & coronávit eum in vasis virtutis. *Eccli.* 45. 9.

Ant. t. 1. *Irreg.* Euge, serve bone & fidélis, intra in gaúdium Dómini tui. *Math.* 25. 21.

Capitulum. 1. *Cor.* 11. 1. 2.

IMitatóres meî estóte, sicut & ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quòd per ómnia meî mémores estis.

HYMNUS. *Guill. Episc. Sant.*

JEsu, Sacerdótum decus,
In hac die, quâ glóriâ
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adésto súpplicum.

Sui probátus præmium
Amóris, & pignus tui,
A Patre tráditos sibi
Accépit agnos páscere.

Hos novit, & præit vocans
In tuta quemque páscua;
Victúmque præbet; aúdiunt,
Sequúntur, & vivunt oves.

Quam sentit erránte͂ jugis,
Hanc nocte quærit ac die;
Et gaudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.

Arcet freméntes béstias;
Lupi retúndit ímpetus,
Dolósque fallit, vel mori
Charo parátus pro grege.

Offert frequéntem víctimã
Pro plebe Pastor ínnocens,
Secúmque devótum gregem
Pius sacérdos ímmolat.

Supréme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre, cumque Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Dabis eum in benedic-

tiónem, ℟. In sǽculum sǽculi. *Ps.* 20. 7.

Ad Magn. Ant. t. 5. *F.* Non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur à generatióne in generatiónem. *Eccli.* 39. 13.

Oratio ut suprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS DOCTORIS.

AD I. VESPERAS.

Non nisi ex Dei sapientiâ sapiens fuit, qui in Ecclesiâ Doctor.

Ant. t. 1. *A.* BEátus vir qui excógitat vias sapiéntiæ in corde suo, vadens post illam quasi investigátor. *Eccli.* 14. 22. 23.

Ant. t. 8. *C.* Aquâ sapiéntiæ salutáris potabit illum, & exaltábit illum apud próximos suos. *Eccli.* 15. 3. 4.

Ant. t. 5. *F.* Denudábit Dóminus abscónsa sua illi, & thesaurizábit super illum sciéntiam & intelléctum justítiæ. *Eccli.* 4. 21.

Ant. t. 7. *D.* Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & in oratióne confitébitur Dómino. *Eccli.* 39. 9.

Ant. t. 6. *f.* Sápiens in pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Eccli. 4. 28. 29.

NE retíneas verbum in témpore salútis. In lingua enim sapiéntia dignóscitur: & sensus, & sciéntia, & doctrína in verbo sensáti.

℟. *In Duplic.* In médio Ecclésiæ apériet os ejus, & * Adimplébit illum Dóminus spíritu sapiéntiæ & intelléctûs. ℣. Non in persuasibílibus humanæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritûs & virtútis: * Adimplébit.... Glória. * Adimplébit. *Eccli.* 15. 5. 1. *Cor.* 2. 4.

HYMNUS. *ex Sanct. Vict.*

O Qui perpétuus nos mónitor doces,
Vox ætérna Patris, Christe, Vicários
Doctóres, pátrias cùm rémeas domos,
Nobis quàm bene súppetis!

Hi semper vígilant, ne quid adúlterum
Corrúmpat fídei virgíneũ decus:
Lædi vel léviter non pátitur fides,
His custódibus íntegra.

Infámes abolent relliquias deûm:
Erróres ábigunt, crímina dédocent;
Christo restítuunt, quos malè crédulos
Mendax lúserat hæresis.

Patrum canítiem, tot venerabiles
Rugas objíciunt, unde nitet fides;

Quæ sunt prisca, docent;
quæ nova, súbruunt:
Servant depósitum Dei.
Vicístis stygias, vos quibus
hæreses,
Hæc nos accípimus tela
supérstites:
His pugnamus adhuc, nec
dubio éxitu
His armis quoque víncimus.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum,
quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda
doces, sono
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine; ℟. Et de lege tua docúeris eum. *Ps.* 93. 12.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *d.* Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in sæculum non delébitur. *Eccli.* 39. 12.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Fontem sapiéntiæ, Verbum Dei in excélsis: * Veníte, adorémus. *Ec.* 1. 5. *Ps.* 94. Veníte. *pag.* 2.

IN I. NOCTURNO.

Per orationem, veram à Deo sapientiam obtinet Ecclesiæ Doctor.

Ant. t. 7. *D.* Quæsívi sapiéntiam palàm in oratióne mea; & effloruit tamquam præcox uva. *Eccli.* 51. 18. 19.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus dedit mihi linguam erudítam, ut sciam sustentáre eum, qui lassus est, verbo. *Isa.* 50. 4.

Ant. t. 6. *f.* Beátus homo, qui invénit sapiéntiam: mélior est acquisítio ejus negotiatióne argénti. *Prov.* 3. 13. 14.

℣. Fac, Dómine, erudítos corde ℟. In sapiéntia. *Ps.* 89. 12.

Lectiones de Scriptura occur.

℟. 1. Sápiens cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum: apériet os suum in oratióne. * Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum. ℣. Si quis vestrûm índiget sapiéntiâ, póstulet à Deo, qui dat ómnibus affluénter.. * Si enim. *Eccli.* 39. 6. 7. 8. *Jacob.* 1. 5.

℟. 2. Optavi, & datus est mihi sensus; & invocávi, & venit in me spíritus sapiéntiæ: & præpósui illam regnis & sédibus, * Et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. ℣. Exístimo ómnia detriméntum esse, propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi. * Et divítias. *Sap.* 7. 7. 8. *Philip.* 3. 8.

℟. 3. Ante templum postulábam pro sapiéntia, & excépi illam. * Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. † Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: & in ipsa laudabo eum. ℣. Ut innotéscat per Ecclésiã multifórmis sapiéntia Dei. * Danti mihi. . . Glória. . . † Dedit. . . *Eccli.* 51. 19. 21. 23. 30. *Eph.* 3. 10.

IN II. NOCTURNO.

Cum [illegible] Doctoris [illegible].

Ant. 4. A Implevit eum Dominus Spiritu Dei, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina. *Exo.* 35. 31.

Ant. 5. 6. [illegible] sapientia & scientia; timor Domini ipse est thesaurus [illegible] 33. 6.

Ant. 6. [illegible] & doctrina tua, Domine, [illegible] quem probat. [illegible] 33. 8.

℣. Bonum mihi lex oris tui. ℟. Super millia auri & argenti. *Ps.* 118. 72.

Lectio [illegible] Sancti.

℟. 4. Super salutem & speciem dilexi sapientiam, & proposui pro luce habere illam. * Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. ℣. Quæ desursum est sapientia, pudica est, pacifica, plena misericordia & fructibus bonis... * Venerunt... *Sap.* 7. 10. 11. *Jac.* 3. 17.

℟. 5. Sapientia ómnium bonorum mater est; quam sine fictione didici, & sine invidia communico. * Infinitus enim thesaurus est, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei... ℣. Potestis legéntes intelligere prudentiam meam in mysterio Christi. * Infinitus. *Sap.* 7. 12. 13. 14. *Eph.* 3. 4.

℟. 6. Sapientia & fortitudo Dómini sunt: ipse revelat profúnda & abscóndita. * Tibi, Deus, confiteor, teque laudo; * Quia sapientiam & fortitudinem dedisti mihi. ℣. Secundum revelationem notum mihi factum est sacramentum, sicut supra... * Tibi, Deus... Gen. * Quia... *Dan.* 2. 20. 22. 23. *Eph.* 3. 3.

IN III. NOCTURNO.

[illegible]

Ant. 7. D. Vir peritus multos erudivit, & animæ suæ suavis est. *Eccli.* 37. 22.

Ant. 8. C. Surrexit quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. *Eccli.* 48. 1.

Ant. 9. A. Postquam [illegible] dedit se ad diligentiam lectionis legis, & prophetarum; voluit & ipse scribere quæ ad doctrinam & sapientiam pertinent. *Prolog. Eccli.*

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium. *Ps.* 36. 30.

Evang. & Homil. ut in Prop. Sanct.

℟. 7. Cum esset sapientissimus, docuit populum. * Quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. ℣. Potens exhortari, & eos qui contradicunt, arguere. * Quæsivit... *Eccle.* 12. 9. 10. *Tit.* 1. 9.

℟. 8. Vidit principátum suum, quòd in parte sua Doctor esset repositus; * Fuit cum principibus, & fecit justitias Domini, & judicium suum cum Israel. ℣. Prædicans regnum Dei, & docens

quæ sunt de Dómino Jesu. * Fuit. *Deut.* 33. 21. *Act.* 28. 31.

℟. 9. Sciéntia sapiéntis tamquam inundátio abundábit; & * Consílium illíus sicut fons vitæ pérmanet. Os prudéntis quærítur in Ecclésiâ, & † Verba illíus cogitábunt in córdibus suis. ℣. Scriba doctus in regno cœlórum profert de thesáuro suo nova & vétera. * Consílium. Glória... † Verba... *Eccli.* 21. 16. 20. *Matth.* 13. 52.

Te Deum.

AD LAUDES.

De sapientia Doctori gratulatur Ecclesia.

℣. *Sacerdot.* Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo; ℟. Ut meditárer elóquia tua. *Ps.* 118. 148.

Ant. t. 3. *a.* ERudítus es in juventúte tua; & implétus es, quasi flumen, sapiéntiâ. *Eccli.* 47. 15. 16.

Ant. t. 2. *d.* Sicut érudit fíliū suum homo, sic Dóminus Deus tuus erudívit te. *Deut.* 8. 5.

Ant. t. 7. *D.* Sápiens es, sicut habet sapiéntiam Angelus Dei, ut intélligas ómnia. 2. *Reg.* 14. 20.

Ant. t. 1. *A.* Ad ínsulas longè divulgátū est nomen tuum; in interpretatiónibus mirátæ sunt terræ. *Eccli.* 47. 17. 18.

Ant. t. 6. *f.* Beáti qui stant coram te semper, & aúdiunt sapiéntiā tuam. 3. *Reg.* 10. 8.

Capitulum. Eccli. 24. 46.

DOctrínam quasi prophetíam effúndam, & relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, & non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℣. Narrábo nomen tuū frátribus meis: ℟. In médio Ecclésiæ laudábo te. *Ps.* 21. 23.

Ad Benedictus. *Ant. t.* 1. *d.* Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. *Matth.* 5. 19.

Oratio.

DEus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti: præsta, ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessorem habére mereámur in cœlis; Per, &c.

Alia Oratio.

EXcita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo beátus N. servívit, tibi, ut eódem nos repléti, studeámus amare quod amávit, & ópere exercére quod dócuit; Per Dóminum.... in unitáte ejúsdem, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum 2. *Tim.* 3. 14. 15.

TU verò pérmane in iis quæ didicísti, & crédita sunt tibi; sciens à quo didíceris, & quia ab infántia sacras litteras nosti.

℟. *In Dupl.* Invénti sunt sermónes tui, Dómine, & comédi eos * Et † Factum est mihi verbum tuum in gaúdium & in lætítiam cordis mei. ℣. Accépi librum,

& devorávi illum ; & erat in ore meo tamquam mel dulce.... * Et factum.... Glória. † Factum est... *Jer.* 15. 16. *Apoc.* 10. 10.

℣. Quam dulcia fáucibus meis elóquia tua! ℟. Super mel ori meo. *Ps.* 118. 103.

℟. *br. In Semid.* Scrutábor * Legem tuam, Dómine. Scrutábor.... ℣. Et custodiam illam in toto corde meo. * Legem.... Glória.... Scrutábor. *Ps.* 118. 34.

℣. Justítiæ Dñi rectæ, ℟. Lætificántes corda. *Ps.* 18. 9.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 4. 6.

HÆc prapónens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assecútus es.

℟. *br.* Annuntiávi justítiã tuam * In ecclesia magna... Annuntiávi... ℣. Ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti ; * In ecclesia. Glória.... Annuntiávi.... *Ps.* 39. 10.

℣. Eructávit cor meum verbum bonum : ℟. Dico ego opera mea regi. *Psalm.* 44. 2.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 6. 3. 4.

SI quis áliter docet, & non acquiescit sanis sermónibus Domini nostri Jesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ; supérbus est, nihil sciens.

℟. *br.* Super senes intelléxi : * Quia mandáta tua quæsivi. Super.... ℣. A judíciis tuis non declinávi. * Quia.... Glória.... Super. *Ps.* 118. 100. 102.

℣. Super inimícos meos prudentẽ me fecisti mandato tuo; ℟. Quia in ætemum mihi est. *Ps.* 118. 98.

AD II. VESPERAS.

Quia populos erudivit, ejus memoria illius erit in benedictione.

Ant. 1. VIr éloquens, potens in Scripturis, hic erat edoctus viam Domini. *Act.* 18. 24. 25.

Ant. 1. 6. *f.* Eruditus est omni sapientiã, & erat potens in verbis, & in operibus suis. *Act.* 7. 22.

Ant. 1. 8. *G.* Fervens spíritu loquebátur, & docebat diligenter ea quæ sunt Jesu. *Act.* 18. 25.

Ant. 1. 7. *D.* Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. *Luc.* 6. 45.

Ant. 1. 4. *E.* Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit Ecclesia. *Eccli.* 39. 14.

Capitulum. Ephes. 3. 4. 8. 9.

POtestis legentes intelligere prudéntiam meam in mysterio Christi? Mihi data est gratia hæc, illuminare omnes quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculis.

HYMNUS *Ex Sanct. Vict.*

JAm nunc, quæ numeras
tot tibi vindices,
Effer sidereum, Relligio,
caput.

Quot sunt mota tibi prælia, nóbiles
Tot nectis tibi laúreas.
Cùm per mille neces impíetas furit,
Oppónis válido péctore mártyres:
Cùm per mille dolos décipit hæresis,
Doctóres tibi súscitas.
Quando sparsa lues úndique críminum,
Hi gliscens vítium prótinus ámputant:
Quando plúrima nox méntibus íncubat,
Hi plenum révehunt diem.
Firmant instábiles, & dúbios regunt:
Monstrant tuta procul líttora naúfragis:
Nobis, qui véhimur cæca per æquora,
Lucent perpétuæ faces.
Quæ dixére tuis cónsona sénsibus,
Nostris illa, Deus, córdibus imprimas:
Quos terris colimus, quos séquimur duces,
Fac nos móribus assequi.
Sit supréma tibi glória, Véritas,
Quæ per scripta Patrum, quando foris sonas,
Nullo vocis egens, corda doces, sono,
Et te méntibus ínseris.
Amen.

℣. Beátus vir qui dispónet sermónes suos in judício: ℟. In ætérnum non commovébitur. *Ps.* 111. 1. 5. 6.

Ad. Magn. *Ant. t. 6. f.* Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti: & qui ad justítiã erúdiunt multos, quasi stellæ in perpétuas æternitátes. *Dan.* 12. 3.

Oratio ut suprà in Laudibus.

COMMUNE UNIUS PRESBYTERI.

AD I. VESPERAS.

Sacerdotii officia, & Sacerdotis dotes.

Ant. t. 1. *d.* IPsum elégit Dóminus offérre sacrifícium Deo, in memoriam placáre pro populo suo. *Eccli.* 45. 20.

Ant. t. 2. *D.* Ministrábit in nómine Dómini Dei sui, sicut omnes fratres ejus. *Deuter.* 18. 7.

Ant. t. 3. *A.* Cibábit illum Dóminus pane vitæ & intelléctûs. *Eccli.* 15. 3.

Ant. t. 4. *E.* Labia sacerdótis custódient sciéntiam, & legem requírent ex ore ejus. *Malach.* 2. 7.

Ant. t. 6. *f.* In pópulo hæreditábit honórem, & nomen illíus erit vivens in ætérnum. *Eccli.* 37. 29.

Capitulum. Num. 16. 5.

NOtum fáciet Dóminus qui ad se pertíneant, & Sanctos applicabit sibi; & quos elégerit, appropinquábunt ei.

In Dupl. ℟. Dedit illi Dóminus sacerdotium. * Complévit manus ejus, & unxit

illum óleo sancto. ✝ Factum est illi in testamentum, fungi sacerdotio, & habére laudem, & glorificare pópulum suum in nomine ejus. ℣. Ex homínibus assúmptus, pro homínibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia... * Complévit... Glória. ✝ Factum.... *Eccli.* 45. 8. 18. 19. *Hebr.* 5. 1.

HYMNUS.

O Tuâ dignum pietáte munus!
Christe, cùm per te légitur Sacérdos
Ille, qui primum decus, & ministris
Reddit & aris.

Quàm pavens, sanctàs procul à tumúltu,
Cùm dapes Christi meditátur Agni,
In quibus manat sacer incruénto
Fúnere sanguis!

Thure fumántes quis hic inter aras?
Quanta majéstas sedet ore sancto!
Nec minus fervent calefácta puris
Péctora flammis.

Quæ Dei numquam temeránda jura
Víndicat sacris animósus armis,
Si scelus gliscit, calet intus igne
Elias alter.

Nec sacrum durus sedet ad tribúnal;
Súblevat tristes miserátus casus
Cháritas, clemens, aliísque mater,
Dum sibi judex.

Quas relaxávit, luit ipse noxæ
Innocens pœnas; aliéna culpa
Hunc reum fecit; piat acta largo.
Non sua fletu.

Lúminis splendor, Patris una Proles,
Christe, te pronus venerétur orbis;
Qui Sacerdótes per amóris almi
Flamen inúngis.
Amen.

℣. Memor sit Dóminus omnis sacrifícii tui; ℟. Et holocaústum tuum pingue fiat. *Ps.* 19. 4.

Ad Magn. *Ant. t.* 5. *F.* Quasi thus ardens in igne, in ascensu altaris sancti, glóriam dedit sanctitatis amictum. *Eccli.* 50. 9. 12.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Sacerdótem in ætérnum Jesum Christum; * Venite, adorémus. *Hebr.* 5. 6.

IN I. NOCT.

Innocens móribus, & à Deo vocatus venit ad ministerium.

Ant. t. 3. *E.* Qui habúerit máculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium. *Lev.* 21. 17. 18.

Ant. t. 2. *D.* Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis pópuli

pópuli glorificábor. *Lev.* 10. 3.

Ant. t. 8. C. Ingrédere tu: te enim vidi justum coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

℣. Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? ℟. Qui ingréditur sine mácula. *Psal.* 14. 1. 2.

Lectiones de Scriptura occurrénte.

℟. 1. Adhæsit Dómino, & non recéssit à vestígiis ejus, fecitque mandáta ejus. * Unde & erat Dóminus cum eo, & in cunctis ad quæ procedébat, sapiénter se agébat. ℣. Homo iste justus, & timorátus, expéctans consolatiónem Israel. * Unde. 4. *Reg.* 18. 6. 7. *Luc.* 2. 25.

℟. 2. Præcépit Dóminus: * Accéde ad altáre, & ímmola: offer holocáustum, & deprecáre pro te, & pro pópulo. ℣. Novi ópera tua, & fidem, & charitátem tuam, & ministérium, & patiéntiam tuam. * Accéde. *Lev.* 9. 6. 7. *Apoc.* 2. 19.

℟. 3. Quia sanctus es Dño Deo tuo, te elégit Dñs. * Et † Scies, quia Dóminus Deus tuus, ipse est Deus fortis & fidélis, custódiens pactum & misericórdiam diligéntibus se. ℣. Vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuũ imple. * Et scies. Glória. † Scies. *Deut.* 7. 6. 9. 2. *Tim.* 4. 5.

IN II. NOCTURNO.

Ejus pro plebe orationes & sacrificia.

Ant. t. 7. *A.* De Sacerdótibus non interíbit vir à fácie mea, qui ófferat holocautómata, & incéndat sacrifícium. *Jerem.* 33. 18.

Ant. t. 5. *F.* Exorábit pro peccátis, & continébit se ab illis, & in oratióne diérum exaudiétur. *Eccli.* 3. 4.

Ant. t. 6. *f.* Rogánte pro eis Sacerdóte, propítius erit eis Dóminus. *Lev.* 4. 20.

℣. Exaúdiet illum de cœlo sancto suo: ℟. In potentátibus salus déxteræ ejus. *Psalm.* 19. 7.

Lectiones ex Proprio Sanct.

℟. 4. Oblátio justi impínguat altáre, * Et odor suavitátis est in conspéctu Altíssimi. ℣. Multum enim valet deprecátio justi assídua. * Et odor. *Eccli.* 35. 8. *Jac.* 5. 16.

℟. 5. Diléctus à Dómino Deo suo, in fide sua probátus est: & * Invocávit Dóminum omnipoténtem in oblatióne Agni invioláti. ℣. Sacérdos non secundùm legem mandáti carnális factus. * Invocávit. *Eccli.* 46. 16. 17. 19. *Hebr.* 7. 16

℟. 6. Obtulit holocaústum Dómino: & * Clamávit ad Dóminum pro Israel, & † Exaudívit eum Dóminus, ℣. Unam pro peccátis ófferens hóstiam. * Clamávit. Glória. † Exaudívit 1. *Reg.* 7. 9. *Hebr.* 10. 12.

IN III. NOCTURNO.

Sacerdotis zelus.

Ant. t. 8. *G.* Scitis quòd docúerim vos præcepta, atque justítias, sicut mandávit mihi Dóminus Deus meus. *Deuter.* 4. 5.

Ant. t. 7. *C.* Zelo zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, quia dereliquérunt pactum tuum filii Israel. 3. *Reg.* 19. 10.

Ant. t. 2. *D.* Cogitávit cor meum mecum: increpávi, & dixi: Quare non in timóre Dei nostri ambulátis? 2. *Esd.* 5. 7. 9.

℣. Vidi prævaricántes, & tabescébam; ℟. Quia elóquia tua non custodiérunt. *Psal.* 118. 158.

Lectiones ex Proprio Sanct.

℟. 7. Operátus est bonum, & rectum, & verum coram Domino Deo suo, * In univérsa cultúra ministérii domûs Dómini juxta legem & cæremónias. ℣. Fidélis erat in tota domo Dei tamquam fámulus. * In univérsa. 2. *Paral.* 31. 20. 21. *Hebr.* 3. 5.

℟. 8. Quæsívit bona genti suæ: & * Confirmávit omnes húmiles populi sui, & legem exquisivit, & abstulit omnem iniquum & malum. ℣. Exémplum bonórum operum, in doctrina, in integritáte, in gravitáte. * Confirmávit. 1. *Mach.* 14. 4. 14. *Tit.* 2. 7.

℟. 9. Avértit iram meam à filiis Israel; * Quia zelo meo commótus est contra eos, ut non ipse delérem filios Israel in zelo meo: † Ecce do ei pacem fœderis mei. ℣. Justítiæ quæ per fidem est, hæres est institútus. * Quia. Glória. † Ecce. *Numer.* 25. 11. 12. *Hebr.* 11. 7. Te Deum. *In Duplic. & Semiduplic.*

AD LAUDES.

Opera sancta Sacerdotis laudantur.

℣. *Sacerdot.* Domus Aaron, benedícite Dómino: ℟. Domus Levi, benedícite Dómino. *Psal.* 134. 19. 20.

Ant. t. 7. *A.* Vir Dei es tu, & verbum Dómini in ore tuo verum est. 3. *Reg.* 17. 24.

Ant. t. 1. *A.* Ecce docuísti multos: & manus lassas roborásti: vacillántes confirmavérunt sermónes tui. *Job.* 4. 3. 4.

Ant. t. 8. *C.* Scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Domini. *Eccli.* 48. 10.

Ant. t. 6. *F.* Tu assecútus es doctrínam, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam. 2. *Tim.* 3. 10.

Ant. t. 7. *A.* Beatus ille servus, quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem: super ómnia bona sua constítuet eum. *Matth.* 24. 46. 47.

Capitulum. 1. *Tim.* 5. 17.

Qui bene præsunt Presbyteri, dúplici honore

digni habeántur; máximè qui laborant in verbo & doctrina.

℣. Exáltent eum in Ecclésia plebis: ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum. *Psalm.* 106. 32.

Ad Benedíctus. *Ant. t.* 1. *D.* Plurimam hostiam óbtulit, per quam testimóniũ consecutus est esse justus; testimonium perhibénte munéribus ejus Deo. *Hebr.* 11. 4.

Oratio.

DOmine Deus omnípotens, qui fámulum tuũ *N.* ut Sacerdótio tibi fungerétur à pópulo, segregásti: præsta, quæsumus, ut ejus exémpla sectántes, genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis éffici mereámur; Per, &c.

Alia Oratio.

DEus, qui ad plebis tuæ salútem, & ad ministrórum tuórum decus & exémplum, fidélem fámulum tuũ *N.* Sacerdótio tuo associáre voluísti; concéde, quæsumus, ut ejus méritis & exémplis adjúti, ita exhibeámus nos in ómnibus fidéles minístros, ut prærogativæ dignitátis adjungátur cúmulus sanctitátis; Per te, Jesu Christe Salvátor mundi, Qui vivis, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 4. 11. 12.

PRæcipe hæc & doce. Exemplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in charitáte, in fide, in castitáte.

In Dupl. ℟. Juxta manum Dei sui bonam super se, * Parávit cor suum, ut investigaret legem Dómini; & faceret & docéret in Israel præceptum. ℣. Potens in Scriptúris, edóctus viam Dómini, & fervens spíritu. * Parávit. Glória. * Parávit. 1. *Esdr.* 7. 9. 10. *Act.* 18. 24. 25.

℣. Veníte, filii, audíte me; ℟. Timórem Dómini docébo vos. *Psalm.* 33. 12.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Veritátem tuam * Et salutáre tuum dixi. Veritátem. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam. * Et salutáre. Glória. Veritátem. *Psalm.* 39. 11.

℣. Annuntiávi justítiam tuam, ℟. Dómine, tu scisti. *Psalm.* 39. 10.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 1. 12.

GRátias ago ei, qui me confortávit, Christo Jesu Dómino nostro, quia fidélem me existimávit, ponens in ministério.

℟. *br.* Dómine, diléxi * Decórem domûs tuæ. Dómine. ℣. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ, * Decórem. Glória. Dómine. *Psal.* 25. 8.

℣. Immolávi in tabernáculo ejus ℟. Hostiam vociferatiónis. *Psal.* 26. 6.

AD NONAM

Capitulum. 1. Tim. 3. 13.

QUi bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.

℟. br. Hic accipiet * Benedictionem a Domino. Hic ℣. Et misericordiam a Deo salutari suo. * Benedictionem. Gloria. Hic accipiet. Ps. [illegible]. 5.

℣. Beatus quem elegisti, & assumpsisti; ℟. Inhabitabit in atriis tuis. Psal. 64. 5.

AD II. VESPERAS

Ex ejus ministerio mutiti fructus : & mox ejus corona.

Ant. t. 1. *A.* NAtus est homo, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentu pópuli. *Eccli.* 49. 17.

Ant. t. 5. *A.* Perfectus homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus. 2. *Tim.* 3. 17.

Ant. t. 7. C. Porréxit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ. Effúdit in fundaménto altaris odórem divínum Excelso. *Eccli.* 50. 16. 17.

Ant. t. 3. *a.* De omni corde suo laudávit Dóminum : & dedit in celebrationibus decus. *Eccli.* 47. 10. 12.

Ant. t. 5. *a.* Defúnctus adhuc lóquitur : quia testimónium hábuit placuisse Deo. *Heb.* 11. 4. 5.

Capitulum. 1. *Cor.* 3. 8.

QUi plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

HYMNUS.

QUam Deo gratus [illegible] hic Mandat,
Qui nihil mundi [illegible] [illegible],
Mille virtutum [illegible] coronæ
Scandit ad astra!

Quos docet nondum stabilis [illegible]
Firmat exemplis : potius dictis
(Instar accensæ facis) attribuent
Facta magistri.

Hos alit verbis : alit hos & escis :
Non suum ducit : sibi vindicare
Paúperes credit, quæ commodari
Prodigus auri.

Quippe vestigat, meditátus altá
Mente, thesaúros, sibi quos latrónum
Nulla fraus tollat, neque dente vermis
Rodat iníquo.

Hunc cadens vidit, réperit renáscens
Sol humi stratum, lácrymis madéntem :
Intimæ menti Deus incubabat
Intimus hospes.

Quam sitit puro bibit ore lucem,
De Deo fœtos relegéndo libros,

Hinc cibus menti Deus, hinc abúndè
Páscitur uno.
Lúminis splendor, Patris una Proles
Christe, te pronus venerátur orbis,
Qui Sacerdotes per amóris almi
Flamen inúngis. Amen.

℣. Sacerdótes ejus índuam salutári; ℟. Et sancti ejus exultatióne exultábunt. *Psal.* 131. 16.

Ad Magn. Ant. t. 6. f. Ubi sum ego, illic & Miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eũ Pater meus. *Joan.* 12. 26.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE UNIUS ABBATIS, MONACHI, CÆNOBITÆ, ANACHORETÆ.

AD I. VESPERAS.

Solitudo, salutis locus & securitas.

Ant. t. 8. C. QUi hábitant in desérto, secúri dórmient in sáltibus; & ponam eos in circúitu collis mei benedictiónem. *Ezech.* 34. 25. 26.

Ant. t. 5. A. Dóminus ponet desértum quasi delícias, & solitúdinem quasi hortum Dómini. *Is.* 51. 3.

Ant. t. 7. D. Gaúdium & lætítia inveniétur in solitúdine, gratiárum áctio & vox laudis. *Is.* 51 3.

Ant. t. 3. a. Bonum est viro, cùm portáverit jugum ab adolescéntia sua; sedébit solitárius, & tacébit. *Thren.* 3. 27. 28.

Ant. t. 3. E. Erit sicut qui abscónditur à vento, & celat se à tempestáte in terra desérta. *Is.* 32. 2.

Capitulum. Jerem. 51. 6.

FUgite de médio Babylónis, & salvet unusquísque ánimam suam; nolíte tacére super iniquitátem ejus: quóniam tempus ultiónis est à Dómino.

In Dupl. ℟. Habitábit in solitúdine judícium. * Et erit opus justítiæ pax, & cultus justítiæ siléntium, & secúritas usque in sempitérnum. ℣. Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, & da paupéribus: & veni, séquere me. * Et erit. Glória. * Et erit. *Is.* 32. 16. 17. *Matth.* 19. 21.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

FElíces némorum pángimus íncolas
Certo consílio quos Deus ábdidit,
Ne contágio sæcli
Mores læderet íntegros.
Ut te posssídeant, quem sítiunt Deum,
Urbes, regna, suos, se quoque déserunt;
Totus víluit orbis,
Dum cæléstia cógitant.

Nudi, prompti, álacres, liberi ab ómnibus,
Ad ludum púgiles ócius ádvolant;
Ut vaſtum mare tranent
Prudéntes onus exuunt.

Ætérnas ut opes, certaque gaudia
Secúri rápiant, ómnia lúdicra
Sano pectore temnunt
Confiſi melióribus.

Illis ſumma fuit glória, deſpici;
Illis divitiæ, paupériem pati;
Illis ſumma volúptas,
Longo ſupplício mori.

Fac nos, ſumme Deus, quæ pátimur mala
In pœnam ſcelerum ferre libéntius;
Et, tellúre relíctâ,
Immortalia quærere.

Ætérnus ſit honos ingénito Patri,
Sit par unígeno glória Fílio;
Sacri nexus amóris
Laus compar tibi, Spíritus. Amen.

℣. Abſcóndes eos in abſcóndito faciei tuæ, ℟. A conturbatióne hóminum. *Pſal.* 30. 21.

Ad Magn. *Ant. t.* 1. *D.* In ſolitúdine ſedébit pópulus meus in pulchritúdine pacis, & in tabernáculis fidúciæ. *Iſ.* 32. 16. 18.

Oratio ut infrà ad Laudes.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jeſum qui ductus eſt in desértum à ſpíritu, * Venite, adorémus. *Math.* 4. 1.

IN I. NOCTURNO.

Deo vocanti obediens, vadit in ſolitudinem.

Ant. t. 8. *C.* Egrédere de cognatióne tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrabo tibi. *Gen.* 12. 1.

Ant. t. 6. *C.* Surge, ne péreas in ſcelere civitatis: ſalva animam tuam: noli reſpícere poſt tergum. *Gen.* 19. 15. 17.

Ant. t. 2. *D.* In parte vadæ ſæculi ſancti, cum vivis & dantibus confeſſionem Deo. *Eccli.* 17. 25.

℣. In umbra alarum tuarum ſperabo, ℟. Donec tranſeat iniquitas. *Pſal* 56. 2.

Lectiones de Scriptura occurr.

℟. 1. Ecce elongavi fúgiens: & * Manſi in ſolitúdine. Expectabam eum qui ſalvum me fecit à puſillanimitate ſpiritûs, & tempeſtáte: quóniam vidi iniquitatem in civitáte.

℣. Quoniam mundus totus in maligno póſitus eſt. * Manſi. *Pſal.* 54. 8. 9. 10. 1. *Joan.* 5. 19.

℟. 2 Mélior eſt dies una in átriis tuis, Domine, ſuper míllia: * Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. ℣. Magis eligens affligi cum pópulo Dei, quàm temporalis peccati habére jucunditatem.

* Elégi. Psal. 83. 11. Hebr. 11. 25.

℟. 3. Invénit eum Dóminus in terra desérta * In loco horróris, & vastæ solitúdinis; circumdúxit eum, & † Sicut Aquila próvocans ad volándum pullos suos & super eos vólitans, expándit alas suas, & assúmpsit eum. ℣. Justum à nefandórum luxuriósa conversatione erípuit: aspéctu enim & audítu justus erat, * In loco.. Glória. † Sicut. Deut. 32. 10. 11. 2. Petr. 2. 7. 8.

IN II. NOCTURNO.

Perfecta ejus abnegatio.

Ant. t. 8. *G.* Quòd relíqueris paréntes tuos, plenam mercédem recípias à Dómino Deo, ad quem venísti. *Ruth.* 2. 11. 12.

Ant. t. 7. *a.* Dóminum elegísti, ut sit tibi Deus, & ámbules in viis ejus, & obédias ejus império. *Deuter.* 26. 17.

Ant. t. 4. *E.* Hæc est hæréditas servórum Dómini, & justítia eórum. *Is.* 54. 17.

℣. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus, ℟. Pópulus quem elégit in hæreditátem sibi. *Psal.* 32. 12.

Lectiones ut in Proprio Sanct.

℟. 4. Pars mea Dóminus, dixit ánima mea;* Proptérea expectábo eum: bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. ℣. Propter Christũ ómnia detriméntum feci, & árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. * Proptérea. *Thren.* 3. 24. 26. *Philip.* 3. 8.

℟. 5. Exui me stolâ pacis,* Indui autem me sacco obsecrationis, clamabo ad Altíssimum in diébus meis: sperávi in ætérnum salútem: & venit mihi gáudium à sancto. ℣. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. * Indui autem. *Baruch.* 4. 20. 22. *Philip.* 3. 7.

℟. 6. Perféctio tua, Dómine, & doctrína tua viro sancto tuo, quem probásti in tentatióne. * Dixit patri suo & matri suæ; Néscio vos; & frátribus suis: Ignóro vos. ℣. Fide obedívit in locum exíre, quem acceptúrus erat in hæreditátem: & éxiit, nésciens quò iret. * Dixit. Glória. * Dixit. *Deuter.* 33. 8. 9. *Hebr.* 11. 8.

IN III. NOCTURNO.

Orationes & alia pœnitentiæ opera.

Ant. t. 7. *D.* Pósui fáciem meam ad Dóminum Deum meum rogáre & deprecári in jejúniis, sacco, & cínere. *Dan.* 9. 3.

Ant. t. 3. a. Nomen tuũ, Dómine, & memoriále tuum in desidério ánimæ. *Is.* 26. 8.

Ant. t. 8. *C.* Anima mea desiderávit te in nocte; sed & spíritu meo in præcórdiis meis de manè vigilabo ad te. *Is.* 26. 9.

℣. Propter verba labiorũ tuórum, ℟. Ego custodívi vias duras. *Psal.* 16. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Secésserat in desértũ locum, ibíque * Inter feras vitam in móntibus cum suis agébat: ne partícipes essent coinquinatiónis. ℣. In omni oratióne, & obsecratióne, cum gratiárum actióne.* Inter feras... 2. *Mach.* 5. 27. *Philip.* 4. 6.

℟. 8. Opéruit cilício carnem suam, * Jejunávit, & dormívit in sacco, & ambulávit demísso cápite. ℣. In vigíliis multis, in fame & siti, in frígore & nuditate. * Jejunávit... 3. *Reg.* 21. 27. 2. *Cor* 11. 27.

℟. 9. Hic multis tempóribus * Continéntiæ propósitum ténuit, corpúsque & ánimam trádere conténtus pro perseverántia. ℣. Mortificátus carne, vivificátus autem spíritu. * Continéntiæ.. Glória.. * Continéntiæ. 2. *Mach.* 14. 38. 1. *Pet.* 3. 18.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quòd totum se Deo vovcrit, abundat consolationibus.

℣. *Sacerd.* Abscóndit me Dóminus in tabernáculo suo; ℟. In die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui *Psal.* 26. 5.

Ant. t. 8. *C.* EGo in voce laudis immolábo tibi: quæcúmque vovi, reddam pro salúte Dño. *Jonæ.* 2. 10.

Ant. t. 1. *F.* Non sedi in concílio ludéntium: solus sedébam, quóniam comminatióne replésti me. *Jerem.* 15. 17.

Ant. t. 4. *A.* Mihi mundus crucifíxus est, & ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Ant. t. 6. *F.* Exístimo ómnia detriméntũ esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi. *Philip.* 3. 8.

Ant. t. 5. *A.* Gaúdeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi, in carne mea. *Colos.* 1. 24.

Capitulum. Eccli. 51. 35. 36.

VId te óculis vestris, quia módicum laborávi, & invéni mihi multã réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argenti, & copiósum aurum possidéte in ea.

℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, ℟. Portio mea in terra vivéntium. *Psal.* 141. 6.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Mihi vívere Christus est; & mori lucrum. *Philip.* 1. 21.

ORATIO, *si sit Abbas.*

OMnípotens sempitérne Deus, terrena pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exémplo & intercessióne beati N. Abbátis cujus solémnia celebrámus, ut purificátis ab omni sæculi desidério méntibus, te solo dívites esse velímus; Per, &c.

ALIA ORATIO, *si non sit Abbas.*

DEus, qui nos, ádmones, exémplo beáti *N.* temporália despícere, & ad ætérna festináre: da fámulis tuis, ut quæ tibi plácita cognóvimus, ipso pro nobis interce-

dénte, implére valeámus; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 2. Cor. 6. 17. 18.

EXíte de médio eórum, & separámini, dicit Dóminus, & immúndum ne tetigéritis; & ego recípiam vos; & ero vobis in Patrem, & vos éritis mihi in fílios.

In Dupl. ℟. Dixit ad illum Dóminus: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrávero tibi. * Tunc éxiit. ℣. Velut fílius Altíssimi obédiens. * Tunc.. Gloria. * Tunc. *Act.* 7. 3. 4. *Eccli.* 4. 11.

℣. Dixi; Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ?

℟. Volábo & requiéscam. *Psal.* 54. 7.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Extráneus factus sum * Frátribus meis. Extráneus. ℣. Et peregrínus fíliis matris meæ. * Frátribus. Glória. Extráneus. *Psal.* 68. 9.

℣. Símilis factus sum pelicáno solitúdinis; ℟. Factus sum sicut passer solitárius in tecto. *Psal.* 101. 7. 8.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Joan.* 2. 15. 16.

SI quis díligit mundum, non est cháritas Patris in eo; quóniam omne quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, & concupiscéntia oculórum, & supérbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo? * Et à te quid vólui super terram? Quid. ℣. Deus cordis mei & pars mea. * Et à te. Glória. Quid. *Psal.* 72. 25. 26.

℣. Dóminus pars hæreditátis meæ, ℟. Et cálicis mei. *Psal.* 15. 5.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 9. 26. 27.

EGo sic curro, non quasi in incértum; sic pugno, non quasi áërem vérberans; sed castígo corpus meum, & in servitútem rédigo.

℟. *br.* Cùm mihi moléstì essent, * Induébar cilício. Cùm. ℣. Humiliábã in jejúnio ánimam meam. * Induébar. Glória. Cùm mihi. *Psal.* 34. 13.

℣. Anticipavérunt vigílias óculi mei. ℟. Cogitávi dies antíquos. *Psal.* 76. 5. 6.

AD II. VESPERAS.

Enumerantur illius opera in æternum remuneranda.

Ant. t. 3. a. ISte custodívit ánimam suam: & memor fuit Dómini in toto corde suo. *Tob.* 1. 12. 13.

Ant. t. 8. *C.* Abjécit vestiméntum suum à se, & indútus est sacco, & sedit in cínere. *Jonæ.* 3. 6.

Ant t. 1. *A.* Majóres divítias æstimans thesauro Ægyptiórum, impropérium Christi, fide relíquit Ægyptum. *Hebr.* 11. 26. 27.

Ant. t. 7. *C.* Vir erat religiósus, ac timens Deum, & déprecans Deum semper. *Act.* 10. 1. 2.

[illegible]

Cap. [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Eccli. 31. 8. 9. [illegible]

COMMUNE UNIUS LAICI JUSTI

AD I. VESPERAS.

[illegible]

Ant. 1. L. Fortitudo [illegible] [illegible] [illegible] vestra. [illegible] 10. 27. 32.

Ant. 2. L. Timor Domini delectabit cor, & dabit laetitiam & gaudium. Eccli. 1. 12.

Ant. 3. L. Tenebit justus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem. Job. 17. 9.

Ant. 4. F. Timenti Dominum bene erit, & in diebus [illegible] benedicetur. Eccli. 1. 13.

Ant. 5. L. Quasi [illegible] : fructus [illegible] vitae. Prov. 11. 30.

Capitulum. Eccli. 31. 8. 9.

Beatus vir qui inventus est sine macula : & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia, & thesauris. Quis est hic & laudabimus eum ? fecit enim mirabilia in vita sua.

In Dan. R. Qui in via peccatorum non stetit, est tamquam lignum quod plan-

tátum est secus decúrsus aquárum quod fructum suum dabit in témpore suo; * Et † Folium ejus non deflúet.

℣. Congregat fructum in vitam ætérnam. * Et folium. Glória. † Fólium. *Ps.* 1. 1. 3. *Joan.* 4. 36.

HYMNUS. *Ex Sant. Vict.*

Non parta solo sánguine
Ornat beátos púrpura:
Sunt incruénta, quæ suos
Habent triúmphos, prælia.

Non iste flammas, non cruces,
Non sensit uncos péctines:
Crudélis & durus sibi,
Se morte lentâ cónficit.

Si lictór illi défuit,
Si vincla, fustes, úngulæ;
Paráta pro Christo mori,
Hoc supplet omne cháritas.

Corpus subégit cástitas,
Et líberam mentem fides;
Amor supérnis ígnibus
Totam litávit hóstiam.

Venis apértis ómnibus,
Qui vellet ultro erúmpere,
Fraudátus optátâ viâ,
It fusus in fletum cruor.

Da, Christe, nos sic vívere,
Discámus ut semper mori:
Da, post brevis vitæ dies,
Vitæ perénnis gáudia.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Beátus vir cujus est nomen Dómini spes ejus; ℟. Et non respéxit in vanitátes & insánias falsas. *Psal.* 39. 5.

Ad Magn. Ant t. 5. *F.* Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparásti expectántibus te. *Is* 64. 4.

Oratio ut in 1ª ad Laudes.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Remuneratórem inquiréntibus se Deum, * Veníte, adorémus. *Hebr.* 11. 6.

IN I. NOCTURNO.

Per fidelem mandatorum observantiam custodit se ab omni macula.

Ant. t. 1. *D.* Erat vir ille simplex, & rectus, ac timens Deum, & recédens à malo. *Job.* 1. 1.

Ant. t. 5. *F.* Præcépta súscipit, ámbulat simplíciter, ámbulat confidénter. *Prov.* 10. 8. 9.

Ant. 2. *t.* d. Exquisívit Dóminum, cùmque requíreret, diréxit eum in ómnibus. 2. *Paral.* 26. 5.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus; ℟. Et non supplantabúntur gressus ejus. *Psal.* 36. 31.

Lectiones ex Scriptura occurente.

℟. 1. Qui ámbulat in justítiis, & lóquitur veritátem, & claudit óculos suos ne vídeat malum, * Iste in excelsis habitábit. Regem in decóre suo vidébunt óculi ejus.

℣. Si quis emundáverit se, erit vas in honórem sanctificátum Dómino. * Iste. *Is.* 33. 15. 16. 17. 2. *Tim.* 2. 21.

℟. 2. Innocens mánibus & mundo corde, qui non accé-

℟. 7. Secésserat in desértū locum, ibíque * Inter feras vitam in móntibus cum suis agébat: ne partícipes essent coinquinatiónis. ℣. In omni oratióne, & obsecratióne, cum gratiárum actióne.* Inter feras... 2. *Mach.* 5. 27. *Philip.* 4. 6.

℟. 8. Opéruit cilício carnem suam, * Jejunávit, & dormivit in sacco, & ambulávit demísso capite. ℣. In vigíliis multis, in fame & siti, in frígore & nuditate. * Jejunávit... 3. *Reg.* 21. 27. 2. *Cor* 11. 27.

℟. 9. Hic multis tempóribus * Continéntiæ propósitum ténuit, corpúsque & ánimam tradere conténtus pro perseverantia. ℣. Mortificátus carne, vivificátus autem spíritu. * Continéntiæ.. Glória.. * Continéntiæ. 2. *Mach.* 14. 38. 1. *Pet.* 3. 18.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quòd totum se Deo voverit, abundat consolationibus.

℣. *Sacerd.* Abscóndit me Dóminus in tabernáculo suo; ℟. In die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui *Psal.* 26. 5.

Ant. t. 8. C. EGo in voce laudis immolábo tibi: quæcúmque vovi, reddam pro salúte Dño. *Jonæ.* 2. 10.

Ant. t. 1. F. Non sedi in concílio ludéntium: solus sedébam, quóniam comminatione replésti me. *Jerem.* 15. 17.

Ant. t. 4. A. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Gal.* 6. 14.

Ant. t. 6. F. Exístimo ómnia detriméntū esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi. *Philip.* 3. 8.

Ant. t. 5. A. Gaúdeo in passiónibus, & adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi, in carne mea. *Coloss.* 1 24.

Capitulum. Eccli. 51. 35. 36.

VId te óculis vestris, quia módicum laborávi, & invéni mihi multā requiem. Assúmite disciplínam in multo número argenti, & copiósum aurum possidéte in ea.

℣. Clamávi ad te, Dómine, dixi: Tu es spes mea, ℟. Portio mea in terra vivéntium. *Psal.* 141. 6.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Mihi vívere Christus est; & mori lucrum. *Philip.* 1. 21.

ORATIO, *si sit Abbas.*

OMnípotens sempitérne Deus, terrena pro te calcántium merces magna nimis: da nobis exémplo & intercessione beati N. Abbátis cujus solémnia celebrámus, ut purificátis ab omni sæculi desidério méntibus, te solo divites esse velímus; Per, &c.

ALIA ORATIO, *si non sit Abbas.*

DEus, qui nos, ádmones, exémplo beáti *N.* temporália despícere, & ad ætérna festináre: da famulis tuis, ut quæ tibi placita cognóvimus, ipso pro nobis interce-

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Sapiéntia justum dedúxit per vias rectas, & osténdit illi regnum Dei : * Dedit illi sciéntiam sanctórũ: honestávit illum in labóribus, & complévit labóres illíus. ℣. Regnum Dei justítia est, & pax in Spíritu sancto: qui in hoc servit Christo, placet Deo. * Dedit illi. *Sap.* 10. 10. *Rom.* 14. 17. 18.

℟. 8. Beátus qui in istis versátur bonis : qui ponit illa in corde suo, ad ómnia valébit; * Quia lux Dei, vestígium ejus est. ℣. Habet vitam ætérnam, & in judícium non venit, sed tránsiit à morte in vitam. * Quia. *Eccli.* 50. 30. 31. *Joan.* 5. 24.

℟. 9. Probátus & perféctus est; pótuit tránsgredi, & non est transgréssus; fácere mala, & non fecit : * Ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino, & † Eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum. ℣. Factum est ut morerétur, & portarétur ab Angelis in sinum Abrahæ. * Ideò. Glória. † Eleemósynas. *Eccli.* 31. 10. 11. *Luc.* 16. 22. Te Deum.

AD LAUDES.

Justo in virtutibus suis gratulatur Ecclesia.

℣. *Sacerd.* Lux orta est justo, ℟. Et rectis corde lætítia. *Psal.* 96. 11.

Ant. t. 3. a. TE vidi justũ coram me in generatióne hac. *Gen.* 7. 1.

Ant. t. 2. *D.* In veritáte ámbulas, fidéliter facis quidquid operáris. 3. *Joan.* 3. 5.

Ant. t. 8. *G.* Charitátem & fidem habes in Dómino Jesu, & in omnes sanctos; ut communicátio fidei tuæ évidens fiat in agnitióne omnis óperis boni. *Philem.* 5. 6.

Ant. t. 1. *A.* Oratiónes tuæ, & eleemósynæ tuæ ascendérunt in memóriam in conspéctu Dei. *Act.* 10. 4.

Ant. t. 3. a. Beátus servus quem cùm vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. *Matth.* 24. 46.

Capitulum. 2. *Cor.* 1. 12.

GLória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ, quòd in simplicitáte cordis & sinceritáte Dei, & non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversati sumus in hoc mundo.

℣. Beátus vir cui non imputávit Dóminus peccátum, ℟. Nec est in spíritu ejus dolus. *Psal.* 31. 2.

Ad. Benedic. *Ant. t.* 1. *D.* Serve bone & fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam. *Matth.* 25. 21.

Oratio.

ADesto, Dómine, supplicatiónibus nostris quas in beáti N. festivitáte deférimus; ut qui nóstræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Jacob. 1. 25.

QUi perspéxerit in legē perféctam libertátis, & permanserit in ea, non audítor obliviósus factus, sed factor óperis; hic beátus in facto suo erit.

In Dupl. ℟. Spem habens in Deum, resurrectiónem futúram justórum; * In hoc & ipse stúdeo sine offendículo consciéntiam habére ad Deum, & ad hómines semper. ℣. A mandátis labiórum ejus non recéssi, & in sinu meo abscóndi verba oris ejus. * In hoc. Glória. * In hoc. *Act.* 24. 15. 16. *Job.* 23. 12.

℣. Servávi mandáta tua, Dómine; ℟. Quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo. *Psal.* 118. 168.

In Semid. & Simp. ℟. *br.* Beátus vir * Qui timet Dominum. Beátus. ℣. In mandatis ejus volet nimis. * Qui timet. Glória. Beátus. *Psal.* 111. 1.

℣. Judícia Dómini vera. ℟. In custodiéndis illis retributio multa. *Psal.* 18. 10. 12.

AD SEXTAM.

Capitulum. Jac. 1. 27.

REligio munda & immaculata apud Deum, hæc est, Visitare pupillos & víduas in tribulatione eórum, & immaculatum se custodíre ab hoc sæculo.

℟. *br.* Dispérsit, * Dedit paupéribus. Dispérsit. ℣. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. * Dedit. Glória. Dispérsit. *Psal.* 111. 9.

℣. Beátus qui intélligit super egenum & paúperem: ℟. In die mala liberábit eum Dóminus. *Psal.* 40. 2.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15. 7. 8.

JUstítia longè abest à supérbia & dolo, viri mendáces non erunt illíus mémores: & viri veráces inveniéntur in illa, & succéssum habébunt usque ad inspectiónem Dei.

℟. *br.* Non egit dolum * In lingua sua. Non. ℣. Nec fecit proximo suo malum: * In lingua. Glória. Non. *Psal.* 14. 3.

℣. Hæc est generátio quæréntium Dóminum, ℟. Quæréntium fáciem Dei Jacob. *Psal.* 23. 6.

AD II. VESPERAS.

Operum suorum mercédem accipit justus.

Ant. t. 6. f ECce verè Israelíta, in quo dolus non est. *Joan.* 1. 47

Ant. t. 3. *A.* Vir erat timens Deum, faciens eleemósynas multas, & deprecans Deum semper. *Act.* 10. 1. 2.

Ant. t. 3. a. Non prætériit de univérsis mandátis, nec unum quidem verbum quod jússerat Dóminus. *Josue.* 11. 15.

Ant. t. 6. f. Miráti sunt in illo multi, & honoravérunt Deum. *Eccli.* 11. 13.

Ant. t. 7. *D.* Diléctus Deo & homínibus; cujus memó-

ria in benedictióne est. Símilem illum fecit Dominus in gloria sanctórum. *Eccli.* 45. 1. 2.

Capitulum. *Gal.* 6. 8.

FRatres, Quæ seminàverit homo, hæc & metet: quóniam qui séminat in carne sua, de carne & metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam.

HYMNUS.

Ex S. Victor.

QUi te, Deus, sub íntimo
Amans récipit péctore,
Non ille terras ámpliùs
Suspírat, oblítus suì.

Quid ergo gaudes néctere
Tristes moras amántibus?
Terris retárdas éxules
Cives polo quos déstinas.

Hinc fervet in dies amor;
In vota toti díffluunt:
Ad astra festinántibus
Fit pœna vita lóngior.

Vix iste tardi córporis
Pondus moléstum sústinet;
Mortis diem præóccupat,
Ardens Deo se júngere.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. In memória ætérna erit justus. ℟. Cornu ejus exaltábitur in glória. *Psal.* 111. 7. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 7. *A.* Sic glorificávit eum Dóminus, & laudávit eum in benedictiónibus, in offeréndo illi corónam glóriæ. *Eccli.* 47. 7.

Oratio ut supra in Laudibus.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

AD I. VESPERAS.

Promissiones Virgini factæ.

Ant. t. 1. *A.* A Modò voca me: Pater meus, dux virginitátis meæ tu es. *Jerem.* 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* Non vocáberis ultrà Derelícta; quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 4.

Ant. t. 8. *C.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini, & diadéma regni in manu Dei tui. *Is.* 62. 3.

Ant. t. 7. *D.* Dóminum elegísti, ut sit tibi Deus, & ámbules in viis ejus. *Deut.* 26. 17.

Ant. t. 5. *F.* Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo justítiæ, mons sanctus. *Jerem.* 31. 23.

Capitulum. *Osee* 2. 19.

SPonsábo te mihi in sempitérnum: & sponsábo te mihi in justítia, & judício, & in misericórdia, & in miseratiónibus.

In Duplic. ℟. Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuã: * Oblivíscere pópulum tuum, & domum patris tui; & concupíscet Rex decórem tuũ; † Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Virgo cógitat

quæ Dómini sunt; ut sit sancta corpo:e, & spíritu. * Oblivíscere.. Glória. † Quoniã. Ps. 44. 11. 12. 1. Cor. 7. 34.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex S. Vict.

Festis læta sonent æthera cantibus:
Nunc aptáte tubas, súmite tympana,
Cœtus Angélici; dícite Vírginem,
Christi dicite Mártyrem.

Vestris illa fuit debita cœtibus,
Quæ mortális adhuc, nóbilis æmula,
Ut vos exprímeret, dedidicit genus,
Virgo córporis ímmemor.

Sed quid cogis, amor? fórtiter ámbiit
Sponso vírgineum, fúndere sánguinem;
Oblíti méminit tunc bene córporis,
Præcláræ sítiens necis.

Sic quà parte minor, vos superéminet,
Immortále genus, quæ pótuit mori,
Et per damna sui córporis, íntegram
Testári Dómino fidem.

Patri máxima laus, máxima Fílio,
Amborúmque sacro máxima Flámini,
A quo magnánimæ prælia sustinent
Spreto fúnere, Vírgines.
Amen.

Si non sit Martyr.

HYMNUS.

Ex Sanct. Victor.

Vos ô vírginei cum cítharis chori,
Agni delíciæ, pars gregis óptima,
Sponsum virgíneo progénitum sinu
Puris tóllite laúdibus.

Hæc est festa dies cælítibus sacra,
Quà plenâ rútilans óbvia lámpade,
Sponso sponsa Deo próxima cóncinit
Virgo cántica Vírgini.

Mortáles thálamos, córporis ímmemor,
Solo digna Deo cónjuge, réspuit:
Sponso perpétuo fœdere júngitur,
Sponsæ se Deus óbligat.

Ægro vix sua sunt pábula corpori:
Nil cernunt óculi, nil sonat áuribus;
Morti quod ráperet próvida prærípit;
Unus fit Deus ómnia.

Fac, ô Christe! tuæ Vírginis æmulos
Nos instáre sacrâ, quâ gráditur, viâ:
Qui gens sancta sumus, móribus íntegris
Uni fac tibi vívere.

Da te, summe Pater, tóllere laúdibus:
Da te, Christe, sequi, láurea Vírginum:
Fac incénsa tuis, Spíritus, árdeant

Flammis, frígida péctora. Amen.

℣. Deus præcínxit me virtúte: ℟. Et pósuit immaculátam viam meam. *Psal.* 17. 33.

Ad Magnif. *Ant. t.* 3. *A.* Quid bonum Dómini est, & quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, & vinum gérminans Vírgines? *Zach.* 9. 17.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Agnum quem sequúntur Vírgines * Veníte, adorémus. *Apoc.* 14. 4.

IN I. NOCTURNO.

Virginitatis laus.

Ant. t. 1. *a.* Omnis ponderátio non est digna continéntis ánimæ. *Eccli.* 26. 20.

Ant. t. 8. *G.* Incorrúptio facit esse próximum Deo. *Sap.* 6. 20.

Ant. t. 5. *a.* Qui díligit cordis mundítiam, habébit amícum regem. *Prov.* 22. 11.

℣. Beáti immaculáti in viâ; ℟. Qui ámbulant in lege Dómini. *Ps.* 118. 1.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. O quàm pulchra est casta generátio cum claritáte! * Immortális est enim memória illíus, quóniam & apud Deum nota est, & apud hómines.

℣. Relígio munda apud Deum & Patrem, hæc est: Immaculátum se custodíre ab hoc sæculo. * Immortális.. *Sap.* 4. 1. *Jac.* 1. 27.

℟. 2. Felix est stérilis: * Et incoinquináta, quæ nescívit thorum in delícto, habébit fructum in respectióne animárum sanctárũ. ℣. Reddet Deus iis qui secúndùm patiéntiam boni óperis, incorruptiónem quærunt, vitam ætérnam. * Et incoinquináta.. *Sap.* 3. 13. *Rom.* 2. 6. 7.

℟. 3. Magna facta est, & præclárior erat univérsæ terræ Israel: * Erat étiam virtúti cástitas adjúncta. ℣. In opéribus bonis testimónium habens, omne opus bonum subsecúta est.. * Erat.. Glória.. * Erat.. *Judith.* 16. 25. 26. 1. *Tim.* 5. 10.

IN II. NOCTURNO.

Tota sponso Christo devota Virgo, in nullo alio lætatur.

Ant. t. 3. *E* Ego Dilécto meo, & Diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. *Cant.* 6. 2.

Ant. t. 4. *E.* Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, tu scis quòd numquam lætáta sit ancilla tua, nisi in te, Dómine Deus. *Esth.* 14. 14. 16. 18.

Ant. t. 7. *D.* Quia complácui Dómino, secũdùm mundítiam mánuum meárũ reddet mihi. 2. *Reg.* 22. 20. 21.

℣. Deus meus impollúta via ejus: ℟. Protéctor est ómnium sperántium in se. *Ps.* 17. 31.

Lectiones ut in Proprio.

℟. 4. Exultábit ánima mea in Deo meo; quia índuit me

vestiméntis salútis : * Et indumento justítiæ circúmdedit me, quasi sponsum decorátum corónâ, & quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. Quòd nunc vivo in carne, in fide vivo Fílii Dei qui diléxit me. * Et induménto.. *Is.* 61. 10. *Gal.* 2. 20.

℟. 5. Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua. Lex tua meditátio mea est. * Fiat cor meum immaculátum in justificatiónibus tuis, ut non confúndar. ℣. Secúndùm expectatiónem & spem meam magnificábitur Christus in córpore meo. * Fiat.. *Psal.* 118. 75. 77. 80. *Philip.* 1. 20.

℟. 6. Diléctus meus, eléctus ex míllibus, * Totus desiderábilis; & † Ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. ℣. Vivo, jam non ego: vivit verò in me Christus * Totus. Glória. † Ipse est.. *Cant.* 5. 10. 16. *Gal.* 2. 20.

IN III. NOCTURNO.

Virginem sibi sponsam assumit Christus, & coronat.

Ant. t. 5. *F.* In charitáte perpétuâ diléxi te : ídeò attráxi te, míserans. *Jerem.* 31. 3.

Ant. t. 6. *f.* Deo placent ópera tua : omni témpore sint vestiménta tua cándida. *Eccle.* 9. 7. 8.

Ant. t. 8. *G.* Veni de Líbano, sponsa mea, veni : coronáberis. *Cant.* 4. 8.

℣. Corónat te Dóminus in misericórdiâ, ℟. Et miseratiónibus. *Ps.* 102. 4.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Dábitur illi sors in templo Dei acceptíssima. * Bonórum enim labórum gloriósus est fructus, & quæ non cóncidat radix sapiéntiæ; ℣. Beáti mundo corde, quóniã ipsi Deum vidébunt. * Bonórum.. *Sap.* 3. 14. 15. *Matth.* 5. 8.

℟. 8. Ingréssus sum pactum tecum, & facta es mihi. * Dedi corónam decóris in cápite tuo; & profecísti in regnum : quia perfécta eras in decóre meo. ℣. Scient quia ego diléxi te. * Dedi corónam.. *Ezech.* 16. 8. 12. 13. 14. *Apoc.* 3. 9.

℟. 9. Immortális est apud Deum. * Et † In perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminũ prǽmium vincens. ℣. Gaudio gaudet propter vocem sponsi. * Et in.. Glória. † In perpétuum.. *Sap.* 4. 1. 2. *Joan.* 3. 29.

Te Deum.

AD LAUDES.

Quantus Virginis in Deum amor.

℣. *Sacerd.* Vírgines laudent nomen Dómini ;

℟. Quia exaltátum est nomen ejus solíus. *Ps.* 148. 12. 13.

Ant. t. 4. *E.* Vox Dilécti mei pulsántis : Aperi mihi, soror mea, immaculáta mea. *Cant.* 5. 2.

Ant. t. 7. *A.* Invéni quem

díligit ánima mea: ténui eum; nec dimittam. *Cant.* 3. 4.

Ant. t. 8. *C.* Pone me ut signáculum super cor tuum; quia fortis est ut mors diléctio. *Cant.* 8. 6.

Ant. t. 5. *F.* Diléctus meus ordinávit in me charitátem; fulcíte me flóribus, stipáte me malis. *Cant.* 2. 3. 4. 5.

Ant. t. 6. *f.* Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: & fructus ejus dulcis gútturi meo. *Cant.* 2. 3.

Capitulum. Sap. 8. 21.

SCivi quóniam áliter non possem esse cóntinens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapiéntiæ, scire cujus esset hoc donum.

℣. In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, ℟. Laudatiónes tibi. *Ps.* 55. 12.

Ad Benedict. *Ant. t.* 1. *D.* Tu scis, Dómine, quia númquam concupívi virum, & mundam servávi ánimã meã ab omni concupiscéntia. *Tob.* 3. 16.

Oratio pro Virgine & Martyre.

DEus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam mártyrii contulísti: concéde propítius, ut qui beátæ N. Vírginis & Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur; Per, &c.

Si non sit Martyr. Oratio.

DEus, qui habitáculum tuum in corde pudíco constituísti: concéde ut qui fidélis sponsæ tuæ N. puritatem húmili venerámur obséquio, piæ conversatiónis sequámur exémplo; Per, &c.

Alia Oratio.

OMnípotens sempitérne Deus, qui mundi contémptum, diligéntibus te inspirásti; da nobis in festivitáte beátæ N. Vírginis, ejus intercessióne terréna despícere, & tibi soli fírmiter adhærére; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 7. 8.

UNusquísque próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius verò sic. Dico autem non nuptis, & víduis: bonum est illis si sic permáneant.

In Duplic. ℟. Audívi vocem de cœlo, & vocem, quam audívi, sicut citharizántium in cítharis suis. Et * Cantábant quasi cánticum novum, ante sedem Agni. ℣. Exultavérunt fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine.. * Cantábant.. Glória.. * Cantábant. *Apoc.* 14. 2. 3. *Ps.* 96. 8.

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico; ℟. Et magnificábo eum in laude. *Ps.* 68. 31.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Psallam, & intélligam * In viâ immaculátâ. Psallam... ℣. In innocéntia cordis mei, * In viâ. . Glória.. Psallam.. *Ps.* 100. 1. 2.

℣. Immísit in os meum cánticum novum, ℟. Carmen Deo nostro. *Ps.* 39. 4.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Cor.* 7. 34.

MUlier innúpta, & Virgo cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore, & spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. *br.* Quid mihi est in cœlo? * Et à te quid vólui super terram? Quid mihi..

℣. Deus cordis mei, & pars mea, Deus, in ætérnum. * Et à te.. Glória.. Quid mihi. *Ps.* 72. 25. 26.

℣. Quæ est expectátio mea? ℟. Nonne Dóminus? *Psalm.* 38. 8.

AD NONAM.

Capitulum. 2. *Cor.* 11. 2.

ÆMulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro Vírginem castam exhibére Christo.

℟. *br.* Afferéntur regi Vírgines, * In lætítia & exultatióne.. Afferéntur.. ℣. Adducéntur in templum regis.* In lætítia.. Glória.. Afferéntur.. *Ps.* 44. 15. 16.

℣. Delectavérunt te fíliæ regum ℟. In honóre tuo. *Ps.* 44. 9. 10.

AD II. VESPERAS.

Quænam sint prudentes Virgines ad nuptias Agni admittendæ.

Ant. t. 1. *A.* VIrgines accipiéntes lampades suas, exiérunt óbviàm sponso. *Matth.* 25. 1.

Ant. t. 4. *h.* Prudéntes accepérunt óleum in vasis suis, & ornavérunt lámpades suas. *Matth.* 25. 4. 7.

Ant. t. 2. *d.* Médiâ nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite óbviàm ei. *Matth.* 25. 6.

Ant. t. 3. *a.* Venit sponsus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias. *Matth.* 25. 10.

Ant. t. 1. *D.* Vírgines sequúntur Agnum, quocúmque íerit: sine mácula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14. 4. 5.

Capitulum. Is. 56. 4. 5.

HÆc dicit Dóminus: Dabo eis, in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen mélius à fíliis & filiábus: nomen sempitérnum dabo eis: quod non períbit.

HYMNUS.

Pro Virgine & Martyre.

Ex Sant. Vict.

QUid sacratæ, Virgo, generósa Martyr,
Ambiunt frontem dúplices corónæ?
Nempe non unum gémino repórtas
Hoste triúmphum.
Móllior fregit neque te volúptas;
Impotens flexit neque te tyránnus;
Tu graves pœnas, paritérque blandos
Vincis amóres.
Líliis sponsus récubat, rosísque;

Tu, tuo semper bene fida sponso,
Et rosas Martyr, simul & dedísti
Lília Virgo.
Summa laus Patri, genitóque Verbo,
Et tibi compar, utriúsque Nexus;
Fac tibi semper placeámus uni
Móribus æquis. Amen.

HYMNUS.

Si non sit Martyr.
Ex Sant. Vict.

CŒléstis aula pánditur;
En Sponsus; omnes óbviæ
Exíte sponso Vírgini,
Exíte, sponsæ Vírgines.
Hæc nuptiális est dies,
Quæ, longa post suspíria,
Dat omnibus, dat síngulis
Jam pléniùs frui Deo.
Quæ casta vobis gáudia
Quos afflet ignes, dícite:
Ab ore cujus púrior
Torrens volúptas éffluit?
Hunc propter unum víluit
Supérba regum púrpura:
Dotáta quæ sponso Deo,
Quid virgo terris ámbiat?
O virginales núptiæ,
Per quas caro fit spíritus!
O dulce vinclum, júngitur
Quo mens Deo, menti Deus!
Sit laus Patri, laus Fílio;
Sit par tibi laus, Spíritus;
Divína qui perénnibus
Firmas sigíllis fœdera.
Amen.

℣. Hæréditas immaculatórum in ætérnum erit;
℟. Non confundéntur in témpore malo. *Psalm.* 36. 18. 19.

Ad Magnif. *Antiph. t.* 7. *D.* In resurrectióne, neque nubent, neque nubéntur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. *Matth.* 22. 30.

Oratio ut in Laudibus.

COMMUNE MULIERIS SANCTÆ VEL VIDUÆ.

AD I. VESPERAS.

Mulieris sanctæ imago.

Ant. t. 1. *irr.* SIcut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic Mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domûs ejus. *Eccli.* 26. 21.

Ant. t. 3. *A.* Grátia super grátiam, Múlier sancta & pudoráta. *Eccli.* 26. 19.

Ant. t. 3. *E.* Múlier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illíus in pace implébit. *Eccli.* 26. 2.

Ant. t. 4. *E.* Vana est pulchritúdo; Múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. *Prov.* 31. 30.

Ant. t. 7. *D.* Fundaménta ætérna supra petram sólidam, & mandáta Dei in corde Mulíeris sanctæ. *Eccli.* 26. 24.

Capitulum. Prov. 31. 10. 11.

MUlíerem fortem quis invéniet ? procul, & de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, & spóliis non indigébit.

In Duplic. ℟. Pars bona, Múlier bona, * In parte timéntium Deum dábitur viro pro factis bonis. ℣. Múlier colens Deum, cujus Dóminus apéruit cor, * In parte. Glória. * In parte. . *Eccli.* 26. 3. *Act.* 16. 14.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

ADéste, sanctæ Cónjuges,
En illa fortis Fœmina
Ornáta quæ virtútibus
Triúmphat inter Cœlites.

Blandos ut hostes vínceret,
Hanc fortitúdo véstiit:
Ut prosit intuéntibus,
Cœléstis ornávit decor.

Non vana pompa sæculi
Sensus fefellit, nec malis
Gliscens volúptas ártibus
Viríle pectus mólliit.

Non illa luxu véstium,
Non crine torto splénduit:
Cultu nitens sed símplice,
Puris placébat móribus.

Se sub serénis vúltibus
Austéra virtus ócculit:
Timet vidéri, ne suum,
Dum prodit, amíttat decus.

Prodésse quærit ómnibus
Curis honéstis ánxia;
Patróna, custos Vírginum,
Secúnda mater órphanis.

Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória. Amen.

℣. Deus habitáre facit in domo, ℟. Matrem filiórum lætántem. *Ps.* 112. 9.

Ad Magnif. *Ant. t.* 1. *A.* Fáciat Dóminus hanc Mulíerem, sicut Rachel & Liam; ut sit exémplum virtútis, & hábeat célebre nomen. *Ruth.* 4. 11.

Oratio ut infrà in Láudibus.

AD OFFICIUM NOCTURNUM.

Invit. Deum in quo sanctæ Mulíeres speravérunt; * Veníte, adorémus. 1. *Pet.* 3. 5.

IN I. NOCTURNO.

Mulieris sanctæ bona in domo suâ conversatio.

Ant. t. 1. *irr.* Inítium sapiéntiæ, timor Dómini, & cum eléctis Fœminis gráditur. *Eccli.* 1. 16.

Ant. t. 1. *A.* Mulíeris bonæ beátus vir: númerus enim annórum illíus duplex. *Eccli.* 26. 1.

Ant. t. 8. *C.* Fílii, & ædificátio civitátis confirmabit nomen, & super hæc Múlier immaculáta computábitur. *Eccli.* 40. 19.

℣. Anima ejus in bonis demorábitur; ℟. Et semen ejus hæreditábit terram. *Ps.* 24. 13.

Lectiones ex Scriptura occurrente.

℟. 1. Grátia Mulíeris sedulæ delectábit virum suũ, * Disciplina illíus, datum Dei est. ℣. Quæ filios aut nepótes habet, discat domum suam régere: hoc enim ac-

céptum est coram Deo. * Disciplína.. *Eccli.* 26. 16. 17. 1. *Tim.* 5. 4.

℟. 2. Lex cleméntiæ in lingua ejus. * Considerávit sémitas domûs suæ, & panem otiósa non comédit. ℣. Quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.. * Considerávit.. *Prov.* 31. 26. 27. 1. *Tim.* 2. 10.

℟. 3. Surrexérunt filii ejus, & beatíssimam prædicavérunt; * Vir ejus, & laudávit eam. ℣. Vir imágo & glória Dei est, Múlier autem glória viri est.* Vir.. Glória.. * Vir ejus.. *Prov.* 31. 28. 1. *Cor.* 11. 7.

IN II. NOCTURNO.

Orationi intenta Mulier, à rebus vanis & malorum consortio longè fugit.

Ant. t. 7. *D.* Deprecabátur Dóminum, dicens: Dómine, ádjuva me, cujus præter te nullus est auxiliátor álius. *Esth.* 14. 3.

Ant. t. 6. *F.* Tu scis, Dómine, quia virum cum timóre tuo consénsi suscípere. *Tob.* 3. 16. 18.

Ant. t. 8. *G.* Invéni grátiam apud óculos tuos, Dómine, qui consolátus es me, & locútus es ad cor ancíllæ tuæ. *Ruth.* 2. 13.

℣. Meditátio cordis mei, Dómine, ℟. In conspéctu tuo semper. *Ps.* 18. 15.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 4. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos est; & complácui in veritáte tuâ: * Non sedi cum concílio vanitátis; & odívi ecclésiam malignántium: ℣. Corrúmpunt mores bonos collóquia mala. * Non sedi... *Ps.* 25. 3. 4. 5. 1. *Cor.* 15. 33.

℟. 5. Dómine, qui habes ómnium sciéntiam, * Nosti quia óderim glóriam iniquórum, & quòd numquam læ-táta sit ancilla tua, nisi in te, Dómine. ℣. Quæ participátio justítiæ cum iniquitáte? * Nosti quia.. *Esth.* 14. 14. 15. 18. 2. *Cor.* 6. 14.

℟. 6. Mundam servávi ánimam meam ab omni concupiscéntiâ. * Numquam cum ludéntibus míscui me; neque cum his, qui in levitáte ámbulant, partícipem me præbui. ℣. Grátias ago Deo, cui sérvio in consciéntiâ purâ. * Numquam. Glória. * Numquam. *Tob.* 3. 16. 17. 2. *Tim.* 1. 3.

IN III. NOCTURNO.

Mulier sancta virtutibus suis & operum gloriâ fit omnibus in exemplum.

Ant. t. 4. *E.* Indue te decóre sempitérnæ glóriæ: Deus enim osténdet splendórem suum in te. *Baruch.* 5. 1. 3.

Ant. t. 3. *a.* Gaudébit super te Dóminus in lætítia, silébit in dilectióne sua, exultábit super te in laude. *Soph.* 3. 17.

Ant. t. 6. *f.* Deus det tibi grátiam, ut sit nomen tuum in número sanctórum

& justórum. *Judith.* 10. 8.

℣. Benedícat tibi Dóminus ex Sion : ℟. Et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ. *Ps.* 127. 5.

Lectiones ut in Proprio Sanctorum.

℟. 7. Multæ fíliæ congregaverunt divítias : tu supergressa es univérsas. * Fallax grátia, & vana est pulchritúdo : Múlier timens Dóminum ipsa laudabitur. ℣. In incorruptibilitate modesti spíritus, qui est in conspéctu Dei locuples, sanctæ Mulíeres ornabant se. * Fallax. *Prov.* 31. 29. 30. 1. *Pet.* 3. 4. 5.

℟. 8. Fecisti viríliter, & confortátum est cor tuum, eò quòd castitátem amaveris : * Ideo & manus Dómini confortávit te, & ideò eris benedícta in ætérnum. ℣. O Múlier, magna est fides tua. * Ideò. *Judith.* 15. 11. *Matth.* 15. 28.

℟. 9. Omnia quæ locúta es, vera sunt, & non est in sermónibus tuis ulla reprehénsio. * Nunc ergo † Ora pro nobis, quóniam Múlier sancta es, & timens Deum : ℣. Fides tua te salvam fecit : * Nunc ergo. Gloria. † Ora. *Judith.* 8. 28. 29. *Luc.* 7. 50.

In Dupl. & Sem. Te Deum.

AD LAUDES.

Enumerantur opera quibus assidua fuit Múlier sancta.

℣. *Sacerdot.* Laudatiónem Dómini loquétur os meum : ℟. Et benedícat omnis caro nómini sancto ejus. *Psal.* 144. 21.

Ant. t. 1. *irr.* IN ancílla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam. *Judith.* 13. 18.

Ant. t. 5. *A.* Hæc erat plena opéribus bonis, & eleemósinis, quas faciébat. *Act.* 9. 36.

Ant. t. 3. *a.* Induens se cilício, & prostérnens se, clamábat ad Dóminum. *Judith.* 9. 1.

Ant. t. 6. *f.* Magna facta est: erat etiam virtúti cástitas adjúncta. *Judith.* 16. 25. 26.

Ant. t. 7. *C.* In opéribus bonis testimónium habens, omne opus bonum subsecúta est. 1. *Tim.* 5. 10.

Capitulum. Eccli. 36. 26.

QUi póssidet Mulíerem bonam, ínchoat possessiónem : adjutórium secundum illum est, & colúmna ut requies.

℣. Ecce sic benedicétur homo, ℟. Qui timet Dóminum. *Ps.* 127. 4.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *irr.* Exultávit cor meum in Dómino, & dilatatum est os meum : quia lætáta sum in salutári tuo. 1. *Reg.* 2. 1.

Oratio si sit Martyr.

TRíbue, quæsumus, Dómine, précibus nostris cum exultatióne provéntum, ut beátæ N. cujus passiónem recólimus, constántiam imitémur ; Per, &c.

Alia Oratio.

MArtyris tuæ N. nos, Dómine, conféssio sancta commúniat, & fi agilitáti nostræ contínuum ímpetret subsídium: Per, &c.

Oratio si non sit Martyr.

TUórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra; & beátæ N. précibus & méritis fac nos terréna despícere; & amáré cœléstia; Per, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Judith. 13. 31.

BEnedícta tu à Deo tuo in omni tabernáculo Jacob, quóniam in ómni gente quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel.

℟. *In Duplic.* Facta est quasi navis institóris de longè portans panem suum. * Manum suam apéruit inopi, & palmas suas exténdit ad paúperem. ℣. Hospítio recépit, sanctórum pedes lavit, tribulatiónem patiéntibus subministrávit: * Manum. Glória. * Manum. *Prov.* 31. 14. 20. 1. *Tim.* 5. 10.

℣. Pauper & inops ℟. Laudábunt nomen tuum. *Ps.* 73. 21.

In Semid. & Simpl. ℟. *br.* Víduam ejus * Benedícens benedícam. Víduam. ℣. Páuperes ejus saturábo pánibus. * Benedícens. Glória. Víduam ejus. *Ps.* 131. 15.

℣. Exultáte in conspéctu Dei, ℟. Patris orphanórum, & júdicis viduárum. *Ps* 67. 5. 6.

AD SEXTAM.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 8. 9. 10.

VOlo Mulíeres oráre in hábitu ornáto, cum verecúndia, & sobrietáte ornántes se, & non in tortis crínibus, aut auro, aut margarítis, vel veste pretiósâ: sed quod decet Mulíeres, promitténtes pietátem per ópera bona.

℟. *br.* Deus salútis meæ, * In die clamávi. Deus. ℣. Et nocte coram te. * In die. Glória. Deus. *Ps.* 87. 2.

℣. Apud me orátio ℟. Deo vitæ meæ. *Ps.* 41. 9.

AD NONAM.

Capitulum. 1. *Pet.* 3. 1. 2.

MUlíeres súbditæ sint viris suis: ut & si qui non credúnt verbo, per Mulíerum conversatiónem sine verbo lucrifiant, consíderántes in timóre castam conversatiónem vestram.

℟. *br.* Perambulábam * In innocéntia cordis mei. Perambulábam.

℣. In médio domûs meæ * In innocéntia. Glória. Perambulábam. *Ps.* 100. 2.

℣. Oculi mei ad fidéles terræ, ℟. Ut sédeant mecum. *Ps.* 100. 6.

AD VESPERAS.

De virtutibus suis, & gloria Mulieri sanctæ gratulatur Ecclesia.

Ant. 1. *7. d.* TU glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pé-

puli nostri. *Judith.* 15. 10.

Ant. t. 6. *f.* Eò quòd castitátem amáveris, manus Dómini confortávit te. *Jud.* 15. 11.

Ant. t. 8. *G.* Benedícta es à Dómino, & priórem misericórdiam posterióre superásti; quia non es secúta júvenes. *Ruth.* 3. 10.

Ant. t. 5. *a.* Scit omnis pópulus Mulierem te esse virtútis. *Ruth.* 3. 11.

Ant. t. 7. *c.* Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum. *Judith.* 13. 25.

Capitulum. 1. *Tim.* 2. 15.

MUlier salvábitur per filiórum generatiónẽ, si permánserit in fide & dilectióne, & sanctificatióne cum sobrietáte.

HYMNUS *Ex Sant. Vict.*

O Jam beáta, quæ suo
Tandem solúta córpore,
Vinclis perennióribus
Uni Deo conjúngitur!

Per quos gradus cœlum petit,
His ire vos omnes docet,
Junctæ jugáli vínculo,
Et vos solútæ Cónjuges.

Insígnis & nos Fœminæ
Sequi decet vestígia,
Magnum vel ipsis quæ fuit,
Virtútis exémplum viris.

Queis arsit illa, fac, Deus,
Flagrémus & nos ígnibus,
Eóque, quo te vis coli,
Amóre, fac mens te colat.


Ætérne tu Verbi Pater,
Ætérne Fili, par Patri,
Et par utríque, Spíritus,
Tibi, Deus, sit glória.
Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino.

℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34. 9.

Ad Magnif. Ant. t. 7. *a.* Date ei de fructu mánuum suárum; & laudent eam in portis ópera ejus. *Prov.* 31. 31.

Oratio ut suprà in Laudibus.



COMMUNE UNIUS PATRONI
PRIVATÆ ALICUJUS ECCLESIÆ
VEL PATRONÆ,
Aut etiam plurium Patronorum.
Duplex I. *Clas. Annuale.*

Omnia de Communi conveniente, secundùm qualitatem Patroni, exceptis iis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

De libro secúndo Machabæórum.

Lectio j. Cap. 15. *v.* 7. *ad* 11.

MAchabæus semper confidébat cum omni spe auxílium sibi à Deo affutúrum. Et hortabátur suos ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cœlo, & nunc sperárent ab Omnipoténte sibi affutúram victóriam. Et allocútus eos de lege & prophétis, ádmonens étiam certámina, quæ fécerant priùs, promptióres constítuit eos: & ita ánimis eórum eréctis, simul ostendébat géntium fallácia, & juramentórum prævaricatiónem.

Lectio ij. v. 11. *ad* 24.

SIngulos autem illórum armávit, non clypei, & hastæ munitióne, sed sermónibus óptimis, & exhortatiónibus, expósito digno fide sómnio, per quod univérsos lætificávit. Erat autem hujuscémodi visus: Oníam, qui fúerat summus Sacerdos, virum bonum & benígnum, verecúndum visu, modéstum móribus, & elóquio decórũ, & qui à púero in virtútibus exercitátus sit, manus protendéntem, oráre pro omni pópulo Judæórum. Post hoc apparuísse & álium virum ætáte & glóriâ mirábilem, & magni decóris habitúdine circa illum.

Lectio iij. v. 14. *ad* 18.

REspondéntem verò Oníam dixísse: Hic est fratrum amátor, & pópuli Israel; hic est qui multùm orat pro pópulo, & universâ sanctâ civitáte, Jeremías Prophéta Dei. Extendísse autem Jeremíam déxtram, & dedísse Judæ gládium áureum, dicéntem: Accipe sanctum gládium munus à Deo, in quo dejícies adversários pópuli mei Is-

rael. Exhortati itaque Judæ sermónibus bonis valdè, de quibus extólli posset ímpetus, & ánimi júvenum confortári, statuérunt dimicáre & confligere fórtiter, ut virtus de negótiis judicáret.

IN II. NOCTURNO.

Si non sint Lectiones Propriæ.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

In Vigil. SS. Petri & Pauli. n. 2.

Lectio iv.

TRia sunt quæ in festivitátibus Sanctórum vigilánter consideráre debémus: auxílium Sancti, exémplum ejus, confusiónem nostram. Auxílium ejus, quia qui potens in terra fuit, poténtior est in cœlis ante fáciem Dómini Dei sui. Si enim dum hîc víveret, misértus est peccatóribus, & orávit pro eis; nunc tantò ámpliùs, quantò vériùs agnóscit misérias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beáta illa pátria charitatem ejus non immutávit, sed augmentávit: neque enim quia impassíbilis omníno, ideò & incompassíbilis factus est.

Lectio v. n. 2.

DEbémus étiam atténdere exémplum ejus; quia quámdiu in terris visus est, & cum homínibus conversátus est, non declinávit ad déxteram, neque ad sinístram; sed viam régiam ténuit, donec veníret ad illum, qui dicit: Ego sum via, véritas, & vita. Intuémini humilitátem óperum ejus, auctoritátem verbórum ejus; & tunc vidébitis quómodo tam verbo, quam exémplo lúxerit inter hómines: quália nobis vestígia derelíquerit, ut ambulémus per ea, & non errémus in eis. Verè juxta Prophétam: Sémita justi recta est, rectus callis justi ad ambulándum.

Lectio vj. n. 3.

SEd & diligentióri intúitu confusiónem nostram inspiciámus: quia homo ille símilis nobis fuit passíbilis, ex eódem luto formátus, ex quo & nos. Quid ergo est quod non solum diffícile, sed & impossíbile crédimus, ut faciámus ópera quæ fecit? Confundámur, fratres, & contremiscámus.. Hómines illi fuérunt, qui præcessérunt nos, qui tam mirabíliter processérunt per vias vitæ, ut vix eos hómines fuísse credámus. Sic ergo in Sanctórum festivitátibus, & gaudére, & confúndi debémus: gaudére, quia Patrónos præmísimus; confúndi, quia eos imitári non póssumus.

IN III. NOCTURNO.

Si non sit Homilia propria.

Lectio sancti Evangélii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 5.

IN illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Quis

vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Basílii Epíscopi.

Constitut. Monast. Cap. I.

HOc exémplum idcírco nobis propónitur à Dómino, ut in fide acres ac pertináces esse nos dóceat. Exémplum ab hómine ad álium hóminem sumit; ut intélligas nullâ labóris fatigatióne debére te à suscépto propósito desístere, ut vidélicet quandocúmque áliquid petíeris, neque impetráveris, támdiu persevéres quoad ímpetres; si tamen ea petas, quæ voluntáti Dei non repúgnent. Neque díxeris: Peccátor sum, & proptérea non exaúdior. Ut enim diffidéntiæ ille tibi causam omnem præcíderet, illud adjécit: Etsi non dabit illi surgens, eò quòd amícus ejus sit, propter improbitátem tamen dabit illi quotquot habet necessários.

Lectio viij.

OPórtet ítaque divínum auxílium flagitáre: flagitándum autem est non ségniter, neque mente huc & illuc divagánte; síquidem quisquis est ejúsmodi, non solùm non consecutúrus est quæ petet, imò verò Dóminum magis exasperábit. Si enim cùm áliquis coram príncipe stat, ac lóquitur, stat cum multo timóre, atque tum extérnum, tum intérnum ánimæ óculum nequáquam vagum, sed inténtum habet, ne fortè in áliquo perículum véniat; quantò magis coram Deo cum timóre & tremóre standum est, mente totâ in illum solum, nusquam verò áliò inténtâ. Nam ipse non extérnum hóminem modò videt, velut hómines; sed intérnũ étiam intuétur.

Lectio ix.

SI sic vi tibi illátâ omne opus bonum perfícias, ne superséderis, quoad petíta consequáre; sed patiénter fores ejus pulsa, cùm petis: Omnis enim, inquit, qui petit, áccipit; & qui quærit, ínvenit; & pulsánti aperiétur. Quam enim áliam rem ássequi vis, nisi solam secúndùm Deum salútem? Vis díscere, ô dilécte, quómodo patiéntes fúerint Sancti, nec spem abjécerint? áccipe exémpla. Nos autem annum orámus, & desístimus. At sæpè, inquis, petívi, & tamen non accépi. Prorsùs quia malè petivísti, aut dubitánter, aut vagâ mente, aut ea quæ tibi non condúcunt. Quòd si sæpè étiam flagitásti conducibília, at non perseverásti. Scriptum est enim: Qui perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Ad Horas in ℟. br. additur duplex Alleluia, *ut in Annualibus.*

DIEBUS

INTRA OCTAVAM.

Per Octavam ritus est Semiduplex, & in die Octava Duplex 4. Class.

AD OFFICIUM NOCT.

Tres Antiph. ℣. & ℟℟. ex Nocturno diei secundùm Rubricam pro feriâ occurrente.

Lectio j. & ij. de Scriptura occur. (secunda & tertia junctis in unam.)

Lectio iij. ut infrà pro qualibet die.

Dominica intra Octavam occurrente, totum Officium fit de Dominica, incipiendo à I. Vesperis, cum commem. Octavæ in utrisque Vesperis & Laudibus.

SECUNDA DIE.

Lectio iij.

Sermo sancti Gregórii Nysséni Epíscopi.

Orat. de S. Theodoro.

COnsideráte, hujus puri cultûs miníſtri ſtudióſi, quanta res ſit juſtus, quàmque multas conſequátur remuneratiónes: & cógnito pietátis fructu, imitámini consílium, & aſpiráte ad ánimum & voluntátem eórum, qui ita præ cæteris honorántur. Cui regum talis honor habétur? quis eſt ex iis, qui ſupra modum inter hómines excéllere viſi ſunt, qui tali memóriâ celebrétur? quis imperatórum, qui urbes munítas cepérunt, natiónes innúmeras ſubegérunt, ádeò decantátus, & famâ celebrátus eſt?

TERTIA DIE.

Lectio iij.

Sermo sancti Ambróſii Epíſcopi.

Epiſtol. 22. ad Marcellinam ſororem.

GRátias tibi, Dómine Jeſu, quòd hoc témpore tales nobis Sanctórum ſpíritus excitáſti, quo Eccléſia tua ſancta præsídia majóra desíderat. Agnóſcant omnes quales ego propugnatóres requíram. Hos ego acquisívi tibi, plebs ſancta, qui proſint ómnibus, némini nóceant: tales ego ámbio defensóres: tales mílites hábeo; hoc eſt, non ſæculi mílites, ſed mílites Chriſti. Nullam de tálibus invídiam tímeo, quorum, quò majóra, eò tutióra patrocínia ſunt. Horum étiam illis ipſis, qui mihi eos ínvident, opto præsídia. Véniant ergo, & vídeant ſtipatóres meos: tálibus me armis ambiri non nego. Nos etſi eos vídere non póſſumus, ſentímus tamen.

QUARTA DIE.

Lectio iij.

Sermo ſancti Hierónymi Presbyteri.

Contra Vigilantium.

DIcis in libéllo tuo, quòd dum vívimus, mútuò pro nobis oráre póſſumus: poſtquam autem mórtui fuérimus, nullíus ſit pro álio exaudiénda orátio. Si Apoſtoli & Mártyres adhuc in córpore conſtitúti, poſſunt

oráre pro cæteris, quandò pro se adhuc debent esse sollíciti; quantò magis post corónas, victórias, & triúmphos? Unus homo Móyses sexcéntis míllibus armatorū ímpetrat à Deo véniam; & Stéphanus imitátor Dómini sui, & primus Martyr in Christo, pro persecutóribus véniam deprecátur: & postquam cum Christo esse cœperint, minùs valébunt?

QUINTA DIE.

Lectio iij.

Sermo sancti Basílii Epíscopi.

Orat. in 40. Martyres.

PArátum est hìc Christiánis auxílium, vidélicet exércitus triumphántium, chorus laudántium Deum. Qui áliquâ prémitur angústiâ, ad hos cónfugit: qui rursus lætátur, ad hos occúrrit: hic ut à malis liberétur; ille ut duret in rebus lætis. Hìc múlier orans pro fíliis audítur; peregrinánti viro réditum incólumem, ægrotánti verò salútem implórat. O sanctum chorum! ô sacrum órdinem! ô cúneum inexpugnábilem! ô commúnes humáni géneris custódes, óptimi curárum sócii, precum adjutóres, legáti apud Deum potentíssimi, astra mundi, flores Ecclesiárum! vos non terra contéxit, sed cœlum excépit.

SEXTA DIE.

Sermo sancti Clementis Papæ & Mártyris.

Epist. 1. ad Cor. Cap. 32. 33.

II glóriam & amplitúdinem consecúti sunt, non per seípsos aut ópera sua, aut justas actiónes quas fecérunt, sed per voluntátem Dei. Et nos igitur ex voluntáte illíus in Christo Jesu vocáti, non per nos ipsos justi efficimur, neque per sapiéntiam nostram, aut intelligéntiam, aut pietátem, aut ópera quæ in cordis sanctitáte operáti sumus; sed per fidem, per quam cunctos, qui umquam justi fuérunt, justificávit Deus omnípotens. Quid ígitur faciémus, fratres? cessábimus à bonis opéribus, & charitátem derelinquémus? neútiquam hoc à nobis fieri permíttat Dóminus: sed cum diligéntiâ & alacritáte festinémus omne opus bonum perfícere. Videámus quòd in bonis opéribus ornáti fuérunt omnes justi. Et ipse Dóminus cùm se opéribus decorásset, gavísus est. Habéntes ítaque hoc exémplar, ímpigrè ad voluntátem ejus accedámus: ex totis víribus nostris operémur opus justítiæ.

SEPTIMA DIE.

Lectio iij.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi.

Tract. 1. in Epistol. Joan. n. 8.

JOannes quid dixit? Et si quis peccaverit, advocátum habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Sed dicit áliquis: Ergo Sancti non petunt pro nobis? ergo Epíscopi vel Præpóſiti non petunt pro pópulo? Sed attendite Scripturas, & videte quia & Præpóſiti comméndant se pópulo. Nam Apóstolus dicit plebi: Orántes simul & pro nobis. Orat Apóstolus pro plebe: orat plebs pro Apóstolo. Orámus pro vobis, fratres; sed & vos oráte pro nobis: ínvicem pro se ómnia membra orent, caput pro ómnibus interpéllet.

IN OCTAVA.

Duplex 4. Class.

Omnia ut in die, exceptis iis quæ sequuntur.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv.

In Festo omnium SS. Serm. 5. n. 3. 4. & 5..

ILlórum lauda virtútem, quorum jam certa victória est: illos devótis extolle præcóniis, quorum secúrè potes adgaudere corónis... Secúrè laudantur hómines, qui non suâ jam vivunt vitâ, sed Dei.. Non enim est quò vánitas intret, ubi véritas jam totum occupávit. Sed quænam, ínquies, glória Sanctis? ad quid ergo Sanctis laus nostra? ad quid glorificátio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solémnitas? Quò eis terrénos honóres, quos juxta verácem Fílii promissiónem honoríficat Pater cœlestis? Quò eis præcónia nostra? Pleni sunt. Prorsùs ita est, dilectíssimi, honórum nostrórum Sancti non egent, nec quidquam eis nostrâ devotióne præstátur. Planè quòd eórum memóriam venerámur, nostrâ ínterest, non ipsórum. Vultis scire quantum ínterest nostrâ? Ego in me, fáteor, ex hac recordatióne séntio desidérium véhemens inflammári. Quando & nos addémur ad patres nostros? quando essentiáliter præsentábimur eis? Hoc enim primum desidérium, quod in nobis Sanctórum memória éxcitat, ut eórum tam optábili societáte fruámur.

Lectio v. n. 10.

UT eam glóriam nobis sperare líceat, & ad tantam beatitúdinem adspiráre, summopere nobis desideránda sunt suffrágia Sanctórum: ut quot possibílitas nostra non óbtinet, eórum nobis intercessióne donétur. Miserémini mei, miserémini mei, saltem

saltem vos amíci mei. Nostis ipsi perículum nostrum: nostis figméntum nostrum: nostis ignorántiam nostram, & dolos adversariórum: nostis eórum ímpetus, & nostram fragilitátem. Vobis enim loquor, qui in eàdem tentatióne fuístis; qui eosdem superástis conflíctus, eosdem láqueos evasístis; qui didicístis ex his, quæ passi estis, compassiónem.

Lectio vj. n. 10. 11.

Etsi de Angelis mihi árbitror præsuméndum ob spirituális substántiæ & rationalis formæ similitúdinem; amplióri tamen fidúciâ ad eos mihi reor verténdum, quos habére me nóverim & in ipsa humanitáte consórtes; ut opórteat eos familiárius & specialius miseréri ossi de óssibus meis, & carni de carne mea. Absit, absit à vobis, ánimæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincérnæ Pharaónis, qui in gradum prístinum restitútus, statim oblítus est Joseph sancti, qui in cárcere tenebátur. Non enim erant uníus cápitis membra, nec áliqua pars fidéli cum infidéli, aut ulla socíetas Israelítæ ad Ægyptium... Nos quoque si non sumus ipsíus cápitis membra, cujus & Sancti, unde eis tam solémnibus votis, & tanto gratulámur affectu? Hæc ígitur nostra & eórum cohærentia est, ut nos gratulémur eis, ipsi compatiántur nobis: nos devótâ meditatióne regnémus in eis, ipsi in nobis & pro nobis mílitent piâ interventióne.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangélii secúndùm Lucam.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 5.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrûm habébit amícum, & ibit ad illum médiâ nocte, & dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi.

Lib. 7. *in Luc.* n. 87.

Alius præcépti locus est, ut in ómnibus moméntis, non solum diébus, sed étiam nóctibus oratio deferátur. Vides enim quòd iste qui médiâ nocte perréxit, tres panes ab amico suo póstulans, & in ipsa petendi intentióne persistens, non defraudátur orátis. Qui sunt isti tres panes, nisi mystérii cœléstis aliméntum? Quód si díligas Dóminum Deum tuũ, non solùm tibi, sed étiam áliis póteris emeréri. Quis autem amícior nobis, quàm qui pro nobis corpus suum trádidit? Ab hoc médiâ nocte panes David pétiit, & accepit. Pétiit quando dicébat: Médiâ nocte surgébam ad confiténdum tibi. Neque enim tímuit ne excitáret dormiéntem, quem scit semper vigilántem.

Lectio viij. n. 88. & 89.

ET ideò scriptórum mémores, nóctibus ac diébus oratiòni instántes, peccátis nostris véniam postulémus. Nam si ille tam sanctus, & qui regni erat necessitátibus occupatus, sépties in die laudem Dómino dicébat, matutínis & vespertínis sacrifíciis semper inténtus; quid nos fácere opórtet, qui eò ámpliùs rogáre debémus, quò frequéntiùs carnis & mentis fragilitáte delínquimus; ut de via lassis, & istíus ævi cursu, ac vitæ hujus anfráctu gráviter fatigátis, panis refectiónis deésse non possit, qui hóminis corda confirmet? Nec solùm média nocte Dóminus, sed ómnibus propè docet vigilándum esse moméntis: venit enim & vespertínâ, & secúndâ, & tértiâ vigíliâ, & pulsáre consuévit. Beáti ítaque servi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes.

Lectio ix. n. 89. & 90.

SI ergo desíderas ut virtus Dei præcíngat se, & minístret tibi, vigilándum est semper: multæ enim insídiæ sunt bonis, & gravis córporis somnus; quia si dormíre mens cœperit, vigórem suæ virtútis amíttit. Excita ígitur somnum tuum, ut pulses óstium Christi. Quod aperíri sibi étiam Paulus expóscit, non solùm suis, sed etiam pópuli oratiónibus óbsecrans se juvari, ut aperiátur óstium sibi ad loquéndum mystérium Christi. . . Ergo præceptívus locus frequénter orándi, spes impetrándi, rátio persuadéndi; priùs in præcépto, post in exémplo. Qui enim promíttit áliquid, spem debet afférre promíssi; ut mónitis obediéntia deferátur, promíssis fides.



IN SOLEMNITATE
VEL
ANNIVERSARIO
DEDICATIONIS
ECCLESIÆ.

Dupl. I. Class. SOLEMNE - MAJUS.

AD I. VESPERAS.

Ut sibi inter homines domus ædificetur, tandem probat Altissimus.

Psalmi de Feria.

Ant. t. 5. F. MAgnus est Deus noster super omnes deos. Quis ergo póterit prævalére, ut ædíficet ei dignam domum? 2. *Par.* 2. 5. 6.

Ant. t. 6. f. Si cœlum, & cœli cœlórum cápere eum néqueunt; quantus ego sum ut possim ædificáre ei domũ? 2. *Par.* 2. 6.

Ant. t. 5. a. Opus namque grande est, neque enim hómini præparátur habitátio, sed Deo. I. *Par.* 29. I.

Ant. t. 3. E. O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessiónis ejus! *Baruch.* 3. 24.

Ant. t. 6. F. Ergone credíbile est, ut hábitet Deus cum homínibus super terram? 2. *Par.* 6. 18.

Capitulum. Aggæi. I. 7. 8.

HÆc dicit Dóminus exercítuum; Pónite corda vestra super vias vestras: ascéndite in montem, portáte ligna, & ædificáte domum; & acceptábilis mihi erit, & glorificábor.

℟. Non mansi in domo usque ad diem hanc, dicit Dóminus: sed fui semper in tentório, manens cum omni Israel. * Nunc dedi locum pópulo meo, plantábitur, & habitábit in eo, & ultrà non commovébitur. ℣. Tabernáculum testimónii fuit cum pátribus nostris in desérto usque in diébus David: Sálomon autem ædificávit domum. * Nunc dedi. Glória. * Nunc. 1. *Par.* 17. 5. 6. 9. *Act.* 7. 44. 45. 47.

HYMNUS.

SIste, qui sanctam própe-
ras ad ædem;
Mystico postquam sacra
facta ritu

Scis Dei quòd sit domus, & Tonántis
Altera sedes?
Cujus in cœlo thronus est perénnis,
Parva vult terris habitáre tecta:
Incapax claudi, latet hospes arcto
Clausus in orbe.

Non malos ultor venit inter ignes;
Non nigræ nimbo tonat è procellæ:
Nec minùs credas plácido veréndа
Númine templa.

Quid vetus fluxit cruor hostiárum?
Prístinæ cessent holocáusta legis:
Astat hîc aris, simul & Sacérdos,
Hóstia Christus.

Flectit & curvus Séraphim sub alis,
Dum Deo libans Deus immolátur:
Seque, post funus síbimet supérstes,
Præbet in escam.

Quid venis audax? procul hinc profánus;
Sancta ni fletûs lavet unda crimen!
Munda quàm multis jubet esse mundum
Vócibus ædes!

Trine, quæ sanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre;
Et pluant pingues resolúta lætis
Núbibus imbres. Amen.

℣. Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion.
℟. Deus in domibus ejus cognoscétur. *Ps.* 47. 3. 4.

Ad Magnif. *Ant.* t. 5. F. Sint óculi tui, Dómine, apérti super domum hanc nocte ac die; super domum, de quâ dixísti: Erit nomen meum ibi. 3. *Reg.* 8. 29.

Oratio ut infrà in Laudibus.

AD COMPLETORIUM.

Hodie & per Octavam.

HYMNUS.

HOc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni;
Et cleménti bonitáte
Precum vota súscipe:
Largam benedictiónem
Hîc infúnde júgiter.

Hîc promereántur omnes
Petíta acquírere,
Et adépta possidére,
Cum sanctis perénniter
Paradísum introíre,
Transláti in réquiem.

Sit perénnis laus Paréntí;
Sit perénnis Fílio:
Laus tibi, qui nectis ambos,
Sit perénnis, Spíritus,
Chrisma cujus nos inúngens
Viva templa cónsecrat.
Amen.

Ad Nunc dimitt. *Ant.* t. 5. a. Qui statis in domo Dómini, allelúia, in nóctibus extóllite manus vestras in sancta, allelúia. *Ps.* 133. 1. 2.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. Dóminum in templo sancto suo, * Veníte, adorémus, *Habac.* 2. 20.

IN I. NOCTURNO.

In domum sibi templum consecrat Dominus.

In Psalm. 5. Verba mea aúribus pércipe, Dómine, *pag.* 121.

Ant. t. 5. *a.* Implébo domum istam glóriâ, & in loco isto dabo pacem. *Aggæi.* 2. 8. 10.

In Psalm. 23. Dómini est terra & plenitúdo ejus, *pag.* 34.

Ant. t. 2. *D.* Dabo sanctificatiónem meam in médio eórum, & erit tabernáculum meum in eis. *Ezech.* 37. 26. 27.

In Psalm. 25. Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntiâ, *pag.* 94.

Ant. t. 7. *D.* Glória Líbani véniet ad ornándum locum sanctificatiónis meæ; & locum pedum meórum glorificabo. *Is.* 60. 13.

℣. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi; ℟. In domum Dómini íbimus. *Ps.* 121. 1.

De libro secúndo Paralipómenon.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 1. *ad* 6.

CUm compléßet Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cœlo, & devorávit holocáusta & víctimas: & majéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes ingredi templum Dómini, eò quòd impléßet majéstas Dómini templum Dómini. Sed & omnes filii Israel vidébant descendéntem ignem, & gloriam Dómini super domum: & corruéntes proni in terram super pavimentum stratum lápide, adoravérunt, & laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. Rex autem, & omnis pópulus, immolábant víctimas coram Dómino. Mactavit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia: & dedicávit domum Dei rex, & univérsus pópulus.

℟. 1. Ecce glória Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem. Et majéstas Dómini ingréßa est templum, * Et dixit ad me: Fili hóminis, locus sólii mei, & locus vestigiórum pedum meórum, ubi hábito in médio filiórum Israel in ætérnum. ℣. Implétum est templum fumo à majestáte Dei, & de virtúte ejus. * Et dixit. *Ezech.* 43. 2. 4. 7. *Apoc.* 15. 8.

Lectio ij. v. 6. *ad* 10.

SAcerdótes autem stabant in officiis suis: & Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum; Quóniam in ætérnum misericordia ejus; hymnos David canéntes per manus suas. Porrò sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque

Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium atrii ante templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáusta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta & sacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus; & omnis Israel cum eo; ecclésia magna valde, ab intróitu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo colléctã, eò quòd dedicásset altáre septem diébus, & solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. 2. In templo hoc ponã nomẽ meũ in sẽpitérnũ: & ultrà non fáciam commovéri pedem Israel, * Si tamen custodíerint ópera ómnia quæ præcépi eis. ℣. Sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos. * Si tamen. 4. Reg. 21. 7. 8. 2. Cor. 6. 16.

Lectio iij. v. 11. ad 17.

Omplevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ dispósuerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, & in domo suâ; & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locústæ, ut dévoret terram; & mísero pestiléntiam in pópulum meum: convérsus autem pópulus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis pessimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elégi enim, & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. 3. Elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. * Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. ℣. De omni re quamcúmque petíerint, fiet: ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum. * Oculi. Glória. * Oculi. 2. Paral. 7. 12. 15. Matth. 18. 19. 20.

IN II. NOCTURNO.

Quàm verenda domus Dei consecrata.

In Psalm. 28. Afférte Dómino, fílii Dei, *pag.* 5.

Ant. t. 1. *A.* Tu, Dómine, elegísti domum istam, ut esset domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7. 37.

In Psalm. 45. Deus noster refúgium & virtus, *pag.* 96.

Ant. t. 2. *d.* Stábimus coram domo hâc in conspéctu tuo; & clamabimus ad te in tribulatiónibus nostris, & exaudies. 2. *Paral.* 20. 9.

In Psalm. 47. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, *pag.* 97.

Ant. t. 4. *E.* Sciant omnes pópuli, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc. 2. *Paral.* 6. 33.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus, ℟. Deus in médio ejus. *Psal.* 45. 5. 6.

Sermo sancti Bernárdi Abbatis.

Lectio iv. in Dedic. Serm. 1. n. 1.

FEstívitas hodíerna, fratres, tantò nobis debet esse devótior, quantò familiárior est. Nam cæteras quidem Sanctórum solemnitátes cum Ecclésiis aliis habémus communes; hæc verò sic nobis est própria, ut necésse sit, vel à nobis eam, vel a némine, celebrári. Nostra est, quia de Ecclésiâ nostrâ; magis autem nostra, quia de nobis ipsis. Mirámini fórsitan, & erubéscitis celebrári festa de vobis; sed nolite fíeri sicut equus & mulus quibus non est intelléctus. Quid enim lápides isti potuérunt sanctitátis habére, ut eórum solémnia celebrémus? Habent útique sanctitátem, sed propter córpora vestra. An verò córpora vestra sancta esse quis dúbitet, quæ templum sancti Spíritûs sunt; ut sciat unusquísque possidére vas suum in sanctificatióne? Itaque sanctæ sunt ánimæ propter inhabitántem Spíritum Dei in vobis; sancta sunt córpora propter ánimas; sancta est étiam propter córpora domus.

℟. 4. Réspice, Sion, civitátem solemnitátis nostræ Jerúsalem: * Tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: quia solúmmodo ibi magníficus est Dóminus noster. ℣. Domus Dei est Ecclésia Dei vivi, colúmna & firmaméntum veritátis. * Tabernáculum. *Is.* 33. 20. 21. 1. *Tim.* 3 15.

Lectio v. n. 3. & 4.

QUando domus ista per manus Pontíficum dedicáta est Dómino, propter nos sine dúbio factum est; in nobis proínde spirituáliter impléri necésse est, quæ in pariétibus visibíliter præcessérunt. Et si vultis scire, hæc útique sunt; Aspérsio, inscríptio, inúnctio, illuminátio, & benedíctio. Hæc quidem in hâc visíbili domo fecére Pontífices; hæc Christus assístens Póntifex futurórum bonórum invisibíliter quotídie operátur in nobis. Primò siquidem nos aspérgit hyssópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur;.. Lavat, inquam, nos in con-

fessione; lavat nos lacrymárum imbre; lavat sudóribus pœnitentiæ: magis autem lavat nos aquâ illâ pretiosíssimâ quæ de fonte pietátis, id est, ab ejus látere, emanavit... Non solum autem, sed inscribit digito Dei, in quo ejiciebat dæmonia; haud dúbium quin in Spiritu sancto. Inscribit, inquam, legem suam, non jam in lápide, sed in tábulis cordis carnálibus, prophéticam implens promissiónem, quâ se pollícitus est ablatúrum cor lapídeum, & cárneum cor esse datúrum; id est, non durum, non obstinátum, non judaïcum; sed pium, sed mansuétum, sed tractábile, sed devótum.

℟. 5. Verè Dóminus est in loco isto. * Quàm terríbilis est locus iste! non est hic áliud, nisi domus Dei, & porta cœli. ℣. Audívi vocem magnam dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, & habitábit cum eis. * Quàm terríbilis. *Gen.* 28. 16. 17. *Apoc.* 21. 3.

Lectio vj. n. 5. & 6.

UNde necésse est ut únctio spirituális gratiæ ádjuvet infirmitátem nostram, observantiárum & multímodæ pœnitentiæ cruces devotiónis suæ grátiâ liniens; quia nec est sine cruce sequi Christum, nec sine unctióne crucis asperitátem ferre quis posset? Hinc est quòd multi fúgiunt pœniténtiam; crucem quidem vidéntes, sed non unctiónem. Vos, qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inúncta est, & per grátiam Spíritûs adjuvantis, suávis & delectábilis est pœniténtia nostra, &, ut ita dicam, amaritúdo nostra dulcíssima... Jam verò benedictiónem quidem expectamus in fine, quando apériet manum suam, & implebit omne ánimal benedictione: nam in quátuor præmíssis mérita constant; in benedictióne sunt præmia. In benedictióne tota complébitur grátia sanctificatiónis, quando jam in domum transíbimus non manufáctam, æternam in cœlis. Ipsa est quæ constitúitur vivis ex lapídibus, Angelis scilicet & homínibus. Simul enim ædificatio, & dedicatio ipsa complebitur.

℟. 6. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, & adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est. * Adoráte in monte sancto ejus: † Quóniam sanctus Dominus Deus noster. ℣. Veri adoratores adorabunt Patrem in spíritu & veritáte: nam & Pater tales quærit qui adorent eum. * Adoráte. Glória. † Quoniã. *Ps.* 98. 5. 9. *Joan.* 4. 23.

IN III. NOCTURNO.

Ab omni irreverentiâ cave in domo Dei.

In Psalm. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion, *pag.* 60.

Ant. t. 7. C. Solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. *Exod.* 3. 5.

In Psalm. 83. Quàm dilecta tabernácula tua, *pag.* 99.

Ant. t. 3. a. Ipse qui habet in cœlis habitatiónem, visitator & adjútor est loci illíus, & veniéntes ad malefaciéndum percutit, ac perdit. 2. *Mach.* 3. 39.

In Psalm. 86. Fundaménta ejus in móntibus sanctis, *pag.* 99.

Ant. t. 2. D. Cadat virtus eórum in iracúndiâ tuâ, Dómine, qui promíttunt se violáre sancta tua, & pollúere tabernáculum nóminis tui. *Judith* 9. 11.

℣. Adorábo ad templum sanctum tuum ℟. In timóre tuo. *Ps.* 5. 8.

Lectio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. Cap. 11. *v.* 11. *ad* 19.

IN illo témpore; Introívit Jesus Jerosólymam in templum: & circumspéctis ómnibus, cùm jam véspera esset hora, éxiit in Bethániam cum duódecim. Et réliqua.

Homília sancti Basílii Epíscopi.

In Psalm. 28. n. 3.

NEcessária est adorátio, non ea quæ fit extra Ecclésiam, sed quæ in ipsâ Dei aulâ perfícitur. Ne mihi privátas aulas, aut Ecclésias excogitétis. Una est aula sancta Dei. Synagoga Judæorum prius aula erat: sed post admissum in Christum peccátum, facta est habitátio eórum desérta. Quaprópter & Dóminus: Et álias oves hábeo quæ non sunt ex hoc ovíli. Cùm autem loquátur de iis qui ex géntibus ad salútem præordináti sunt, aulam própriam præter Judæórum aulam osténdit. Non ígitur extra sanctam hanc aulam adoráre opórtet, sed intra ipsam... Intérsunt multi in hábitu quidem precatiónis; nec sunt tamen in aula ob mentis evagatiónem, & ánimi eórum aberrratiónem, ex vanis ac inutílibus curis nascéntem.. Qui ventrem, aut glóriam, aut argéntum, aut quidvis áliud quod réliquis ómnibus plúris æstimat, Deum fécerit, is neque adórat Dóminum, neque in aula sancta est, etiámsi videátur esse dignus qui ad sensíbiles convéntus admittátur.

℟. 7. Audíte, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum: * Bonas fácite vias vestras, & stúdia vestra. ℣. Appropinquáte Deo, & appropinquábit vobis: emundáte manus, purificáte corda. * Bonas fácite. *Jerem.* 7. 2. 3. *Jacob.* 4. 8.

Lectio viij. n 7.

IN templo adstant sancti Angeli: adest Dóminus, qui ánimum ingrediéntium

intuétur. Preces uniuscujúsque manifésta Deo sunt, quis ex affèctu, quis scitè exquírat cœléstia, quis perfunctóriè & extrémis labris verba pronúntiet; cor verò ipsíus procul à Deo sit. Quòd si orat; carnis sanitátem, opésque corpóreas, & humánam glóriam efflágitat. Horum autem nihil sic petendum est, ut Scriptúra docet: Sed in templo ejus unusquísque dicit gloriam.. Creatúra omnis tum silens, tum loquens, tum cœlestis, tum terréna dat glóriam Conditóri. Miserábiles verò hómines, postquam, ædibus suis relíctis, ad templum concurrérunt, quasi quídpiam consecutúri emoluménti; tamen Dei verbis aures non præbent; suam ipsórum natúram non séntiunt: præoccupáti peccáto non affligúntur: non mœrent, dum reminiscúntur peccatórum: non timent judícium; sed arridentes, & inter se jungéntes dextras, precatiónis domum in locum immódicæ loquacitátis vertunt.

℟. 8. Qui adhærent Dómino, ut colant eum, & díligant nomen ejus, lætificábo eos in domo orationis meæ: * Quia domus mea, domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. ℣. Nolíte fácere domum Patris mei, domū negotiatiónis. * Quia domus. *Is.* 56. 6. 7. *Joan.* 2. 16.

Lectio ix. n. 7.

CAve ne quando ábeas cum iis qui ímpia & contumeliósa verba in Dei nomen évomunt, condemnátus, cùm debuísses mercedem pro rerum divinárum celebratióne recípere. Habes Psalmum, habes Prophetíā, præcépta Evangélica, Apostolórum prædicatiónes. Lingua psallat, mens, eórum quæ dicta sunt, scrutétur intelligéntiam; ut psallas spíritu, psallas item & mente. Deus enim mínimè índiget glóriâ: sed te vult esse dignū, qui glóriam consequáre. Hæc à nobis dicta sunt, quòd sunt qui loquéndi finem in Dei templo numquam fáciant, ac inutíliter ingrediántur. Utinam inutíliter non cum detriménto!

℟. 9. Tu, Dómine universórum, qui nullíus índiges, voluísti templum habitatiónis tuæ fíeri in nobis. * Et nunc, sancte sanctórum Dómine, † Consérva in ætérnum impollútam domum istam. ℣. Si quis templum Dei violáverit, dispérdet illum Deus: templum enim Dei sanctum est. * Et nunc. Glória. † Consérva. 2. *Mach.* 14. 35. 36. 1. *Cor.* 3. 17.

Te Deum.

AD LAUDES.

Si domus Dei est templum ex lapidibus [illegible] máverint te ; * benedictíque erunt qui ædificáverint te. Tu autem lætáberis in fí-[illegible] omnes

de profundis.

heures qu'on dira une messe [illegible]
pour leurs défunts confrères.

heures, on fera un service pour
l'âme de Charles Tassard Capitaine
[illegible] de la Légion d'honneur, [illegible]
[illegible] major au même régiment,
[illegible] l'entrée de [illegible] Leipsic.

[illegible] juirement.

[illegible] heures, on commencera [illegible]
[illegible] de l'âme de défunte dame Bro[illegible]

[illegible] nous célébrerons [illegible]
[illegible]. On y dira une messe [illegible]

Capitulum. 1. *Cor.* 6. 19. 20.

AN nescitis quoniam membra vestra, templum sunt Spíritûs sancti, qui in vobis est, quem habétis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in córpore vestro.

℣. Domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, ℟. In longitúdinem diérum. *Psalm.* 92. 5.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *a.* Habéntes fidúciam in introitu sanctorum in sánguine Christi, accedámus cum vero corde, aspérsi corda à consciéntia mala, & ablúti corpus aquâ mundâ. *Hebr.* 10. 19. 22.

ORATIO

In die Dedicationis.

DEus, qui invisibiliter omnia continens, pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibiliter ostendis: templum hoc poténtiâ tuæ inhabitationis illústra, & concéde, ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatione ad te clamaverint, consolatiónis tuæ beneficia consequántur; Per, &c.

ORATIO

In Anniversario Dedicat.

DEus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecrationis réparas diem, & sacris semper mysteriis repræséntas incolumes; exáudi preces pópuli tui; & præsta ut quisquis hoc templum beneficia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur; Per, &c.

AD HORAS

Ant. de Laudibus.

Psalmi de Dominicâ.

AD PRIMAM.

Ant. Quàm pulchra.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui magníficas in nobis locum tuum, & templum. 2. *Mach.* 3. 30.

CANON

Ex Concílio Coloniénsi primo. *An.* 1536. *part.* 9. *Canon* 13.

SIgnat templi Dedicátio tam fidélis ánimæ, quàm Ecclésiæ cum Christo desponsatiónem. Quamobrem, nisi ómnia quæ in hujuscémodi consecratióne extérius agúntur, in nobis spiritáliter impleántur; parùm hinc fructûs nobis accésserit.

AD TERTIAM.

Ant. Christi domus.

Capitulum. 2. *Cor.* 6. 16.

VOs estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus; quóniam inhabitábo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.

℟. Nolite confídere in verbis mendacii, dicentes: Templũ Domini est. * Quóniam † Si bene diexéritis vias vestras, & stúdia vestra, habitábo vobíscum. ℣. Dei ædificátio estis: unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet. * Quoniam. Glória. † Si bene. *Jerem.* 7. 4.

5. 7. 1. *Corinth.* 3. 9. 10.

℣. Quis stabit in loco sancto ejus? ℟. Innocens manibus & mundo corde, allelúia. *Ps.* 23. 3. 4.

Per Octavam. ℟. *br.* Sanctum est templum tuum. * Allelúia, allelúia. Sanctum est. ℣. Mirábile in æquitáte.* Allelúia. Gloria. Sanctum est. *Ps.* 64. 5. 6.

℣. Confitébor tibi in sæculum ℟. In conspéctu sanctórum tuórum, allelúia. *Ps.* 51. 11.

AD SEXTAM.

Ant. Ad Dóminum.

Capitulum. Apoc. 3. 12.

QUi vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, & foràs non egredietur ámplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitátis Dei mei novæ Jerúsalem.

℟. *br.* Beátus quem elegísti, & assumpsísti; * Allelúia, allelúia. Beátus. ℣. Inhabitábit in atriis tuis. * Allelúia. Glória. Beátus. *Ps.* 64. 5.

℣. Beáti, qui hábitant in domo tuâ, Dómine; ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te, allelúia. *Ps.* 83. 5.

AD NONAM.

Ant. Meménto.

Capitulum. Soph. 1. 9.

VIsitábo super omnem qui arrogánter ingréditur super limen in die illâ: qui complent domum Dómini Dei sui iniquitáte & dolo.

℟. *br.* Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * Allelúia, allelúia. Dómine. ℣. Qui ingréditur sine mácula. * Allelúia. Glória. Dómine. *Ps.* 14. 1. 2.

℣. Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimā meam: ℟. Quoniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, allelúia. *Ps.* 41. 5.

AD II. VESPERAS.

Ex domo Dei visibili in terris, ad civitatem Dei invisibilem in cælis assurgendum.

Ant. t. 3. *A.* Accessístis.

In Psalm. 121. Lætátus sum in his quæ dicta, *pag.* 111.

Ant. Accessístis ad Sion montem, & civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœlestem. *Hebr.* 12. 22.

Ant. t. 8. *C.* Dóminus.

In Psalm. 126. Nisi Dóminus ædificáverit, *pag.* 52.

Ant. Dóminus Deus omnipotens templum illíus est, & Agnus. *Apoc.* 21. 22.

Ant. t. 4. *E.* Civitas.

In Psalm. 131. Meménto, Dómine, David, *pag.* 112.

Ant. Cívitas non eget sole, neque lunâ, ut lúceant in ea; nam cláritas Dei illumináνit eam, & lucérna ejus est Agnus. *Apoc.* 21. 23.

Ant. t. 5. *a.* Non intrábit.

In Psalm. 137. Confitébor tibi, quóniam audísti, *pag.* 53.

Ant. Non intrábit in eam

áliquod coinquinátum, aut abominatiónem fáciens, & mendácium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. *Apoc.* 21. 27.

Ant. t. 1. *irr.* Beáti.

In Psalm. 147. Lauda, Jerúsalem, Dóminum, *pag.* 93.

Ant. Beáti qui lavant stolas suas, ut per portas intrent in civitátem. *Apoc.* 22. 14.

Capitulum. 2. *Cor.* 5. 1.

Scimus, quóniam si terréstris domus nostra hujus habitatiónis dissolvátur, quòd ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufactam, ætérnam in cœlis.

HYMNUS.

O Domus cœlis ópibus fecúnda!
Dives en plenis mánibus scatúrit
Fons tibi Christus, váriis & undans
Grátia rivis.

Hîc sacri mundant látices, ab ortu
Inditam primi máculam reátus:
Hîc & infúso nova consecrántur
Chrísmate membra.

Se dat in mensa cibus Angelórum;
Quem fames aris satiánda sistit,
Gaudet hîc sacro reparáre vires
Lætus ab esu.

Ore divínum sitiénte verbum
Sugit hîc infans, cúpidus docéri:
Lac datur parvo, sólidâque fortis
Páscitur escâ.

Hîc salus cunctis sua constat ægris:
Hîc sacros Numen sua per minístros
Jura dum laxat, redivíva pellit
Grátia culpam.

Hîc ruens prompti cohibére fulmen
Stant ab advérso, Domínúmque placant,
Víndices in nos quóties ab alto
Dépluit iras.

Trine, quæ sanctis tibi thura fumant
Ædibus, grato pláceant odóre,
Et pluant pingues resolúta lactis
Núbibus imbres.
Amen.

℣. Quàm diléćta tabernácula tua, Dómine virtútum!
℟. Concupíscit, & deficit ánima mea in átria Dómini. *Psalm.* 83. 2. 3.

Ad Magn. Ant. t. 5. *F.* In hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cœlo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. 2. *Cor.* 5. 2. 3.

Oratio ut suprà in Laudibus.

INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

AD OFFICIUM NOCT.

Invitat. ut in die Festi.

Psalmi de Feriâ occurrente.

Tres Antiphonæ ℣. & ℟℟℟. ex uno ex Nocturnis Festi juxta Rubricam: Duæ primæ Lectiones ex Scripturâ occurrente. Tertia ut habetur infrà in qualibet die.

AD LAUDES.

Ant. Prima de Laudibus, Psalmi de Feria. Canticum ut in die. Cætera ut in Laudibus Festi.

AD HORAS breves Antiphonæ de Laudibus quartâ prætermissâ ut in die. Reliqua ut in Festo præter Canonem.

AD VESPERAS.

Antiph. prima de II. Vesperis; Psalmi de Feriâ: reliqua ut in II. Vesperis diei. Completorium, ut suprà.

SECUNDA DIE INTRA OCTAVAM DEDICATIONIS.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Lectio iij.

Serm. 356. in Dedicat. Eccl. c. 1. aliàs de tempore. 256.

CElébritas hujus congregationis, Dedicátio est domûs oratiónis. Domus ergo nostrárum oratiónum, ista est; domus Dei, nos ipsi. Si domus Dei, ons ipsi, nos in hoc sæculo ædificámur, ut in fine sæculi dedicémur. Ædificium, immò ædificátio habet labórem, Dedicátio exultatiónē. Quod hic fiébat, quando ista surgébant; hoc fit modò, cùm congregántur credéntes in Christum. Credéndo enim, quasi de sylvis & móntibus ligna & lápides præciduntur: cum verò catechizántur, baptizántur, formántur, tamquam inter manus fabrórum & opíficum dolántur, collineántur, complanántur. Verúmtamen domum Dómini non fáciunt, nisi quando charitáte compaginántur.

TERTIA DIE.

De Sermóne sancti Augustíni Epíscopi.

Lectio iij.

Unde suprà. c. 6.

DUm novam constructiónem sanctæ hujus Ecclésiæ libénter atténdimus, quam divíno nómini dedicámus; invenímus à nobis debéri, & Deo nostro máximā laudem, & sanctitáti vestræ cóngruum de divínæ domûs ædificatióne sermónem. Tunc autem sermo noster cóngruus erit, si in se áliquid ædificatiónis hábeat, quod utilitáti animárum vestrárum, Deo vos intériùs ædificánte, profíciat. Quod hîc factum corporáliter vidémus in parietibus, spirituáliter fiat in méntibus; & quod hîc perfectum cérnimus in lapídibus & lignis, hoc, ædificánte gratiâ Dei, perficiátur in corpóribus vestris. Principáliter ergo grátias agámus Dómino Deo nostro, à quo est omne datum óptimum,

Israel stabat. Sanctificávit quoque Sálomon médium atrii ante templum Dómini; obtúlerat enim ibi holocáusta & ádipes pacificórum; quia altáre æneum quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta & sacrifícia & ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus; & omnis Israel cum eo; ecclésia magna valde, ab intróitu Emath usque ad torréntem Ægypti. Fecítque die octávo collectã, eò quòd dedicásset altáre septem diébus, & solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. 2. In templo hoc ponã nomẽ meũ in sẽpitérnũ: & ultrà non fáciam commovéri pedem Israel, * Si tamen custodíerint ópera ómnia quæ præcépi eis. ℣. Sicut dicit Deus: Quóniam inhabitábo in illis, & inambulábo inter eos. * Si tamen. 4. *Reg.* 21. 7. 8. 2. *Cor.* 6. 16.

Lectio iij. v. 11. *ad* 17.

COmplevítque Sálomon domum Dómini, & domum regis, & ómnia quæ dispósuerat in corde suo, ut fáceret in domo Dómini, & in domo suâ; & prosperátus est. Appáruit autem ei Dóminus nocte, & ait: Audívi oratiónem tuam, & elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. Si cláusero cœlum, & plúvia non flúxerit, & mandávero & præcépero locústæ, ut dévoret terram; & mísero pestiléntiam in pópulum meum: convérsus autem pópulus meus, super quos invocatum est nomen meum, deprecátus me fúerit, & exquisíerit fáciem meam, & égerit pœniténtiam à viis suis péssimis: & ego exáudiam de cœlo, & propítius ero peccátis eórum, & sanábo terram eórum. Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. Elégi enim, & sanctificávi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, & permáneant óculi mei, & cor meum ibi cunctis diébus.

℟. 3. Elégi locum istum mihi in domum sacrifícii. * Oculi quoque mei erunt apérti, & aures meæ eréctæ ad oratiónem ejus, qui in loco isto oráverit. ℣. De omni re quamcúmque petíerint, fiet: ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum. * Oculi. Glória. * Oculi. 2. *Paral.* 7. 12. 15. *Matth.* 18. 19. 20.

IN II. NOCTURNO.

Quàm verenda domus Deo consecrata.

In Psalm. 28. Afférte Dómino, filii Dei, *pag.* 5.

Ant. t. 1. *A.* Tu, Dómine, elegísti domum istam, ut esset domus oratiónis pópulo tuo. 1. *Mach.* 7. 37.

In Psalm. 45. Deus noster refúgium & virtus, *pag.* 96.

Ant. t. 2. d. Stábimus coram domo hàc in conspéctu tuo; & clamabimus ad te in tribulatiónibus nostris, & exaudies. 2. *Paral.* 20. 9.

In Psalm. 47. Magnus Dóminus & laudábilis nimis, *pag.* 97.

Ant. t. 4. *E.* Sciant omnes pópuli, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc. 2. *Paral.* 6. 33.

℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus, ℟. Deus in médio ejus. *Psal.* 45. 5. 6.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. in Dedic. Serm. 1. n. 1.

FEstívitas hodíerna, fratres, tantò nobis debet esse devótior, quantò familiárior est. Nam cæteras quidem Sanctórum solemnitátes cum Ecclésiis aliis habémus commúnes: hæc verò sic nobis est própria, ut necésse sit, vel à nobis eam, vel à némine, celebrári. Nostra est, quia de Ecclésiâ nostrâ; magis autem nostra, quia de nobis ipsis. Mirámini forsitan, & erubéscitis celebrári festa de vobis; sed nolíte fieri sicut equus & mulus quibus non est intelléctus. Quid enim lápides isti potuérunt sanctitátis habére, ut eórum solémnia celebrémus? Habent útique sanctitátem, sed propter córpora vestra. An verò córpora vestra sancta esse quis dúbitet, quæ templum sancti Spíritûs sunt; ut sciat unusquísque possidére vas suum in sanctificatióne? Itaque sanctæ sunt ánimæ propter inhabitantem Spíritum Dei in vobis; sancta sunt córpora propter ánimas; sancta est étiam propter córpora domus.

℟. 4. Réspice, Sion, civitátem solemnitátis nostræ Jerúsalem: * Tabernáculum quod nequáquam transférri póterit: quia solúmmodo ibi magníficus est Dóminus noster. ℣. Domus Dei est Ecclésia Dei vivi, colúmna & firmaméntum veritátis. * Tabernáculum. *Is.* 33. 20. 21. 1. *Tim.* 3 15.

Lectio v. n. 3. & 4.

QUando domus ista per manus Pontíficum dedicáta est Dómino, propter nos sine dúbio factum est; in nobis proínde spirituáliter impléri necésse est, quæ in parietibus visibíliter præcessérunt. Et si vultis scire, hæc útique sunt; Aspérsio, inscríptio, inúnctio, illuminátio, & benedíctio. Hæc quidem in hâc visíbili domo fecére Pontífices; hæc Christus assístens Póntifex futurórum bonórum invisibíliter quotídie operátur in nobis. Primò siquidem nos aspérgit hyssópo, ut mundémur, lavémur, dealbémur; .. Lavat, inquam, nos in con-

júsdam ineffábilis quiétis, quæ hábitat in illa civitáte; sic cantémus ut desiderémus. Dedicábitur domus aliquándo, quæ nunc fabricátur: modò enim fabricátur domus, id est Ecclésia; póstea dedicábitur. In dedicatióne apparébit glória pópuli Christiáni, quæ modò latet. Tamen, fratres, ántequam véniat dies dedicationis domûs, videámus quia jam dedicátum est caput nostrum: jam facta est dedicátio domûs in cápite, tamquam dedicátio fundaménti.

Lectio v.

in Psalm. 121. num. 4.

FUndaméntum quando pónitur in terra, désuper ædificántur paríetes, & pondus paríetum ad ima tendit, quia in imo pósitum est fundaméntum. Si autem fundaméntum nostrum in cœlo est, ad cœlum ædificémur. Córpora ædificavérunt istam structúram, quam vidétis amplam surrexísse hujus basílicæ: & quia córpora ædificavérunt, fundaméntum in imo posuérunt. Quia verò spirituáliter ædificámur, fundaméntum nostrum in summo pósitum est. Illuc ergo currámus ubi ædificémur; quia de ipsa Jerúsalem dictum est: stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Jerúsalem.

Lectio vj.

Serm. 337. de Ded. Eccl. C. 1.

ITaque sicut hoc ædificium visíbile factum est nobis corporáliter congregándis; ita illud ædificium, quod nos ipsi sumus, Deo spirituáliter habitatúro construítur: Templum enim Dei sanctum est, inquit Apóstolus, quod estis vos. Sicut hoc terrénis mólibus construímus; sic illud bene compósitis móribus erigamus. Hoc enim nunc visitantibus nobis, illud in fine sæculi, Dómino veniénte, dedicábitur; quando corruptíbile hoc nostrum índuet incorruptiónem, & mortále hoc nostrum índuet immortalitátem; quia corpus humilitátis nostræ conformábit córpori glóriæ suæ.

IN III. NOCTURNO.

Léctio sancti Evangélii secúndùm Joánnem.

Lectio vij. Cap. 10. *v.* 22.

IN illo témpore: Facta sunt Encænia in Jerosólymis; & Hyems erat; & ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília venerábilis Bedæ Presbyteri.

Exposit. in Evang. Joan.

ENcænia vocabatur solémnitas dedicatiónis templi, quam pópulus Dei ex antíqua Patrum traditióne per annos síngulos celebrare consuéverat. Sed notandum est quòd hæc Encænia, quæ hîc legúntur, non


ad primam templi dedicatiónem, sed ad últimam pértinent: quod ex eo fácilè colligitur, quia Hyeme facta referúntur. Prima síquidem ejúsdem templi dedicátio à Salomóne témpore Autúmni; secúnda autem à Zoróbabel & Jesu Sacerdote témpore Veris; tertia à Juda Machabæo témpore Hyemis est facta, quando speciáliter constitútum esse légitur, ut eádem dedicátio per omnes annos in memóriam solémnibus renovarétur offíciis: quæ étiam ad tempus usque Domínicæ incarnatiónis observáta fuit, sicut modò, cùm legerétur Evangélium, audívimus. Quæ étiam dedicátio salúbri consuetúdine in Ecclésiis Christi servári modérno témpore dignóscitur.

Lectio viij.

ET ambulábat Jesus in pórticu Salomonis. Si Dei Fílius ambuláre vóluit in templo in quo caro & sanguis brutórum animálium offerebátur; multò magis nostram oratiónis domum, ubi carnis ipsíus ac sánguinis sacraménta celebrántur, visitáre gaudébit. Si perambuláre non despéxit pórticum, in quo rex quondam mortális ac terrénus, quamvis potentíssimus ac sapientíssimus, ad orándum stare solébat; quantò magis penetrália córdium nostrórum invísere atque illustráre desíderat; si tamen ea pórticum esse Salomónis, hoc est, si ea timórem suum, qui est inítium sapiéntiæ, habére perspéxerit?

Lectio ix.

NEque enim putándum est, quia domus solúmmodo in qua ad orándum, vel ad mystéria celebránda convenímus, templum sit Dómini; & non ipsi qui in nómine Dómini convenímus, multò ámplius templum ejus appellémur & simus; cùm manifésté dicat Apóstolus; Vos estis templum Dei vivi, sicut dicit Deus, Inhabitábo in eis, & inter illos ambulábo.



OFFICIUM

BEATÆ MARIÆ

IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus ac Vigiliis Assumptionis B. M. & omnium Sanctorum; & nisi occurrat Festum Dupl. vel Semid. fit Officium de Beata, ut infrà.

AD VESPERAS FERIÆ SEXTÆ.

Si Feria 6. factum sit Officium de Dupl. fiet tantùm commemoratio de Beata, sub Ant. ad Magnif. ℣. *& Orat. sequent... si Feria dicta 6. factum sit Officium de Semid. Vesperæ erunt de Beata, cum commemoratione de Semid. fit etiam commemoratio de Simpl.*

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. irr. BEnedícta es tu, filia, à Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23.

Ant. t. 3. E. Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Is.* 60. 2.

Ant. t. 4. E. Ex te egrediétur qui sit Dominátor in Israel. *Mich.* 5. 2.

Ant. t. 5. F. Vidébunt gentes justum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum. *Is.* 62. 2.

Ant. t. 7. a. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsa terra. *Judith.* 11. 21.

Capitulum. Gen. 3. 14. 15.

AIt Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus: ipsa cónteret caput tuū.

HYMNUS.

AVe, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta:

Sumens illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem;
Sumat per te preces,

Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singuláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Deus osténdet splendórem suum in te, omni qui sub cœlo est. *Baruch.* 5. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

COMPL *ut in Psalt. Ad fin. Hym.*

Qui natus es de Vírgine
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jesum de Maríâ natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. 16.

Novem Psalmi de Feria sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. t. 1. *A.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini; quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* In ómnia sæcula sæculórum luce spléndidâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

Ant. t. 8. *g.* In te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

℣. Glorióſa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86. 3.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia erit una ex inferiùs positis secundùm mensem, nisi in Sabbato fiat de Vigilia habente Evangelium: tunc enim tertia Lectio erit de Homilia.

℟. 1. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, confortátum est cor tuum, * Eò quòd castitátem amáveris, & ideò eris benedícta in ætérnum. ℣. María, invenísti grátiam apud Deum; * Eò quòd. *Judith.* 15. 10. 11. *Luc.* 1. 30.

℟. 2. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, * Qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. ℣. Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino: * Qui te. *Judith.* 13. 24. *Luc.* 1. 45.

℟. 3. Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, * Propter angústias géneris tui, subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

℣. Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum. * Propter. Glória Patri. * Propter.

OFFICIUM
BEATÆ MARIÆ
IN SABBATO.

Omnibus Sabbatis, præterquam in Adventu, Quadragesima, quatuor Temporibus ac Vigiliis Assumptionis B. M. & omnium Sanctorum; & nisi occurrat Festum Dupl. vel Semid. fit Officium de Beata, ut infrà.

AD VESPERAS FERIÆ SEXTÆ.

Si Feria 6. factum sit Officium de Dupl. fiet tantùm commemoratio de Beata, sub Ant. ad Magnif. *℣. & Orat. sequent... si Feria dicta 6. factum sit Officium de Semid. Vesperæ erunt de Beata, cum commemoratione de Semid. fit etiam commemoratio de Simpl.*

Psalmi de Feria.

Ant. t. 1. irr. BEnedícta es tu, fília, à Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. *Judith.* 13. 23.

Ant. t. 3. E. Super te oriétur Dóminus, & glória ejus in te vidébitur. *Is.* 60. 2.

Ant. t. 4. E. Ex te egrediétur qui sit Dominátor in Israel. *Mich.* 5. 2.

Ant. t. 5. F. Vidébunt gentes justum tuum, & cuncti reges ínclytum tuum. *Is.* 62. 2.

Ant. t. 7. a. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsa terra. *Judith.* 11. 21.

Capitulum. Gen. 3. 14. 15.

AIt Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te & mulíerem, & semen tuum & semen illíus: ipsa cónteret caput tuũ.

HYMNUS.

AVe, maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta:
Sumens illud Ave,
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem;
Sumat per te preces,

Qui pro nobis natus,
Tulit esse tuus.
Virgo singuláris
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Jesum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Anima mea exultábit in Dómino; ℟. Et delectábitur super salutári suo. *Ps.* 34. 9.

Ad Magn. *Ant. t.* 6. *f.* Deus osténdet splendórem suum in te, omni qui sub cœlo est. *Baruch.* 5. 3.

Oratio ut infrà ad Laudes.

Compl *ut in Psalt. Ad fin. Hym.*

Qui natus es de Vírgine
Jesu, tibi sit glória,
Cum Patre & almo Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

AD OFFIC. NOCT.

Invitat. Jesum de Maríâ natum, * Venite, adorémus. *Matth.* 1. 16.

Novem Psalmi de Feria sub tribus Antiphonis sequentibus.

Ant. t. 1. *A.* Eris coróna glóriæ in manu Dómini; quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 3. 4.

Ant. t. 4. *E.* In ómnia sæcula sæculórum luce spléndidâ fulgébis. *Tob.* 13. 12. 13.

Ant. t. 8. *g.* In te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. *Gen.* 12. 3.

℣. Glorióśa dicta sunt de te, ℟. Cívitas Dei. *Ps.* 86. 3.

Duæ primæ Lectiones erunt de Scriptura occurrente, tertia erit una ex inferiùs positis secundùm mensem, nisi in Sabbato fiat de Vigilia habente Evangelium: tunc enim tertia Lectio erit de Homilia.

℟. 1. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri, confortátum est cor tuum, * Eò quod castitátem amáveris, & ideò eris benedícta in ætérnum. ℣. María, invenísti grátiam apud Deum; * Eò quòd. *Judith.* 15. 10. 11. *Luc.* 1. 30.

℟. 2. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, * Qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum. ℣. Beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino: * Qui te. *Judith.* 13. 24. *Luc.* 1. 45.

℟. 3. Dóminus nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, * Propter angústias géneris tui, subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

℣. Ecce concípies in útero, & páries fílium, & vocábis nomen ejus Jesum. * Propter. Glória Patri. * Propter.

Judith. 13. 25. *Luc.* 1. 31.

Te Deum *dicitur.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerdot.* Confiteántur tibi pópuli, Deus; ℟. Terra dedit fructum suum, *Psalm.* 66. 6. 7.

Ant. t. 1. *A.* Ave, grátiâ plena: Dóminus tecum; benedícta tu in muliéribus. *Luc.* 1. 28.

Ant. t. 3. *a.* Tota pulchra es, & mácula non est in te. *Cant.* 4. 7.

Ant. t. 5. *a.* Multæ filiæ congregavérunt divítias; tu supergréssa es univérsas. *Prov.* 31. 29.

Ant. t. 7. *a.* In omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel. *Judith.* 13. 31.

Ant. t. 6. *f.* Venit lumen tuum, & glória Dómini super te orta est. *Is.* 60. 1.

Capitulum. Is. 7. 13. 14.

AUdíte, domus David: Dabit Dominus ipse vobis signum; Ecce Virgo concípiet, & páriet Filium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Veníte, & vidéte ópera Dómini, ℟. Quæ pósuit prodígia super terram. *Ps.* 45. 9.

Ad Bened. *Ant. t.* 1. *D.* Beátus venter, qui te portávit, & úbera quæ suxísti. *Luc.* 11. 27.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriosâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítiâ, & ætérna pérfrui lætítia; Per, &c.

Ad Hor. br. Ant. de Laud.

AD PRIMAM.

Ad ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maríâ Vírgine, &c.

AD TERTIAM.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ est ista quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

℟. *br.* Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa.

℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. * In lábiis. Glória. Diffúsa. *Ps.* 44. 3.

℣. Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ ℟. Inténde, prósperè procéde, & regna. *Ps.* 44. 5.

AD SEXTAM.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus qui exaltávit eam, & sit regnum ejus in sæcula sæculórum super eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum.

℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Glória. Vultum. *Ps.* 44. 13.

℣. Concupíscet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44. 12.

AD NONAM.

Capitulum. Apoc. 12. 5.

MUlier péperit Fílium máſculum, qui rectúrus erat omnes gentes; & raptus eſt Fílius ejus ad Deū, & ad thronum ejus.

℟. *br.* Homo * Natus eſt in ea. Homo; ℣. Et ipſe fundávit eam Altíſſimus. * Natus. Glória. Homo. *Pſ.* 86. 5

℣. Elégit eam Dóminus ℟. In habitatiónem ſibi. *Pſ.* 131. 13.

Hoc Officium terminatur ad Nonam.

Una ex ſequentibus Lectiónibus dicetur pro tertia Lectióne in Officio B. M. in Sabbato, juxta menſem.

MENSE SEPTEMBRI.

De Expoſitióne ſancti Baſílii in Iſaíam Prophétam.

Lectio iij.

In Caput 8.

ACcéſſi ad Prophetíſſam, & in útero concépit, & péperit fílium. Quid eſt, Accéſſi ad Prophetíſſam? Hoc eſt, appropinquávi ſpíritu & prænotióne futurórum: & perſpéxi ejus conceptiónem è longínquo, óculis in prophetíæ grátiam atténtis. Péperit fílium, de quo dixit Dóminus, Vocábis nomen ejus, Velóciter détrahe ſpólia, citò prædáre. Quòd María Prophetíſſa fúerit, ad quam próximè per cognitiónem accéſſit Iſaías, nemo contradíxerit, qui ſit memor verbórum Maríæ, quæ prophéticè elocúta eſt. Quid enim ait? Magníficat ánima mea Dóminum, & exultávit ſpíritus meus in Deo ſalutári meo; quia reſpéxit humilitátem ancíllæ ſuæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quòd ſi ánimū accommodáveris univérſis ejus verbis, non dubitábis dícere eam fuíſſe Prophetíſſam, quòd Dómini Spíritus in eam ſupervénerit, & virtus Altíſſimi obūbráverit ei.

MENSE OCTOBRI.

Ex Diálogo ſancti Juſtíni Mártyris cum Triphóne.

Lectio iij.

SI non è Vírgine iſte, de quo Iſaías dicébat, naſcitúrus erat, de quo Spíritus ſanctus exclamábat: Ecce Dóminus dabit ſignum, ecce Virgo in útero concípiet, & páriet fílium, ſi períndè atque álii omnes primogéniti, iſte quoque gignéndus erat, quodnam ſignum non cunctis primogénitis commúne fácere ſe dixit? Enim verò quòd verè ſignum eſt, & humáno géneri credíbile futúrum erat, hoc eſt ut ex virgináli útero primogénitus creaturárum ómnium caro factus verè puer fíeret; occúpans id per prophéticū ſpíritum, álio atque álio modo pronuntiávit, ut cùm factum eſſet virtute & consílio rerum universárū Conditóris, factum eſſe agnoſcerétur, haud áliter quàm ex uno látere Adæ Eva exti-

tit, atque ália ómnia animántia verbo Dei ortum suũ cepére.

MENSE NOVEMBRI.

Ex libris sancti Irenæi Epíscopi advérsùs Hæreses.

Lectio iij.

Lib. 5. Cap. 19.

IN sua própria, veniénte Dómino; & sua própria eum bajulánte suâ conditiòne, quæ bajulátur ab ipso; & recapituiationem ejus, quæ in ligno fuit inobediéntiæ, per eam quæ in ligno est obedientiam faciénte; & seductióne illâ solutâ quâ sedúcta est malè illa quæ jam viro destináta erat Virgo Eva: per veritátem evangelizáta est bene ab Angelo jam sub viro Vírgo María. Quemádmodùm enim illa per Angélicum sermónem sedúcta est, ut effúgeret Deum, prævaricáta verbum ejus; ita & hæc per Angélicum sermónem evangelizata est, ut portáret Deum, obediens ejus verbo Et sicut illa sedúcta est ut effúgeret Deũ; sed hæc suása est obedíre Deo, uti Vírginis Evæ Vírgo María fieret advocáta. Et quemádmodũ adstríctũ est morti genus humánũ per Vírginem, salvátur per Vírginem: æquâ lance dispósita virginális inobediéntia, per virginálem obediéntiam.

MENSE DECEMBRI.

Sermo sancti Petri Chrysólogi.

Lectio iij. Serm. 148.

COncépit virgo, virgo péperit: non te concéptus turbet; partus te non confúndat audítus, quando virgínitas, quidquid est humani pudóris, excúsat. Aut quæ ibi verecúndiæ læsio, ubi init Déitas cum amíca sibi semper integritáte consórtium? Ubi est intérpres Angelus; fides, prónuba; desponsátio, cástitas; donátio, virtus; judex, consciéntia; causa, Deus; concéptus, intégritas; virgínitas, partus; virgo, mater? Nemo ergo júdicet humáno modo, quod divino géritur sacraménto; nemo mystériũ cœleste discútiat ratióne terrénâ.

OFFICIUM PARVUM B. MARIÆ VIRGINIS.

Ex devotione tantùm dicendum ut infrà.

AD VESPERAS.

Dictis, Pater. Ave. *incipitur* ℣. Deus, in adjutórium,

Antiph. Non vocáberis.

PSALMUS 109.

DIxit Dñus Dño meo: * Sede à dextris meis, Donec ponam inimícos tuos * scabellum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ, in splendóribus sanctórum : * ex útero ante lucíferum génui te.

Jurávit Dóminus, & non pœnitébit eum: *Tu es Sacérdos in ætérnum secúndùm órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruínas, * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet;* proptérea exaltábit caput.

PSALMUS 112.

LAudáte, púeri, Dóminum; * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum: * ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * & super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * & humília réspicit in cœlo & in terra ?

Súscitans à terra ínopem,* & de stércore érigens páuperem,

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui ;

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

PSALMUS 121.

LÆtátus sum in his quæ dicta sunt mihi : * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Jerúsalem ;

Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas ; * cujus participátio ejus in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini ; * testimónium Israel ad confiténdum nómini Dómini ;

Quia illic sedérunt sedes in judício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem ; * & abundántia diligéntibus te.

Fiat pax in virtúte tua,* & abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos & próximos meos, * loquébar pacem de te :

Propter domum Dómini Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

PSALMUS 126.

NIsi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustrà vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere : * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cùm déderit diléctis suis somnum, * ecce hæréditas Dómini, filii ; merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis; * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis; * non confundétur, cùm loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147.

LAuda, Jerúsalem, Dóminum, * lauda Deum tuum, Sion;

Quóniam confortávit seras portárum tuárum; * benedíxit fíliis tuis in te:

Qui pósuit fines tuos pacem; * & ádipe fruménti sátiat te:

Qui emíttit elóquium suum terræ; * velóciter currit sermo ejus:

Qui dat nivem sicut lanã; * nébulam sicut cínerem spargit:

Mittit crystállum suam sicut buccéllas; * ante fáciem frígoris ejus quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, & liquefáciet ea; * flabit spíritus ejus, & fluent aquæ;

Qui annúntiat verbum suum Jacob, * justítias & judícia sua Israel.

Non fecit táliter omni natióni, * & judícia sua non manifestávit eis.

Ant. Non vocáberis ultrà Derelícta, quia complácuit Dómino in te. *Is.* 62. 4.

Capitulum. Is. 11. 1. 2.

EGrediétur virga de radíce Jesse, & flos de radíce ejus ascéndet: & requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Hymnus. Ave, maris stella, *ut suprà*, pag. lxxxiv.

℣. Concupíscet rex decórem tuum; ℟. Quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. *Ps.* 44. 12.

Ad Magnif. Ant. p. 3. 4. Magna eris, & nomen tuum nominábitur in univérsâ terrâ. *Judith.* 11. 21.

Oratio.

COncéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétuâ mentis & córporis sanitáte gaudére; & gloriósâ beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, à præsenti liberári tristítia, & ætérnâ pérfrui lætítiâ; Per Dóminum, &c.

Deinde fit commemoratio de omnibus Sanctis.

Ant. Regnásti, Dómine Deus omnípotens, & advénit tempus réddere mercédem servis tuis, & sanctis. *Apoc.* 11. 17. 18.

℣. Justi confitebúntur nómini tuo, Dómine: ℟. Et habitábunt recti cum vultu tuo. *Ps.* 139. 14.

Oratio.

PRótege, Dómine, pópulum tuum, & Apostolórum tuórum Petri & Pauli, & aliórum Apostolórum patrocínio confidéntem perpétuâ defensióne consérva.

OMnes Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent; ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus: & pacem tuam nostris concéde

tempóribus, & ab Ecclésia tua cunctam repelle nequítiam; iter, actus, & voluntátes nostras, & ómnium famulórum tuórum, in salútis tuæ prosperitáte dispóne; benefactóribus nostris sempitérna bona retríbue; & ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam concéde; Per Dóminum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Pater. Ave.

℣. Convérte nos, &c.
℣. Deus, in adjutórium, &c.

Psalmi Usquequò, Dómine, *pag.* 56. Sæpe expugnavérunt me, *pag.* 133. De profundis, *pag.* 133. Dómine, non est exaltátum, *pag.* 133.

HYMNUS.

O Quæ polo sublímior
Regína cœli díceris!
Nos è supérnis sédibus,
María, clemens áspice.
Christus sibi quos éligit
Fratres, adópta fílios:
Et matris in nos víscera
Mitésque vultus índue.
Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Capitulum. Judith. 13. 25.

NOmen tuum Dóminus ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

℣. Mémores erunt nóminis tui, ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44. 18.

Ad Nunc dimíttis. *Ant. t.* 5. Invéniam grátiam in conspéctu tuo: experiménto dídici, quia benedíxerit mihi Deus propter te. *Genes.* 30. 27.

Oratio.

BEátæ & glorióśæ semper Vírginis Maríæ, quæsumus, Dómine, intercéssio glorióśa nos prótegat, & ad vitam perdúcat ætérnam; Per Dóminum, &c.

Dóminus vobíscum.
Benedicamus, &c.
Fidélium ánimæ, &c.

AD OFFICIUM NOCT.

Pater. Ave. Credo.

℣. Dómine, lábia mea, &c. ℣. Deus, in adjutórium, &c.

Invitat. Jesum de María natum, * Veníte, adorémus. *Matth.* 1. 16.

HYMNUS.

NObis Deum quæ pártu-
ris,
O Virgo, matrum má-
xima!
Preces tibi quas fúndi-
mus,
Offer benígna Fílio.
Novi simul tu fœderis,
Et orbis arca náufragi,
Colúmba pacis núntia,
Et pacis obses mítteris.
Quo vivis, à te súscipit
Vitam Creátor ómnium:
Imménsus in te cláudi-
tur,
De te fit ætérnus caro.

Subdit tuis se légibus
Mundi treméndus légifer:
A te puer lac mútuat
Qui dat cibum quo pásceris.

Cœlum feréntem sústines;
Gressus Tonántis témperas;
Suóque stantem Númine
Loco, sitúque dímoves.

Sit laus Patri, laus Fílio
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

IN I. NOCTURNO.

Tres Psalmi sequentes sub una Antiphona dicuntur die Dominicâ, in parvo Officio B. Mariæ, necnon Feriâ 2. & 5.

Ant. Erit tibi Dóminus.

PSALMUS 8.

DOmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cœlos.

Ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos; * ut déstruas inimícum & ultórem.

Quóniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuórum; * lunam & stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quòd memor es ejus? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulò minùs ab Angelis, glóriâ & honóre coronásti eum; * & constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * oves & boves univérsas, ínsuper & pécora campi:

Vólucres cœli & pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

PSALMUS 18.

COeli enárrant glóriam Dei, * & ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbũ, * & nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum, * & in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum; * & ipse, tamquam sponsus procédens de thálamo suo,

Exultávit ut gigas ad curréndam viam; * à summo cœlo egréssio ejus;

Et occúrsus ejus usque ad summum ejus; * nec est qui se abscóndat à calóre ejus.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sa-

piéntiam præstans párvulis.

Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * judícia Dómini vera, justificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum & lápidem pretiósum multùm; * & dulcióra super mel & favum.

Etenim servus tuus custódit ea; * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? * ab occúltis meis munda me, & ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero,* & emundábor à delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei; * & meditatio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adjútor meus, * & redémptor meus.

PSALMUS 44.

ERuctávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus formâ præ filiis hóminum; diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * Potentíssime.

Spécie tuâ & pulchritúdine tuâ inténde, * prósperè procéde,

Et regna propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam; * & dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, * pópuli sub te cadent, in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis, virga regni tui.

Dilexísti justítiam, & odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, & gutta, & cásia à vestiméntis tuis, à dómibus ebúrneis; * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína à dextris tuis in vestítu deauráto,* circúmdata varietáte.

Audi, fília, & vide, & inclína aurem tuam; * & obliviscere pópulum tuum, & domum patris tui:

Et concupíscet rex decórem tuum; * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus; & adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus; * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam; * próximæ ejus afferéntur tibi;

Afferéntur in lætítia, & exultatióne; * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne & generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum, * & in sæculum sæculi.

Ant. Erit tibi Dóminus in lucem sempitérnam, & Deus tuus in glóriam tuam. *Is.* 60. 19.

℣. In sole pósuit tabernáculum suum; ℟. Et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo. *Ps.* 18. 6.

Pater noster, &c. *Benedictiones, Lectiones & ℟℟. ut infrà.*

IN II. NOCTURNO.

Tres Psalmi sequentes sub una Antiphona dicuntur Feriâ 3. & Feriâ 6.

Ant. Ipsa est múlier.

PSALMUS 45.

DEus noster refúgium & virtus; * adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra; * & transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, & turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine ejus.

Flúminis ímpetus lætíficat civitatem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio ejus, non commovébitur: * adjuvábit eam Deus manè dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes; & inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

Veníte, & vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram; * aúferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, & confrínget arma; * & scuta combúret igni.

Vacate, & vidéte quóniam ego sum Deus; * exaltábor in géntibus, & exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum; * suscéptor noster Deus Jacob.

PSALMUS 47.

MAgnus Dóminus, & laudábilis nimis, * in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Fundátur exultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas regis magni.

Deus in dómibus ejus cognoscétur, * cùm suscípiet eam;

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt; * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, * conturbáti sunt, commóti sunt,

Tremor apprehéndit eos: * ibi dolóres ut parturiéntis.

In spíritu veheménti * cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndùm nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ: * justítiâ plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ, * propter judícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, & complectímini eam; * narráte in túrribus ejus.

Pónite corda vestra in virtúte ejus, & distribúite domos ejus; * ut enarrétis in progénie áltera;

Quoniam hic est Deus, Deus noster in ætérnùm, & in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

PSALMUS 84.

BEnedixísti, Dómine, terram tuam, * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ; * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam; * avertísti ab irâ indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus salutáris noster, * & avérte iram tuam à nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam à generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos; * & plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam; * & salutáre tuum da nobis.

Aúdiam quid loquátur in me Dóminus Deus; * quóniam loquétur pacem in plebem suam;

Et super sanctos suos, * & in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus, * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia & véritas obviavérunt sibi; * justítia & pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est; * & justítia de cœlo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem; * & terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit; * & ponet in via gressus suos.

Ant. Ipsa est múlier quam præparávit Dóminus fílio Dómini mei. *Gen.* 24. 44.

℣. Exultent fíliæ Judæ,

℟. Propter judícia tua, Dómine. *Ps.* 47. 12.

Pater. *Lectiones ut infrà.*

IN III. NOCTURNO.

Tres Psalmi sequentes sub una Antiph. dicuntur Fer. 4. & Sabb.

Ant. Benedixit.

PSALMUS 86.

FUndaménta ejus in móntibus sanctis:*díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab & Babylónis, * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illìc.

Numquid Sion dicet; Homo & homo natus est in ea; * & ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in Scriptúris populórum, & príncipum, * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium, * habitátio est in te.

PSALMUS 96.

DOminus regnávit, exúltet terra, * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes & calígo in circúitu ejus; * justítia & judícium corréctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcédet; * & inflammábit in circúitu inimícos ejus.

Illuxérunt fúlgura ejus orbi terræ: * vidit, & commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt à fácie Dómini; * à fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cœli justítiam ejus; * & vidérunt omnes pópuli glóriam ejus.

Confundántur omnes qui adorāt sculptília,* & qui gloriántur in simulácris suis,

Adoráte eum, omnes Angeli ejus: * audívit, & læáta est Sion;

Et exultavérunt fíliæ Judæ * propter judícia tua, Dómine;

Quóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram; * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos:

Lux orta est justo, * & rectis corde lætítia.

Lætámini, justi, in Dómino; * & confitémini memóriæ sanctificatiónis ejus.

PSALMUS 97.

CAntáte Dómino cánticum novum; * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera ejus, * & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dóminus salutáre suum; * in conspectu géntium revelávit justítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ,* & veritátis suæ dómui Israel.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Jubiláte Deo, omnis terra; * cantáte, & exultáte, & psallite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi; * in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

Jubiláte in conspéctu regis Dómini; * moveátur mare,

&

& plenitúdo ejus; orbis terrárum, & qui hábitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultábunt à conspéctu Dómini; * quoniam venit judicáre terram.

Judicábit orbem terrárum in justítia, * & pópulos in æquitáte.

Ant. Benedíxit te Dóminus in virtúte suâ, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. *Judith.* 13. 22.

℣. Vidérunt omnes términi terræ ℟. Salutáre Dei nostri. *Ps.* 97. 3.

Pater noster, &c.

Absolutio.

BEnefáciat nobis Deus, & meminerit testaménti sui quod locútus est, & exáudiat oratiónes nostras. 2. *Mach.* 1. 2. 5. ℟. Amen.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. Nobíscum sit Deus, qui in ancíllâ suâ adimplévit misericórdiam quam promísit dómui Israel. *Judith.* 13. 13. 18.

De Isaía Prophéta.

Lectio j. Cap. 7. *v.* 10. *ad* 15.

ADjécit Dóminus loqui ad Achaz dicens; Pete tibi signum à Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia moléсti estis & Deo meo. Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, & páriet filium, & vocábitur nomen ejus Emmánuel. Tu autem, &c.

℟. Benedícam ei, & ex illa dabo Fílium, cui benedictúrus sum. * Constítuam pactum meum illi in fœdus sempitérnum.

℣. Hic erit magnus, & Fílius Altíssimi vocábitur; & regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Constítuam. *Gen.* 17. 16. 19. *Luc.* 1. 32.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 2. Arca fœderis Dómini salvet nos de manu inimicórum nostrórum. 1. *Reg.* 4. 3.

De Libro Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli.

Lectio ij. Cap. 11. *v.* 19. *&* Cap. 12. *v.* 1. *&* 5.

APértum est templum Dei in cœlo: & visa est arca testaménti ejus in templo ejus, & facta sunt fúlgura, & voces, & terræ motus, & grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Et péperi Fílium másculum qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea: & raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. Tu autem, &c.

℟. Misericórdia & véritas obviavérunt sibi: * Véritas de terra orta est, & justítia

de cœlo prospéxit. ℣. De María natus est Jesus, qui vocátur Christus. * Véritas. *Ps.* 84. 11. 12. *Matth.* 1. 16.

Jube, Dómine, &c.

Benedict. 3. Respíciat qui hostem pópuli sui per manum fœminæ percússit, Dóminus Deus noster. *Judith.* 13. 7. 18. 19.

Ex Libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus. *Lib.* 2. *Cap.* 2.

Lectio iij.

Sit vobis tamquam in imágine descrípta virgínitas, vitaque Maríæ, de qua velut spéculo refúlget spécies castitátis, & forma virtútis. Quid nobilius Dei matre? Quid splendídius eâ quam splendor elégit? Quid cástius eâ quæ corpus sine córporis contagióne generávit? Nam de cæteris ejus virtútibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed étiã mente, quæ nullo doli ambitu sincérum adulteráret afféctum; corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens, loquéndi parcior, legéndi studiósior; non in incérto divitiárum, sed in prece pauperis spem repónens.

℟. Memoráre diérum humilitátis tuæ; * Et tu ínvoca Dóminum, & lóquere regi pro nobis, & † Líbera nos de morte. ℣. María, invenísti grátiam apud Deum. * Et tu. Glória. † Líbera. *Esther.* 15. 2. 3. *Luc.* 1. 30.

Te Deum *dicitur diebus Dominicis & in Dupl. & Semid.*

AD LAUDES.

℣. *Sacerd.* Confiteántur tibi pópuli, Deus: ℟. Terra dedit fructum suum. *Ps.* 66. 6. 7.

Ant. sola. Benedícta.

PSALMUS 66.

Deus misereátur nostri, & benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, & misereátur nostri;

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur, & exúltent gentes; * quoniam júdicas pópulos in æquitáte, & gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * & métuant eum omnes fines terræ.

PSALMUS 92.

Dominus regnávit, decórem indútus est; * indútus est Dóminus fortitúdinem, & præcínxit se.

Etenim firmavit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc; * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dó-

mine, * elevavérunt flúmina vocem suam:

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirabiles elatiónes maris; * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

P s a l m u s 99.

JUbiláte Deo, omnis terra; * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus,* in exultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos: * pópulus ejus, & oves páscuæ ejus.

Introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis, * confitémini illi.

Laudáte nomen ejus, quóniam suávis est Dóminus,* in ætérnũ misericórdia ejus, & usque in generatiónem & generatiónem véritas ejus.

Cantic. *Zachariæ 2. v. 10. ad finem.*

LAuda, & lætáre, fília Sion; * quia ecce ego vénio, & habitabo in médio tuî, ait Dóminus.

Et applicabúntur gentes multæ ad Dóminum in die illa, * & erunt mihi in pópulum, & habitábo in médio tuî.

Et scies quia Dóminus exercítuum * misit me ad te.

Et possidébit Dóminus Judam partem suam in terra sanctificata; * & éliget adhuc Jerúsalem.

Síleat omnis caro à fácie Dómini, * quia consurréxit de habitáculo sancto suo.

Glória.

P s a l m u s 150.

LAudáte Dóminum in sanctis ejus; * laudate eum in firmamento virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudate eum secúndùm multitúdinem magnitúdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ; * laudáte eum in psaltério & cítharâ.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus, laudát eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. *Luc.* 1. 42.

Capitulum. Cant. 6. 9.

QUæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens? pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta.

HYMNUS *ex Sant. Vict.*

NUnc auróra, novæ núntia lucis,
Tristes orbe procul díssipat umbras:
O quàm lucídior, nocte sepúltis
Portans ipsa diem, Virgo, refúlges!
O quæ nunc hábitas lúcida regna,
Mittas inde tuæ múnera lucis:
Te si terra dedit munus olympo,
Quæ non dona memor reddet olympus?
Inter perpétuos Núminis haustus,
O Regína, tibi sánguine junctum
Ne dedísce genus: nostra fuísti,
Summi facta parens, Virgo Tonántis.
Divínæ Sóboli, qui dare matrem
In terris vóluit, glória Patri:
Cujus Virgo parens, glória Nato:
Quo fœcúnda, tibi glória, Flamen.
Amen.

℣. Rex noster operátus est salútem. ℟. Tu confrégisti cápita dracónis. *Ps.* 73. 12. 14.

Ad Benedict. *Ant.* Beáta, quæ credidísti; quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi à Dómino. *Luc.* 1. 45.

Oratio.

DEus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero, Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti; præsta supplícibus tuis, ut qui verè eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur; Per Dóminum, &c.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Commemoratio Sanctorum, ut suprà in Vesperis.

AD PRIMAM.

Pater. Ave. &c.

℣. Deus in adjutórium, &c. *Et sic in aliis Horis.*

HYMNUS.

MEménto, de Deo Deus,
Quòd matre natus Vírgine,
Nostrî misértus, pérditi
Mundi redémptor véneris.
Et nos, Dei Virgo parens,
Vultu benígno réspice:
Placábilem tuâ prece
Fac esse nobis Fílium.
Sit laus Patri; laus Filio
Qui natus est de Vírgine;
Quo Virgo fit Puérpera,
Sit par tibi laus, Spíritus.
Amen.

Ant. Tu glória

Psalmi. Deus, in nómine tuo salvum me fac, *pag.* 59. Cantáte Dómino... cantáte.. omnis terra, *pag.* 124. Laudáte Dóminum, omnes gentes, *pag.* 91.

Ant. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. *Judith.* 15. 10.

Capitulum. Cant. 6. 8.

VIdérunt eam filiæ, & beatíssimam prædicavérunt; regínæ & laudavérunt eam.

℟. *br.* Spécie tuâ * Et pulchritúdine tuâ. Spécie..

℣. Inténde prósperè, procéde, & regna. * Et pulchritúdine. Glória, &c. Spécie. *Ps.* 44. 5.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: ℟. Benedíxit te Deus in ætérnum. *Ps.* 44. 3.

Oratio.

PRótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis: & beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, à cunctis hóstibus & perículis redde secúros; Per, &c.

AD TERTIAM.

HYMNUS.

O Glorióſa Vírginum,
Regína cœlo célsior,
Quantò, María, fœnore
Reddis quod Eva pérdidit.
Cunctis Deum Virgo paris,
Desiderátum géntibus
Vitam datam per Vírginem
Gentes redémptæ pláudite.
Sit laus Patri, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Fílius.

Psalmi. Crédidi propter quod locútus sum, *pag.* 91. Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 154. Levávi óculos, *pag.* 71.

Ant. Fílius Dei factus est ei ex sémine David secúndùm carnem. *Rom.* 1. 3.

Capitulum. Eccli. 24. 12.

PRæcépit, & dixit mihi Creátor ómnium: & qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo.

℟. *br.* Deus in médio ejus; * Non commovébitur. Deus.

℣. Adjuvábit eam Deus manè dilúculo. * Non. Glória. Deus. *Ps.* 45. 6.

℣. Elégit eam Dóminus, ℟. In habitatiónem sibi. *Ps.* 131. 13.

Oratio.

DEus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúndâ, humáno géneri præmia præstitísti tríbue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, Qui tecum vivit, &c.

AD SEXTAM.

HYMNUS *ex Sanct. Vict.*

DIc, Virgo, quæ vis tráxerit,
Patris coævum Fílium,
E Patris ætérno sinu,
Mortális in matris sinum?

Hæc, quæ sibi numquam placens
Deo placet modéstiâ,
Quâ tu tibi sis vilior,
Hâc, digna sis mater Dei.

Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Péperit.

Psalmi. Ad te levávi óculos meos, *pag.* 51. Nisi quia Dominus erat, *pag.* 71. Qui confídunt in Dómino, *pag.* 72.

Ant. Péperit Fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes. *Apoc.* 12. 5.

Capitulum. Gal. 4. 4. 5.

UBi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fíliū suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. *br.* Homo * Natus est in ea. Homo. ℣. Et ipse fundávit eam Altíssimus. * Natus. Glória. Homo. *Psalm.* 86. 5.

℣. Jurávit Dóminus David veritátem; ℟. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam, *Ps.* 131. 11.

Oratio.

COncéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut qui sanctæ Dei Genitrícis memóriā ágimus, intercessiónis ejus auxílio, à nostris iniquitátibus resurgámus; Per, &c.

AD NONAM.

HYMNUS.

Ex Sant. Vict.

QUis ore digno te canat
Virgo, Dei Puérpera?
Adéste, puri spíritus,
Vestri sit illud múneris.

Tu dux olympi prævia,
Clausas diu pandis fores;
Nos éxules, si nos amas,
Reddas patérnis sédibus.

Sit laus, &c. *ut ad Primam.*

Ant. Beátus venter.

Psalmi. In convertendo, *pag.* 92. Beáti omnes qui timent, *pag.* 112. Confitébor tibi... quóniam audísti, *pag.* 53.

Ant. Beátus venter qui te portávit, & úbera quæ suxísti. *Luc.* 11. 27.

Capitulum. Tob. 13. 23.

BEnedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & sit regnum ejus in sæcula sæculórum super eam.

℟. *br.* Vultum tuum * Deprecabúntur. Vultum. ℣. Omnes dívites plebis, * Deprecabúntur. Glória. Vultum. *Ps.* 44. 13.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam; ℟. Próximæ ejus afferéntur tibi. *Psalm.* 44. 15.

Oratio.

FAmulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce, ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genitrícis Fílii tui Dómini nostri inter-

cessióne salvémur; Per eumdem Dóminum, &c.

AD II. VESPERAS.

Psalmi ut in I. Vesperis sub unica Antiph. sequenti.

Ant. Quod in eâ natum est, de Spíritu sancto est. *Matth.* 1. 20.

Capitulum. Apoc. 12. 1.

Signum magnum appáruit in cœlo; Múlier amícta sole, & luna sub pédibus ejus, & in cápite ejus coróna stellárum duódecim.

HYMNUS.

Davídis sóboles, glória Vírginum
Christi Virgo parens, te pósuit Deus,
Partu virgíneo, quæ malè súbdoli
Anguis contéreres caput.
Rebus princípium, qui dedit ómnibus,
A te princípium sumpsit homo Deus;
Cunctis prospíciens qui tríbuit cibos
Pastus lacte fuit tuo.
Per te quod múlier perdíderat vetus,
Humáno géneri rédditur áuctius:
Tu clausas míseris, heu nímiùm diu!
Cœlórum réseras fores.
Qui lucis Pater est, glória sit Patri:
Cujus Virgo parens, glória Fílio;
Quo fœcúnda, tibi, nexus amábilis,
Sit par glória, Spíritus. Amen.

℣. Mémores erunt nóminis tui ℟. In omni generatióne & generatiónem. *Ps.* 44. 18.

Ad Magnif. Ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est. *Luc.* 1. 48. 49.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde, & intercedénte sanctâ Dei Genitríce Maríâ, córpora nostra castitáte, & mentes nostras humilitáte, & charitáte sanctífica; Per, &c.

Commemoratio Sanctorum, ut in I. Vesperis.

Completorium, ut post I. Vesperas.



PSALMI POENITENTIALES.

Ant. Dómine.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me: * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dñe, úsquequò.

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inferno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei; * convertántur & erubéscant valdè velóciter.

Glória Patri, &c.

PSALMUS 31.

BEáti quorum remíssæ sunt iniquitátes, * & quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu ejus dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem totâ die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua, * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci, * & injustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsùm me injustítiam meam Dómino; * & tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum à tribulatióne quæ circúmdedit me: * exultátio mea,

érue me à circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, & ínstruam te in via hac, quâ gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus & mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo & fræno maxíllas eorum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris;* sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino, & exultate, justi, * & gloriámini, omnes recti corde.

Glória, &c.

PSALMUS 37.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me;

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi, * & confirmásti super me manũ tuam.

Non est sánitas in carne mea à fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis à fácie peccatórum meórum;

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meũ;* & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruérunt, & corrúptæ sunt cicatríces meæ, * à fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, & curvátus sum usque in finem: * totâ die contristátus ingrediebar;

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus; * & non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, & humiliátus sum nimis; * rugiébam à gémitu cordis mei.

Domine, ante te omne desidérium meum; * & gémitus meus à te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea; * & lumen oculórum meórum, & ipsum non est mecum.

Amíci mei, & próximi mei * adversùm me appropinquavérunt & stetérunt;

Et qui juxta me erant, de longè stetérunt; * & vim faciébant qui quærébant ánimam meam;

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes;* & dolos totâ die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam, * & sicut mutus non apériens os suum:

Et factus sum sicut homo non áudiens, * & non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi; * tu exáudies me, Dómine Deus meus;

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei; * & dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt;

Quóniam ego in flagélla parátus sum; * & dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meã

annuntiábo, * & cogitábo pro peccáto meo:

Inimíci autem mei vivunt, & confirmáti sunt super me;* & multiplicáti sunt qui odérunt me iníquè.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi; * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, * ne discésseris à me.

Inténde in adjutórium meum, * Dómine Deus salútis meæ.

Glória, &c.

PSALMUS 50.

MIserére mei, Deus, * secúndùm magnam misericórdiam tuam;

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum,* dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniã iniquitátem meã ego cognósco, * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malum coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas cùm judicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus; * & spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne projícias me à fácie tua; * & spíritum sanctum tuum ne áuferas à me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui; * & spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas;* & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses, sacrifícium dedíssem útique; * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus; * cor contrítũ & humiliátum, Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion; * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifíciũ justítiæ, oblatiónes & holocáusta; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Glória, &c.

PSALMUS 101.

DOmine, exáudi oratiónem meam; * & clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam à me; * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me;

Quia defecérunt sicut fumus dies mei, * & ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fœnum, & aruit cor meum; * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitûs mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis; * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * & factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Totâ die exprobrábant mihi inimíci mei; * & qui laudábant me, advérsùm me jurábant;

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * & potum meum cum fletu miscébam,

A fácie iræ & indignatiónis tuæ; * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt; * & ego sicut fœnum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes; * & memoriále tuum in generatiónem & generatiónem.

Tu exúrgens miseréberis Sion; * quia tempus miseréndi ejus, quia venit tempus:

Quóniam placuérunt servis tuis lápides ejus, * & terræ ejus miserebúntur:

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * & omnes reges terræ glóriam tuam;

Quia ædificávit Dóminus Sion, * & vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium, * & non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera; * & pópulus qui creabitur, laudabit Dóminum;

Quia prospéxit de excélso sancto suo; * Dóminus de cœlo in terram aspéxit;

Ut audíret gémitus compeditórum; * ut sólveret fílios interemptórum;

Ut annúntient in Sion nomen Dómini, * & laudem ejus in Jerúsalem;

In conveniéndo pópulos in unum, & reges, * ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum; * in generatiónem & generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti; * & ópera mánuum tuárum sunt cœli.

Ipsi períbunt; tu autem

pérmanes: * & omnes sicut vestiméntum veteráscent;

Et sicut opertórium mutábis eos, & mutabúntur: * tu autem idem ipse es, & anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt; * & semen eórum in sæculum dirigétur.

Glória, &c.

PSALMUS 129.

De profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exáudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est; * & propter legem tuã sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino;

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória, &c.

PSALMUS 142.

Dómine, exáudi oratiónem meam; áuribus pércipe obsecratiónem meã in veritáte tua; * exáudi me in tua justítia;

Et non intres in judícium cum servo tuo; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens;

Quia persecútus est inimícus ánimam meam; * humiliávit in terra vitam mei.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi; * & anxiátus est super me spíritus meus; in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te; * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine; * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine; ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam ; * quóniam ego servus tuus sum.

Glória, &c.

Ant. Dómine, memor esto meî, & ne vindíctam sumas de peccátis meis, neque reminiscáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

LITANIÆ.

Kyrie, eléison. Christe, eléison.
Kyrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cœlis Deus, Miserére nobis.
Fili redémptor mundi Deus, miserére nobis.
Spíritus sancte Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, Ora pro nobis.
Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo Vírginum, ora pro nobis.
Sancte Míchael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Ráphael, ora.
Omnes sancti Angéli & Archangeli, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora.
Sancte Joachíme, ora.
Omnes sancti Patriárchæ & Prophetæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule,
Sancte Andréa,
Sancte Jacóbe, (*Zeb.*)
Sancte Joánnes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacóbe,
Sancte Philíppe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe,
Sancte Simon,
Sancte Thadæe,
Sancte Matthía,
Sancte Bárnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,

Ora pro nobis.

Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro nobis.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Lauréntí, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Gengúlphe, ora.
Sancti Fabiáne & Sebastiáne, oráte pro nobis.
Sancte Irenæe cum sóciis tuis, ora.
Sancti Joánnes & Paule, oráte pro nobis.
Sancti Cosma & Damiáne, oráte pro nobis.
Sancti Gervási & Protási, oráte pro nobis.
Sancte Elíphi, ora.
Sancte Euchari, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Sylvéster, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.

Sancte Auguſtíne ,
Sancte Hieronyme ,
Sancte Hilari ,
Sancte Martíne ,
Sancte Remigi ,
Sancte Nicoláe ,
Sancte Manſuéte ,
Sancte Amon ,
Sancte Aper ,
Sancte Gauzelíne ,
Sancte Gerarde ,
Sancte Aúſpici ,
Sancte Leudíne ,
Sancte Jacob ,
Sancte Vedáſte ,
Sancte Deódate ,
Sancte Hydúlphe ,
Sancte Gondelbérte ,
Sancte Arnúlphe ,
Sancte Cárole ,
Ora pro nobis.

Omnes ſancti Pontífices & Confeſſóres , oráte.
Omnes ſancti Doctóres , oráte pro nobis.
Sancte Antóni , ora.
Sancte Benedícte , ora.
Sancte Bernárde , ora.
Sancte Domínice , ora.
Sancte Francíſce , ora.
Sancte Romárice , ora.
Sancte Amáte , ora.
Omnes ſancti Sacerdótes & Levítæ , oráte.
Omnes ſancti Mónachi & Eremítæ , oráte.
Sancta Anna , ora.
Sancta Elízabeth , ora.
Sancta María Magdaléne , ora pro nobis.
Sancta Thecla , ora.
Sancta Agatha , ora.
Sancta Lúcia , ora.
Sancta Agnes , ora.
Sancta Cæcília , ora.

Sancta Catharína ,
Sancta Anaſtáſia ,
Sancta Urſula cum ſóciis tuis ,
Sancta Aprónia ,
Sancta Libária ,
Sancta Genovéfa ,
Ora pro nobis.

Omnes ſanctæ Vírgines & Víduæ oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro nobis.
Propítius eſto , Parce nobis, Dómine.
Propítius eſto , Exáudi nos Dómine.
Ab omni malo Líbera nos Dómine.
Ab omni peccáto , Líbera nos, Dómine.
Ab ira tua , líbera.
A ſubitánea & improvíſa morte , líbera.
Ab inſídiis Diáboli , líbera.
Ab immúndis cogitatiónibus , líbera.
Ab ira , & ódio , & omni malâ voluntáte , líbera.
A fúlgure & tempeſtáte , líbera nos , Dómine.
A morte perpétua , líbera.
Per myſtérium ſanctæ Incarnatiónis tuæ , líbera.
Per Advéntum tuum, líbera.
Per Nativitátem tuam , lib.
Per Baptíſmum & ſanctum jejúnium tuum , líbera.
Per Crucem & paſſiónem tuam , líbera.
Per mortem & ſepultúram tuam , líbera.
Per ſanctam Reſurrectiónẽ tuam , líbera.
Per admirábilem Aſcenſiónem tuam , líbera.

Per advéntum Spíritûs sancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut compunctiónem cordis, fontémque lacrymárum nobis dones, te.
Ut remissiónem peccatorum nostrórum nobis dones, te.
Ut fidem, spem, & charitátem nobis dones, te.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere, & conserváre dignéris, te.
Ut domnum Apostólicum, & omnes gradus Ecclésiæ in sancta Religióne conserváre dignéris, te.
Ut Antístitem nostrum, & omnes congregatiónes illi commíssas in tuo sancto obséquio conserváre dignéris, te rog.
Ut Regem nostrum custodíre dignéris, te.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te.
Ut Régibus, & Princípibus Christiánis pacem & concórdiam donáre dignéris, te rogámus, audi nos.
Ut cuncto pópulo Christiáno pacem, & unitátem largíri dignéris, te.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre, & conserváre dignéris, te.
Ut mentes nostras ad cœléstia desidéria érigas, te.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum & benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare, & conserváre dignéris, te.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, Miserére nobis.
Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater noster: *secretò*:
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

PSALMUS 69.

DEus, in adjutórium meum inténde: * Dómine, ad adjuvándum me festína.

Confundántur & revereántur, * qui quærunt ánimã meam.

Avertántur retrórsum & erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exúltent & læténtur in te omnes qui quærunt te ; * & dicant semper ; Magnificétur Dóminus, qui díligūt salutáre tuum.

Ego verò egénus, & pauper sum ; * Deus, ádjuva me.

Adjútor meus & liberátor meus es tu : * Dómine, ne moréris.

Glória Patri, &c.

℣. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis ; ℟. Neque secúndùm iniquitátes nostras retríbuas nobis. *Ps.* 102. 10.

℣. Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárū, ℟. Citò antícipent nos misericórdiæ tuæ ; quia páuperes facti sumus nimis. *Ps.* 78. 8.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster ; & propter glóriam nóminis tui líbera nos ; ℟. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum. *Ps.* 78. 9.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis, ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60. 4.

℣. Orémus pro Pastóre nostro : ℟. Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum. *Ps.* 40. 3.

℣. Pro Rege nostro :
℟. Dómine, salvum fac Regem ; & exáudi nos in die qua invocavérimus te. *Psal.* 19. 10.

℣. Pro benefactóribus nostris : ℟. Deus omnem grátiā abundáre fáciat in illis, & áugeat increménta frugum justítiæ illorum. 2. *Cor.* 9. 8. 10.

℣. Pro frátribus nostris absséntibus : ℟. Rege eos, & extólle illos usque in ætérnum. *Ps.* 27. 9.

℣. Pro infirmis, afflíctis, captívis & peregrínis ; ℟. Líbera, Deus, Israel ex ómnibus tribulatiónibus suis. *Ps.* 24. 22.

℣. Pro cunctis fidélibus defúnctis : ℟. Edúcat eos Dóminus in lucem, & vídeant justítiam ejus. *Mich.* 7. 9.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ, ℟. Quam possedísti ab inítio *Ps.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam ; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

O R E M U S.

DEus, cui próprium est miseréri semper, & párcere : súscipe deprecatiónem nostram ; ut nos, & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

EXáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, & confiténtium tibi parce peccátis ; ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus & pacem.

INeffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde ; ut simul nos, & à peccátis ómnibus éxuas, & à pœnis quas pro his

ctis merémur, erípias.

DEus, qui culpâ offénderis, pœniténtiâ placáris; preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; & flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte.

OMnípotens sempitérne Deus, miserére fámulo tuo Pontífici nostro N. & dírige eum secúndùm tuam cleméntiam in viam salútis ætérnæ; ut, te donánte, tibi plácita cúpiat, & totâ virtúte perfíciat.

QUæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N. Rex noster qui tuâ miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre; & ad te, qui via, véritas & vita es, gratiósus váleat perveníre.

DEus, à quo sancta desidéria, recta consília, & justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut & corda nostra mandátis tuis dédita; &, hóstium sublatâ formídine, témpora sint tuâ protectióne tranquílla.

URe igne sancti Spíritûs renes nostros, & cor nostrum, Dómine; ut tibi casto córpore serviámus, & mundo corde placeámus.

FIdélium, Deus ómnium Cónditor & Redémptor, animabus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur.

ACtiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

OMnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul & mortuórũ, omniúmque miseréris, quos tuos fide & ópere futúros esse prænóscis: te súpplices exorámus, ut pro quibus effúndere preces decrévimus; quosque vel præsens sæculũ adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntiâ, ómnium delictórum suórum véniam consequántur; Per Dóminũ, &c.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Exáudiat nos omnípotens & misericors Dóminus.
℟. Amen.

℣. Et fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMÆ ANTE DECESSUM.

Primùm dicuntur Litaniæ breves in hunc modum.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.
Sancta María, Ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes sancti Angeli, & Archángeli, oráte.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justórum, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joánnes Baptísta, ora pro eo (*vel* ea.)
Omnes sancti Patriárchæ & Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Omnes sancti Apóstoli & Evangelístæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Lauténti, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte pro eo (*vel* ea.)
Sancte Sylvéster, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Omnes sancti Pontífices & Confessóres, oráte.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Mónachi & Eremítæ, oráte.
Sancta María Magdaléne, ora pro eo (*vel* ea.)
Sancta Lúcia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines & Víduæ, oráte.
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercédite pro eo (*vel* ea.)
Propítius esto, Parce ei, Dómine.
Propítius esto, Adjuva eum, (*vel* eam) Dómine.
Propítius esto, Líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Ab ira tua, líbera.
A perículo mortis, líbera.
A mala morte, líbera.
A pœnis inférni, líbera.
Ab omni malo, líbera.
A potestate diáboli, líbera.
Per nativitatem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.
Per crucem & passiónem tuam, líbera eum, (*vel* eam) Dómine.

Per mortem & ſepultúram tuam, líbera.
Per glorióſam reſurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem aſcenſiónem tuam, líbera.
Per grátiam Spíritus ſancti Paracléti, líbera.
In die judícii, líbera.
Peccatóres, Te rogámus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogámus, audi nos.
Kyrie, eléiſon. Chriſte, eléiſon. Kyrie, eléiſon.

Deinde cùm in agone ſui exitûs anima anxiatur, dicuntur ſequentes Orationes.

ORATIO.

PRoficíſcere, ánima Chriſtiána, de hoc mundo, In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit: In nómine Jeſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt: In nómine Spíritûs ſancti, qui in te effuſus eſt: In nómine Angelórum & Archangelórum: In nómine Thronórum & Dominatiónum: In nómine Principátuum & Poteſtátum: In nómine Chérubim & Séraphim: In nómine Patriarchárum & Prophetárum: In nómine ſanctorum Apoſtolórum & Evangeliſtárum: In nómine ſanctórum Mártyrum & Confeſſórum: In nómine ſanctórum Monachórum & Eremitárum: In nómine ſanctárum Vírginũ, & ómnium Sanctórũ & Sanctárũ Dei. Hódie ſit in pace locus tuus, & habitátio tua in ſancta Sion; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

Orémus.

DEus miséricors, Deus clemens, Deus qui ſecúndùm multitúdinem miſeratiónum tuárum peccáta pœniténtium deles, & præteritórum críminum culpas véniâ remiſſiónis evácuas: réſpice propítius ſuper*hunc fámulum tuum N. (*vel* hanc fámulam tuam N.) & remiſſiónem ómnium peccatórum ſuórum totâ cordis confeſſióne poſcentem, deprecátus exáudi. Rénova in * eo, (*vel* ea) piíſſime Pater, quidquid terrénâ fragilitáte corruptum, vel quidquid diabolicâ fraude violátum eſt: & unitáti córporis Eccléſiæ membrum redemptiónis annécte. Miſerére, Dómine, gemítuum, miſerére lacrymárum ejus; & non habéntem fidúciam, niſi in tua miſericórdia, ad tuæ ſacramentum reconciliatiónis admitte; Per Chriſtum Dóminum noſtrum. ℟. Amen.

COmmendo te omnipoténti Deo, * charíſſime frater (*vel* charíſſima ſoror;) & ei cujus es creatúra committo: ut cùm humanitátis débitum persólveris, ad eum qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore, ſpléndidus Angelórum cœtus occúrrat, judex

electus Dei Apóstolus, cui revelata sunt secréta cœléstia. Orent pro ea omnes sancti Apóstoli, quibus à Dómino data est potéstas ligándi atque solvéndi. Intercédant pro ea omnes Sancti & Elécti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuérunt; ut vínculis carnis exúta, pervenire mereátur ad glóriam regni cœléstis, præstante Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre & Spíritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculórum.

℞. Amen.

Si anxiatur adhuc anima, dicitur Psalmus Confitémini Dómino, *pag.* 12. *& totus Psalmus* Beáti immaculáti in via. *per Horas Dominicæ distributus*, pag. 13.

Egressâ autem animâ, dicitur. ℞. In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum; accélera ut éruas me: in manus tuas comméndo spíritum meum: * Redemísti me, Dómine Deus veritátis; illústra fáciem tuam super * servum tuum (*vel* ancíllam tuam,) * salvum (*vel* salvam) me fac in misericórdia tua. ℣. Dómine Jesu, súscipe spíritum meum: * Redemísti me. *Ps.* 30. 2. 3. 6. 17. *Act.* 7. 58.

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eleison. *Secretò*: Pater noster. *Altâ voce*; ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℞. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum * servo tuo (*vel* ancilla tua,) Dómine; ℞. Quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. 2.

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi: ℞. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finē. *Ps.* 73. 19.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℞. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum, ℞. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Tibi, Dómine, commendámus ánimam * fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) N. ut * defúnctus (*vel* defúncta) sæculo, tibi vivat: & quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu véniâ misericordíssimæ pietátis abstérge; Per Christum Dóminum nostrum. ℞. Amen.



OFFICIUM DEFUNCTORUM.

AD VESPERAS.

Vesperæ inchoantur absolutè à prima Antiphona.

In fine cujusque Psalmi, loco Glória, *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

Psalmus 114.

Ant. t. 8. *G.* O Dómine.

Diléxi; * quóniam exáudiet Dóminus vocem oratiónis meæ;

Quia inclinávit aurem suã mihi, * & in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis, * & perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem & dolórem invéni, * & nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam; * miséricors Dóminus, & justus, & Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus, * humiliátus sum, & liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam, * quia Dóminus benefécit tibi;

Quia erípuit ánimam meam de morte, * óculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. O Dómine, líbera ánimam meam, miséricors & justus Deus. *v.* 4. 5.

Ant. t. 2. *D.* Heu mihi.

Psalmus 119.

Ad Dóminum cùm tribulárer clamávi, * & exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam à lábiis iníquis, * & à lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi, * ad linguã dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! * habitávi cum habitántibus Cedar; multùm íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem, eram pacíficus; * cùm loquébar illis, impugnábant me gratìs.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est! *v.* 5.

Ant. t. 8. *C.* Auxílium.

Psalmus 120.

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum à Dómi-

no, * qui fecit cœlum & terram.

Non det in commotiónem pedem tuum; * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit, neque dórmiet * qui custódit Israel.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te, * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo; * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, & éxitum tuū, * ex hoc, nunc, & usque in sæculum.

Ant. Auxílium meum à Dómino, qui fecit cœlum & terram. *v.* 2.

Ant. t. 8. *G.* Si iniquitátes.

PSALMUS 129.

DE profúndis clamávi ad te, Dómine; * Dómine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine; * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est; * & propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem * speret Israel in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia, * & copiósa apud eum redémptio;

Et ipse rédimet Israel * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine; Dómine, quis sustinébit? *v.* 3.

Ant. t. 2. *D.* Opera.

PSALMUS 137.

COnfitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum;

Et confitébor nómini tuo super misericórdia tua & veritate tua; * quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me; * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ; * quia audiérunt ómnia verba oris tui;

Et cantent in viis Dómini; * quóniam magna est glória Dómini;

Quóniam excélsus Dóminus, & humília réspicit, * & alta à longè cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; * & super iram inimicórum meorum extendísti manum tuam, & salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me; * Dómine, misericór-

dia tua in sæculum : ópera mánuũ tuarum ne despícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Domine, ne despícias. *v.* 8.

Continuò dicitur :

Ant. t. 4. *E.* Ad Dóminum.

CANTICUM MARIÆ.
Luc I. *v.* 46. *ad* 56.

MAgníficat * ánima mea Dóminum ;

Et exultávit spíritus meus * in Deo salutári meo ;

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ ; * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes ;

Quia fecit mihi magna qui potens est, * & sanctum nomen ejus :

Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo ; * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede ; * & exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis ; * & dívites dimísit inánes.

Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham & sémini ejus in sæcula.

Réquiem ætérnam, &c.

Ant. Ad Dóminum aspíciam, donec fáciat judícium meum : edúcet me in lucem, vidébo justítiam ejus. *Mich.* 7. 7. 9.

Si Officium fiat ritu Simplici, dicuntur Preces ut post Laudes, nisi tamen immediatè post Vesperas dicantur Vigiliæ: tunc enim Preces omittuntur, & incipitur à prima Antiphona illius Nocturni qui dicendus est juxta Rubricam.

Si verò Officium fiat ritu Duplici, & Vigiliæ non dicantur immediatè, post Vesperas dicitur, Dóminus vobíscum, *& una ex Orationibus post Laudes ; & post Orationem.* ℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Requiéscant in pace.
℟. Amen.

AD VIGILIAS.

Invita. Deum, cui omnes vivunt, * Veníte, adorémus. *Luc.* 20. 38.

Psalm. 94. Veníte, exultémus, *pag.* 2. *in cujus fine, loco* Glória Patri. *dicitur* Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, & lux perpétua lúceat eis.

Vigiliæ dicuntur cum tribus Nocturnis, in Depositione corporis, & in Anniversariis ritu Duplici celebrandis : in iis verò quæ fiunt ritu Simplici, unicum dicitur Nocturnum, scilicet primum Feriâ 2. & 5. secundum Feriâ 3. & 6. tertium Feriâ 4. & Sabbato.

IN I. NOCTURNO.

Ant. t. 7. *A.* Dómine.

PSALMUS 5.

VErba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus, & Deus meus;

Quóniam ad te orábo; * Dómine, manè exáudies vocem meam.

Manè altábo tibi, & vidébo, * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit juxta te malígnus; * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem; * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum & dolósum * abominábitur Dóminus.

Ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ introíbo in domum tuam; * adorábo ad templum sanctum tuũ in timóre tuo.

Dómine, deduc me in justítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam;

Quóniam non est in ore eórum véritas; * cor eórum vanum est.

Sepúlchrum patens est guttur eórum, linguis suis dolósè agébant; * júdica illos, Deus.

Décidant à cogitatiónibus suis, secúndùm multitúdinem impietátum eórum expélle eos; * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et lætentur omnes qui sperãt in te; * in ætérnũ exultábunt, & habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuũ; * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Dómine, deduc me in justítia tua: propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam. *v. 9.*

Ant. t. 8. *G.* Salvum me fac.

PSALMUS 6.

DOmine, ne in furóre tuo árguas me; * neque in ira tua corrípias me.

Miserére meî, Dómine, quóniam infírmus sum; * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequò?

Convértere, Dómine, & éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam;

Quóniam non est in morte qui memor sit tuî: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum; * lácrymis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est à furóre óculus meus; * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite à me, omnes qui operámini iniquitátem; * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletûs mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam; * Dó-

minus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant & conturbéntur veheménter omnes inimíci mei ; * convertántur & erubéscant valde velóciter.

Ant. Salvum me fac propter misericórdiam tuam ; quóniam non est in morte qui memor sit tuî. *v.* 5. 6.

Ant. t. 3. *a.* Illúmina.

PSALMUS 12.

USquequò, Dómine, obliviscéris me in finem ? * úsquequò avértis fáciem tuã à me ?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem ?

Usquequò exaltábitur inimícus meus super me ? * réspice, & exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiã in morte ; * nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsùs eum.

Qui tríbulant me, exultábunt si motus fúero : * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exultábit cor meum in salutári tuo, * cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi, & psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte. *v.* 4.

℣. Convértere, Dómine, úsquequò ? ℟. Deprecábilis esto super servos tuos. *Psal.* 89. 13.

Pater noster, *secretò : deinde mediocri voce dicitur :* Et ne nos indúcas in tentatiónem ; ℟. Sed líbera nos à malo.

Lectiones leguntur sine Benedictionibus, & sine Titulo.

Lectio j.

Job. 7. *v.* 16. *ad finem.*

PArce mihi, Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum ? aut quid appónis erga eum cor tuum ? Vísitas eum dilúculo, & súbitò probas illum. Usquequò non parcis mihi, nec dimíttis me ut glútiam salívam meam ? Peccávi, quid fáciam tibi, ô custos hóminum ? Quare posuísti me contrárium tibi, & factus sum mihimetípsi gravis ? Cur non tollis peccátum meum, & quare non aufers iniquitátem meam ? Ecce, nunc in púlvere dórmiam : & si manè me quæsíeris non subsístam.

In fine Lectionum nihil additur ; sed terminantur per solam vocis intercidentiam.

℟. Dómine omnípotens, ánima in angústiis, & spíritus ánxius clamat ad te : audi, Dómine, & miserére ; * Quia Deus es miséricors. ℣. Deus, propítius esto peccatóri. * Quia Deus. *Baruch.* 3. 1. 2. *Luc.* 18. 13.

Lectio ij.

Job. 10. *v.* 1. *ad* 8.

TÆdet ánimam meam vitæ meæ : dimíttam advérsùm me elóquium meũ, loquar in amaritúdine áni-

mæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnáre. Indica mihi cur me ita júdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, & ópprimas me opus mánuum tuárum, & consílium impiórũ ádjuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, & tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, & anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, & peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cùm sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. Quóniam ibit homo in domum æternitátis suæ; * Revertátur pulvis in terram suam unde erat, & spíritus rédeat ad Deum qui dedit illum. ℣. Det illi Dóminus inveníre misericórdiam à Dómino in illa die. * Revertátur.. *Eccle.* 12. 5. 7. 2. *Tim.* 1. 18.

Lectio iij.

Job. 10. *v.* 8. *ad* 13.

MAnus tuæ fecérunt me, & plasmavérunt me totum in circúitu: & sic repéntè præcípitas me? Meménto, quæso, quòd sicut lutum féceris me, & in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, & sicut cáseum me coagulásti? Pelle & cárnibus vestísti me: óssibus & nervis compegísti me. Vitam & misericórdiam tribuísti mihi, & visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. Miserérìs ómnium, Dómine, quia ómnia potes, & dissímulas peccáta hóminum propter pœniténtiam: nihil odísti eórum quæ fecísti: * Parcis ómnibus quóniam tua sunt, Dómine, qui amas ánimas. ℣. Quia tu es Christus Fílius Dei vivi qui in mundum venísti. * Parcis. Réquiem. * Parcis. *Sap.* 11. 24. 25. 27. *Joan.* 11. 27.

IN II. NOCTURNO.

Ant. 8. 6. *f.* In médio.

PSALMUS 22.

DOminus regit me, & nihil mihi déerit; * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me; * ánimam meã convértit.

Dedúxit me super sémitas justítiæ, * propter nomẽ suũ.

Nam, & si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala, * quóniam tu mecum es.

Virga tua, & báculus tuus, * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsùs eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum, * & calix meus inébrians quàm præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me, * ómnibus diébus vitæ meæ;

Et ut inhábitem in domo Dómini, * in longitúdinem diérum.

Ant. In médio umbræ mortis non timébo mala; quóniam tu mecum es, Dómine. *v.* 4.

Ant. t. 8. *G.* Delícta.

PSALMUS 24.

AD te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácuè.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi; * & sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, & doce me; * quia tu es Deus salvátor meus, & te sustínui totâ die.

Reminíscere miseratiónũ tuárum, Dómine, * & misericordiárum tuárum quæ à sæculo sunt.

Delícta juventútis meæ, * & ignorántias meas ne memíneris.

Secúndùm misericórdiam tuam meménto meî tu, * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis & rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in judício: * docebit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia & véritas, * requiréntibus testaméntum ejus, & testimónia ejus.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multũ est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via quam elégit.

Anima ejus in bonis demorábitur; * & semen ejus hæreditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum; * & testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminũ; * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, & miseréré meî; * quia únicus & pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt; * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, & labórem meum; * & dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt; * & ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, & érue me: * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes & recti adhæsérunt mihi, * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israel * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Delícta juventútis meæ, & ignorántias meas ne memíneris, Dómine. *v.* 7.

Ant. t. 4. *E.* Ne tradíderis.

PSALMUS 26.

DOminus illuminátio mea, & salus mea; * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ; * à quo trepidábo?

Dum appropíant super me nocéntes, * ut edant carnes meas.

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, & cecidérunt.

Si consístant advérsùm me castra, * non timébit cor meum.

Si exúrgat advérsùm me prælium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii à Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * & vísitem templum ejus;

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo; * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me; * & nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, & immolávi in tabernáculo ejus hostiam vociferatiónis; * cantábo, & psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, quâ clamávi ad te: * miserére meî, & exáudi me.

Tibi dixit cor meum; Exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam à me; * ne declínes in ira à servo tuo.

Adjútor meus esto; * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutaris meus;

Quóniam pater meus & mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua; * & dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me; * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, & mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Expécta Dóminum, viríliter age; * & confortétur cor tuum, & sústine Dóminum.

Ant. Ne tradíderis me in ánimas tribulantium me. *v.* 12.

℣. Ne avértas fáciem tuam à me, ℟. Ne declínes in ira à servo tuo. *Psalm.* 26. 9.

Pater noster, *ut suprà.*

Lectio iv. Job. 13. *v.* 22. *ad finem.*

RÉsponde mihi quantas hábeo iniquitates & peccáta, scélera mea, & delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscondis, & arbitráris me inimícum tuū? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis potentiam tuam, & stípulam siccam perséqueris. Scribis enim

contra me amaritúdines, & consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, & observásti omnes sémitas meas, & vestígia pedum meórum considerásti : qui quasi putrédo consuméndus sum, & quasi vestiméntum quod coméditur à tínea.

℟. Hi qui cum pietáte dormitiónem accepérunt, óptimam habent repósitam grátiam. * Sancta ergo & salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut à peccátis solvántur. ℣. Uniuscujúsque opus quale sit, ignis probábit : si cujus opus árserit, detriméntum patiétur; ipse autem salvus erit; sic tamen quasi per ignem. * Sancta. 2. *Mach.* 12.45.46.1. *Cor.* 3. 13. 15.

Lectio v. Job. 14. *v.* 1. *ad* 7.

HOmo natus de mulíere, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur, & contéritur, & fugit velut umbra, & numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super hujuscémodi aperíre óculos tuos, & addúcere eum tecum in judícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium ejus apud te est : constituísti términos ejus qui prætെríri non póterunt. Recéde páululùm ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii dies ejus.

℟. Deus cœli magne atque terríbilis, * Fiant aures tuæ auscultántes ut áudias oratiónem servi tui, quam oro coram te pro servis tuis, & confíteor pro peccátis quibus peccavérunt tibi : Dómine, ipsi servi tui, & pópulus tuus quos redemísti. ℣. Defúncti sunt isti, non accéptis repromissiónibus, sed à longè eas aspiciéntes, & salutántes, signíficant se pátriam inquírere; * Fiant aures. 2. *Esdr.* 1.5.6.10. *Hebr.* 11. 13. 14.

Lectio vj. Job. 14. *v.* 13. *ad* 17.

QUis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me, & abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, & constítuas mihi tempus, in quo recordéris meî? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, expécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, & ego respondébo tibi : Operi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. Audi nunc, Dómine, oratiónem mortuórum Israel qui peccavérunt ante te. * Noli meminísse iniquitátum patrum nostrórum, sed meménto manûs tuæ, & nóminis tui in témpore isto. ℣. Occísus es, Dómine, & re-

demísti nos Deo in sánguine tuo. * Noli. Réquiem. * Noli. *Baruch.* 3. 4. 5. *Apoc.* 5. 9.

IN III. NOCTURNO.

Ant. t. 2. *D.* Propter.

PSALMUS 38.

DIxi ; Custódiam vias meas, * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam,* cùm consísteret peccátor advérsùm me.

Obmútui & humiliátus sum, & sílui à bonis : * & dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me, * & in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea ; * Notum fac mihi, Domine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis est, * ut sciam, quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos ; * & substántia mea tamquam nihilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo ; * sed & frustrà conturbátur.

Thesaurízat, * & ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est expectátio mea ? nonne Dóminus ? * & substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me ; * oppróbriũ insipiénti dedísti me.

Obmútui, & non apérui os meum, * quóniam tu fecísti :

Amove à me plagas tuas ; * à fortitúdine manûs tuæ ego deféci.

In increpatiónibus propter iniquitátem corripuísti hóminem, & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus : * verúmtamen vanè conturbátur omnis homo.

Exaudi oratiónem meam, Dómine, & deprecatiónem meam : * áuribus pércipe lácrymas meas.

Ne síleas, quóniam ádvena ego sum apud te, & peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam abeam ; * & ampliùs non ero.

Ant. Propter iniquitátem corripuísti hóminem : remítte mihi, Dómine, ut refrígerer. *v.* 12. 14.

Ant. t. 3. *A.* Numquid.

PSALMUS 40.

BEatus qui intélligit super egénum & páuperem ; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, & vivíficet eum, & beatum fáciat eum in terra, * & non tradat eum in ánimam inimicorum ejus.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris ejus ; * univérsum stratum ejus versásti in infirmitáte ejus.

Ego dixi : Dómine, miserére mei, * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi ; * Quando moriétur

&

& peribit nomen ejus ?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur; * cor ejus congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foràs, * & loquebátur in idípsum.

Advérsùm me susurrábant omnes inimíci mei; * advérsùm me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsùm me: * numquid qui dormit non adjíciet ut resúrgat ?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi, qui edébat panes meos, * magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére meî, & resúscita me; * & retríbuam eis.

In hoc cognóvi, quóniam voluísti me; * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti; * & confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus Deus Israel à sæculo, & usque in sæculum: * Fiat, fiat.

Ant. Numquid qui dormit, non adjíciet ut resúrgat? Dómine, miserére mei, & resúscita me. *v.* 9. II.

Ant. t. 8. *G.* Sitívit.

P S A L M U S 41.

QUemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deũ fortem, vivum; * quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei ?

Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte, * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus ?

Hæc recordátus sum, & effúdi in me ánimam meã; * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei;

In voce exultatiónis & confessiónis, * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * & quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi; * salutáre vultûs mei, & Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est; * proptérea memor ero tuî de terra Jordánis & Hermóniim à monte módico.

Abyssus abyssum ínvocat, * in voce cataractárum tuarũ.

Omnia excélsa tua, & fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam; * & nocte cánticum ejus.

Apud me orátio Deo vitæ meæ; * dicam Deo: Suscéptor meus es;

Quare oblítus es meî? * & quare contristátus incédo dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei;

Ant. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum: quando véniam, & apparébo ante fáciem Dei? *v.* 3.

℣. Ne simul trahas me cum peccatóribus, ℟. Et cum operantibus iniquitatem ne perdas me. *Psal.* 27. 3.

Pater noster, &c.

Lectio vij.

Job. *Cap.* 16. *v.* 23. *&* *Cap.* 17. *v.* 1. *ad* 4.

BReves anni tránseunt, & sémitam, per quam non revértar, ámbulo. Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, & solum mihi súperest sepúlchrum. Non peccávi, & in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, & pone me juxta te, & cujúsvis manus pugnet contra me.

℟. Scio quòd Redémptor meus vivit, & in novíssimo

meum. P
meus es ;
ror mea ;
ergo nun
& patié
consídera

℟. Qu
púlvere,
in vitam
oppróbri
qui bona
rectiónen
la egérun
judícii. *
12. 2. J

Job. 1

PElli
cárnib
& derelíct
do lábia
Miserémi
ni meî,
mei, qui
tétigit m
mini me

dit de terra surrectúrus sum: & rursum circúmdabor pelle meâ, & in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, & óculi mei conspectúri sunt, & non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Secúndùm multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, Dómine, * Líbera me à rugiéntibus, præparátis ad escam, † De mánibus quæréntium ánimam meam, & de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: § A pressúra flammæ quæ circúmdedit me. *Eccli.* 51. 4. 5. 6.

℣. Per redemptiónem quæ est in Christo Jesu, quem propósuit Deus propitiatiónem in sánguine ipsíus propter remissiónem delictórum. *Rom.* 3. 24. 25. * Líbera me..

℣. Vos, fratres, per Jesum Christum adjuvétis me in oratiónibus vestris pro me ad Deum, ut líberer. *Rom.* 15. 30. 31. † De mánibus..

℣. Non est in álio áliquo salus. *Act.* 4. 12. § A pressúra. *repetitur* Secúndùm multitúdinem, *usque ad* ℣. Per redemptiónem.

Quando dictum est unicum Nocturnum, omittitur superius ℟. *& dicitur sequens.*

℟. Líbera me, Dómine, à persequentibus me. * Educ de custodiâ ánimam meam ad confiténdū nómini tuo: † Me expéctant justi, donec retríbuas mihi. ℣. Miserere ádjuva me.* Educ. Réquiē.† Me expéctant. *Ps.* 141. 7. 8. *Matth.* 15. 22. 25.

AD LAUDES.

℣. *Sacerdos.* Humiliásti nos, Dómine, in loco afflictiónis. ℟. Coopéruit nos umbra mortis. *Ps.* 43. 20.

Inchoatur absolutè ab Ant. t. 1. d. A peccáto.

In fine Psalmorum dicitur Requiem, &c.

PSALMUS 50.

Miserére meî, Deus, * secúndùm magnam misericórdiam tuam;

Et secúndùm multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Ampliùs lava me ab iniquitáte mea, * & à peccáto meo munda me;

Quóniam iniquitátem meā ego cognósco; * & peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, & malū coram te feci; * ut justificéris in sermónibus tuis, & vincas, cùm judicáris.


Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum, * & in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta & occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, & mundábor: * lavábis me, & super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium & lætítiam; * & exultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam à peccátis meis, * & omnes ini-



Docebo iníquos vias tuas, & ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ ; * & exultábit lingua mea justítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries ; * & os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses, sacrifícium dedíssem útique, * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus ; * cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies.

Benígnè fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion ; * ut ædificéntur muri Jerúsalem.

Tunc acceptábis sacrifíciũ justítiæ, oblatiónes & holocáusta ; * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. A peccáto meo munda me : & exultábunt ossa

pium tuu ;
táte.

Exáudi
ris noster
fínium ter
longè ;

Præpara
túte tuâ,
tiâ : * qu
fúndum m
tuum ejus

Turbab
timébunt
minos à si
tus matutí
lectábis.

Visitásti
briásti eam
locupletáre

Flumen
aquis ; * p
rum ; quó
parátio eju

Rivos eju
típlica gení
stillicídiis e

to : * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exáudi oratiónem meam : ad te omnis caro véniet. *v.* 3.

Ant. t. 1. *A.* Collocávit me.

PSALMUS 142.

DOmine, exáudi oratiónem meam ; áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua ; * exáudi me in tua justítia ;

Et non intres in judícium cum servo tuo ; * quia non justificábitur in conspéctu tuo omnis vivens ;

Quia persecútus est inimícus ánimam meam ; * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi ; * & anxiátus est super me spíritus meus ; in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum ; meditátus sum in ómnibus opéribus tuis ; * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te ; * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine ; * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam à me ; * & símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi manè misericórdiam tuam ; * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in quâ ámbulem ; * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine ; ad te confúgi : * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam ; * & in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tribulant ánimam meam ; * quóniã ego servus tuus sum.

Ant. Collocávit me in obscúris, sicut mórtuos sæculi ; & anxiátus est super me spíritus meus. *v.* 3. 4.

Ant. t. 6. *f.* Dómine.

CANTICUM *Ezechiæ.*

Is. 38. 10.

EGo dixi : In dimídio diérũ meórum vadam ad portas ínferi : * quæsívi resíduum annórum meórum.

Dixi : Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium ; * non aspíciam hóminem ultrà, & habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, & convolúta est à me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut à texénte, vita mea ; dum adhuc ordírer succídit me : * de manè usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad manè : * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea.

De manè usque ad véspe-ram finies me; * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, me-ditábor ut colúmba.

Attenuáti sunt óculi mei * suspiciéntes in excélsum.

Dómine, vim pátior, res-pónde pro me: *quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes an-nos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, & in tálibus vita spíritûs mei, corrípies me &, vivificábis me: * ecce in pace amaritú-do mea amaríssima.

Tu autem eruísti ánimam meam, ut non períret; * projecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea:

Quia non inférnus confité-bitur tibi, neque mors lau-dábit te; * non expectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens, vivens ipse confi-tébitur tibi, sicut & ego hó-die: * pater fíliis notam fá-ciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac; * & psalmos nostros cantábi-mus cunctis diébus vitæ nos-træ in domo Dómini.

Ant. Dñe, vim pátior, res-póndc pro me: quid dicam, aut quid respondébit mihi, cùm ipse fécerit? *v.* 14. 15.

Ant. t. 7. *D.* Omnis spíritus.

PSALMUS 150.

LAudáte Dóminum in sán-ctis ejus; * laudáte eum in firmaménto virtútis ejus.

Laudáte eum in virtútibus ejus; * laudáte eum secún-dùm multitúdinem magnitú-dinis ejus.

Laudáte eum in sono tu-bæ; * laudáte eum in psal-tério & cíthara.

Laudáte eum in tympano & choro; * laudáte eum in chordis & órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus, laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dómi-num.

Requiem ætérnam.

Ant. Omnis spíritus lau-det Dóminum. *v.* 6.

Ad Bened. *Ant. t.* 8. *G.* Per víscera.

CANTIC. *Zach. Luc.* 1. 68.

BEnedíctus Dñus Deus Israel; * quia visitávit, & fecit redemptiónem plebis suæ.

Et eréxit cornu salútis no-bis; * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui à sæculo sunt, Prophetárum ejus,

Salútem ex inimícis nos-tris, * & de manu ómnium qui odérunt nos;

Ad faciéndam misericór-diam cum pátribus nostris, * & memorári testaménti sui sancti;

Jusjurándum quod jurávit ad Abraham patrem nos-trum, * datúrum se nobis;

Ut sine timóre de manu inimicórum nostrórum libe-ráti, * serviámus illi,

In ſanctitáte & juſtítia coram ipſo, * ómnibus diébus noſtris.

Et tu, puer, Prophéta Altíſſimi vocáberis : * præíbis enim ante fáciem Dómini, paráre vias ejus;

Ad dandam ſciéntiam ſalútis plebi ejus; * in remiſſiónem peccatórum eórum,

Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, * in quibus viſitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent, * ad dirigéndos pedes noſtros in viam pacis.

Réquiem.

Ant. Per víſcera miſericórdiæ Dei noſtri, in quibus viſitávit nos Oriens ex alto, illumináre his qui in ténebris, & in umbra mortis ſedent. *v.* 78. 79.

Quando Officium peractum eſt ritu ſimplici, & dictum eſt unum tantùm Nocturnum, adduntur ante ultimam Orationem Preces ſequentes.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, eléïſon. Kyrie, &c. Pater, *ſecretò uſque ad* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Uſquequò exardéſcet ſicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimas eórum de manu ínferi. *Pſ.* 88. 47. 49.

℣. Requiéſcant in pace.

℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Pſ.* 101. 2.

Abſolutio.

PArtem beátæ reſurrectiónis obtíneant, vitámque habére mereántur in cœlis; per te, Jeſu Chriſte, Salvátor mundi, qui ventúrus es judicáre vivos & mórtuos & ſæculum per ignem. ℟. Amen.

P S A L M U S 145.

LAuda, ánima mea, Dóminum, * laudábo Dóminum in vita mea; pſallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus; * in fíliis hóminum, in quibus non eſt ſalus.

Exíbit ſpíritus ejus, & revertétur in terram ſuam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cujus Deus Jacob adjútor ejus, ſpes ejus in Dómino Deo ipſíus, * qui fecit cœlum & terram, mare, & ómnia quæ in eis ſunt:

Qui cuſtódit veritátem in ſæculum, facit judícium injúriam patiéntibus; * dat eſcam eſuriéntibus.

Dóminus ſolvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos:

Dóminus érigit eliſos : * Dóminus díligit juſtos:

Dóminus cuſtódit ádvenas; pupíllum & víduam ſuſcípiet; * & vias peccatórum diſpérdet.

Regnábit Dóminus in ſæcula, Deus tuus, Sion, * in generatiónem & generatiónem.

Réquiem, &c.

S. Psalmus, Lauda, anima mea, *dictus fuerit ad preces in Vesperis: loco illius dicetur ad Laudes*, De profundis clamavi, &c. *pag.* cxx.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

In Depositione Pontificis.

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli fecisti dignitate vigere; præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpetuo aggregétur consórtio; Per Dóminum, &c.

In Depositione Sacerdotis.

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdotis, quē in hoc sæcu o commorántem, sacris muneribus decorasti, in cœlesti sede gloriosâ semper exultet; Per Dominum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, &c.

In Depositione Defuncti.

ABsólve, quæsumus, Dómine, animam fámuli tui *N* ut defunctus sæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis, humánâ conversatióne commísit, tu véniâ misericordissimæ pietátis absterge; Per Dóminum, &c.

In Depositione Defunctæ.

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére animæ famulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restitue; Per Dóminum nostrum.

In die tertio, septimo, & trigesimo.

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N* (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus depositiónis diem (tertium) (séptimum) (trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, & rorem misericórdiæ tuæ perénnem infundas; Per Dóminum, &c.

In Anniversario die.

DEus indulgentiárum, Dómine: da animæ famuli tui, (famulæ tuæ) cujus anniversarium depositiónis diem commemoramus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum, &c.

Cum Officium fit ritu simplici, & plures dicendæ sunt Orationes. Orémus.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut ánimam fámuli tui (famulæ tuæ) quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem.

DEus véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Maríâ semper vírgine intercedénte cum ómnibus Sanc-

tis tuis, ad perpetuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómniũ Cónditor & Redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remissiónem cunctorum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequantur; Qui vivis, &c.

Si pro pluribus celebretur Officium, prima ex illis Orationibus ponetur in plurali.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

COMMENDATIONES ET ORATIONES IN OBSEQUIIS DEFUNCT. FACIENDÆ,

Cum tribus ℟℟℟.

Pro pluribus dicuntur in plurali.

OMnipoténtis Dei misericórdiam deprecémur, charíssimi, cujus judício náscimur & mórimur; ut spíritum fratris nostri (*vel* soróris nostræ) quem de incolatu mundi hujus transire præcépit, réquies ætérna suscípiat, cúmque Dómini pietas in beata resurrectióne repræséntet; & in sínibus Abrahæ, Isaac, & Jacob, inter sanctos & electos suos collocáre dignétur; Præstánte Domino nostro Jesu Christo qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℟. 1. Dómine, propter iniquitatem corripuísti hóminem; & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus.* Auribus pércipe lácrymas meas, & remítte mihi, ut refrígerer. ℣. Deus omnípotens, Rex sæculórum, quia solus pius es. * Auribus. *Ps.* 38. 12. 13. 14. *Apoc.* 15. 3. 4.

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

DEus omnípotens, qui humano córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es: dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur: tu imáginem tuam, cum sanctis & electis tuis, ætérnis sedibus præcípias sociari: repélle, quæsumus, ab ea omnes príncipes tenebrarum, & agnosce depósitum fidéle quod tuum est. Suscipe creaturam tuam, non à diis aliénis creátam; sed à te solo Deo vivo & vero: ne memíneris, clementíssime Pater, iniquitatum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii; licèt enim peccaverit; tamen te non negávit; sed signo fidei insignita, in te Deum misericordiárum sperávit; Qui vivis & regnas in sæcula. ℟. Amen.

℟. 2. Redemísti, Dómine, virgam hæreditátis tuæ: *Ne tradas bestiis ánimas confiténtes tibi, & ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem: réspice in testaméntum tuum; ne aver-

tátur húmilis factus confúsus. ℣. Occísus es, Dómine, & redemísti nos Deo in sánguine tuo. * Ne tradas. *Ps.* 73. 2. 19. 20. 21. *Apoc.* 5. 9.

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

DIri vulneris novitáte percúlsi, & quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mudi Redemptor, flebílibus vócibus implorámus, ut chari nostri *N.* (*vel* charæ nostræ *N.*) ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem, blande lenitérque suscípias: & quas ex carnali commoratióne contráxit máculas, tu, Deus, inólitâ bonitáte cleménter déleas: atque hanc tibi laudem cum cæteris redditúram, & ad corpus próprium quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias; Qui cum Deo Patre, & Spíritu sancto vivis & regnas Deus.

℟. Amen.

℟. 3. Líbera me, Dómine, ab iis qui odérunt me: * Non absórbeat me profúndum: neque úrgeat super me púteus os suum. † Exáudi me, quóniam benígna est misericórdia tua. §. Réspice in me, quóniam tríbulor: inténde ánimæ meæ, & líbera eam. *Ps.* 68. 15. 16. 17. 18. 19. ℣. In die iræ & revelatiónis justi judícii Dei, *Rom.* 2. 5. * Non absórbeat. ℣. Quia tu es Christus, Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. *Joan.* 11. 27. † Exáudi. ℣. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri. *Act.* 4. 12. § Réspice..... *Deinde repetitur* ℟. Líbera me, Dómine, *usque ad Versiculum primum.*

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

Pater noster, &c. *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Requiem ætérnam dona ei, Dómine, ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. Usquequò exardéscet sicut ignis ira tua? ℟. Erue ánimam ejus de manu ínferi. *Ps.* 88. 47. 49.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíscum, &c.

Orémus.

PArtem beátæ resurrectiónis obtíneat, quæsumus, Dómine, ánima fámuli tui (*vel* famulæ tuæ,) vitámque ætérnam habére mereátur in cœlis, per te, Jesu Christe, Salvátor mundi.

DEus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem, præsta, quæsumus, ut ánima fámuli tui (*vel* fámulæ tuæ) terrénis exúta contágiis, in tuæ redemptiónis parte numeretur; Per Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

PSALMI GRADUALES.

Quinque sequentes Psalmi dicuntur sine Gloria Patri, *sed in fine ultimi tantùm dicitur* Requiem.

Ad Dóminum cùm tribulárer, *pag.* 154.

Levávi óculos meos, *p.* 71.

Lætátus sum, *pag.* 111.

Ad te levávi, *pag.* 51.

Nisi quia Dóminus erat, *pag.* 71. *In fine dicitur* Requiem.

Deinde flexis genibus. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera nos à malo.

℣. Non intres in judícium cum servis tuis, ℟. Quia non justificábitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps.* 142. 2.

℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam; ℟. Et clamor meus ad te véniat. *Ps.* 101. 2.

℣. Dóminus vobíscum, ℟. Et cum Spíritu tuo.

Orémus.

ABsólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum, & ómnium fidélium defunctórum, ab omni vínculo delictórum; ut in resurrectiónis glória, inter sanctos & eléctos tuos resuscitáti respírent; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Post Orationem statim dicuntur alii Psalmi Graduales, ut sequitur, & in fine cujuslibet dicitur Glória Patri.

Qui confídunt in Dómino, *pag.* 72.

In converténdo, *pag.* 92.

Nisi Dóminus, *pag.* 52.

Beáti omnes qui timent, *pag.* 112.

Sæpè expugnavérunt me, *pag.* 133.

Postea dicitur flexis genibus:

Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison.

Pater, *secretò.* ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Memor esto congregationis tuæ, ℟. Quam possedisti ab inítio. *Ps.* 73. 2.

℣. Dómine, exáudi, &c.

℣. Dóminus vobíscum, &c.

Oratio.

DEus, cui próprium est miseréri semper & párcere, súscipe deprecatiónem nostram; ut nos & omnes fámulos tuos quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis clementer absolvat; Per Christum Dóminum nostrum.

Similiter post hanc Orationem dicuntur quinque Psalmi sequentes cum Gloria Patri, *in fine cujuslibet.*

De profúndis, *pag.* 133. Dómine, non est exaltátum, *pag.* 133. Meménto, Dómine, David, *pag.* 112. Ecce quàm bonum, *pag.* 113. Ecce nunc benedícite, *pag.* 158.

Deinde flexis genibus. Kyrie, eléison. Christe, eléison. Kyrie, eléison. Pater noster, *secretò.*

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem, &c.

℣. Deus ómnium, miseréré plebi tuæ, ℟. Super quam invocátum est nomen tuum. *Eccli.* 36. 1. 14.

℣. Dómine, exáudi oratiónem, &c.

℣. Dóminus vobíscum, &c.

Orémus.

PRæténde, quæsumus, Dómine, fámulis & famulábus tuis déxteram cœléstis auxílii; ut te toto corde perquírant, & quæ dignè póstulant, cónsequi mereántur; Per Dóminum, &c.

℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

Ante Prandium.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Oculi ómnium in te sperant, Dómine; & tu das escam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, & imples omne ánimal benedictióne. *Psalm.* 144. 15. 16.

Glória Patri, &c. Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson. Pater noster, *secretò.* ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed líbera nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dómine, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri; Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Si fiat Lectio, Lector dicit: Jube, Domne, benedícere.

Bened. Mensæ cœléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

In fine Lectionis dicitur: Tu autem, Dómine, miseréré nostri.

℟. Deo grátias.

Gratiarum Actio post Prandium.

COnfiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, & sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. 10.

Qui benedixit mensam, dicit:

AGimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis; Qui vivis & regnas in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde procedendo ad Ecclesiam dicitur Psalm. Miserére, &c. *Si verò non procedatur, dicitur Psalm.* Laudáte Dñum, omnes, &c. Glória, &c.

Kyrie, eléïson, &c. *ut suprà.* Pater noster, &c. ℣. Et ne nos, &c. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus: ℟. Justítia ejus manet in sæculum sæculi. *Ps.* 111. 9.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore; ℟. Semper laus ejus in ore meo. *Ps.* 33. 2.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea; ℟. Audiant mansuéti & læténtur. *Ps.* 33. 3.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, ℟. Et exaltémus nomen ejus in idípsum. *Ps.* 33. 4.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum, ℟. Ex hoc, nunc, & usque in sæculū. *Ps.* 112. 2.

℣. Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus, propter nomen sanctum tuum, vitam ætérnam. ℟. Amen.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Mediocri voce. ℣. Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

BENEDICTIO MENSÆ ante Cœnam.

BEnedícite. ℟. Dóminus. Edent páuperes & saturabúntur : & laudábunt Dóminum, qui requírunt eum : vivent corda eórum in sæculum sæculi. *Ps.* 21. 27. Glória Patri. Kyrie, &c. *ut suprà.* Pater noster, &c.

Clarà voce. Et ne nos, &c.

Orémus.

BEnedic, Dñe, nos & hæc dona ✝ tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri ; Per Christum, &c. ℟. Amen.

Ad Benedictionem Lectoris.

Ad cœnam perpétuæ vitæ perdúcat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

GRATIARUM ACTIO post Cœnam.

MEmóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dóminus; escam dedit timéntibus se. *Ps.* 110. 4. 5.

Glória Patri, &c.

Qui benedixit mensam, dicit:

BEnedíctus Deus in donis suis, & sanctus in ómnibus opéribus suis; Qui vivit & regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmi & reliqua, ut post prandium.

ITINERARIUM.

Viator in ipso itineris ingressu, si solus fuerit, dicat quæ sequuntur in singulari: si cum sociis, in plurali.

In Cant. Benedíctus.

Ant. In viam pacis & prosperitátis dírigat nos omnípotens, & miséricors Dóminus : & Angelus Ráphael comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte, & gáudio revertámur ad própria. *Tob.* 5. 21. 27.

PRECES.

KYrie, eléison. Christe, &c. Pater noster, &c. Et ne nos, &c. ℣. Mitte nobis, Dómine, auxílium de sancto; ℟. Et de Sion tuere nos. *Ps.* 19. 3.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis ℟. A fácie inimíci. *Ps.* 60. 4.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis ; ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis. *Ps.* 88. 23.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie, ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum. *Ps.* 67. 20.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis, ℟. Et sémitas tuas édoce nos. *Psalm.* 24. 4.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ, ℟. Ad custodiéndas justificatiónes tuas. *Psalm.* 118. 5.

℣. Erunt prava in diréc-ta; ℟. Et áspera in vias planas. *Is.* 40. 4.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te; ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis. *Ps.* 90. 11.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam, ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.


DEus, qui filios Israel per maris médium sicco vestigio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te, stellâ duce, pandísti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquíllum: ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pergimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum pervenire feliciter valeámus.

DEus, qui Abraham púerum tuum de Ur Chaldæórum edúctum per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti: quæsumus, ut nos fámulos tuos custodíre dignéris: esto nobis, Dómine, in procinctu suffrágium, in via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia & frígore tegumentum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium: in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut te duce quò téndimus, prósperè perveniámus, & demum incólumes ad própria redeámus.

ADésto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris, & viam famulórum tuórum in salútis prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ & vitæ varietátes, tuo semper protegámur auxílio.

PRæsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut família tua per viam salútis incédat, & beáti Joannis Præcursoris hortamenta sectándo, ad eum quem prædixit, secúra perveniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum; Qui tecum, &c.

℣. Procedámus in pace, ℟. In nomine Dómini. Amen.



PRÆPARATIO AD MISSAM, AD LIBITUM SACERDOTIS.

Pſalmi. Quàm diléćta, *pag.* 99. Benedixiſti, *pag.* 78. Inclína, *pag.* 78. Crédidi, *pag.* 91. De profúndis, *pag.* 133.

Ant. Dómine, memor eſto meî : & ne vindíctam ſumas de peccátis meis : neque reminiſcáris delícta mea, vel paréntum meórum. *Tob.* 3. 3.

PRECES.

Kyrie, eléïſon. Chriſte, &c. Pater noſter, &c.

℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed, &c.

℣. Ego dixi : Dómine, miſerére meî, ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. *Pſ.* 40. 5.

℣. Convértere, Dómine, úſquequò, ℟. Et deprecábilis eſto ſuper ſervos tuos. *Pſ.* 89. 13.

℣. Fiat miſericórdia tua, Dñe, ſuper nos, ℟. Quemádmodum ſperávimus in te. *Pſ.* 32. 22.

℣. Sacerdótes tui induántur juſtítiam, ℟. Et ſancti tui exúltent. *Pſ.* 131. 9.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine, ℟. Et ab aliénis parce ſervo tuo. *Pſ.* 18. 13. 14.

℣. Dñe, exáudi, &c. ℣. Dñus vobiſcũ, &c. Orémus.

Aures tuæ pietátis, mitíſſime Deus, inclína précibus noſtris, & grátiâ Spíritûs ſancti illúmina cor noſtrum : ut tuis myſtériis dignè miniſtráre, teque æternâ cha-

Deus, cui omne cor patet, & omnis volúntas lóquitur, & quem nullum latet ſecrétum : purífica per infuſiónem ſancti Spíritûs cogitatiónes cordis noſtri ; ut te perféctè dilígere, & dignè laudáre mereámur.

Ure igne ſancti Spíritûs renes noſtros, & cor noſtrum, Dómine ; ut tibi caſto córpore ſerviámus, & mundo corde placeámus.

Mentes noſtras, quæſumus, Dómine, Paraclétus qui à te procédit illúminet, & indúcat in omnem, ſicut tuus promíſit Fílius, veritátem.

Adſit nobis, quæſumus, Dómine, virtus Spíritûs ſancti : quæ & corda noſtra cleménter expúrget, & ab ómnibus tueátur advérſis.

Deus, qui corda fidélium ſancti Spíritûs illuſtratióne docuíſti : da nobis in eódem Spíritu recta ſápere, & de ejus ſemper conſolatióne gaudére.

Conſciéntias noſtras, quæſumus, Dómine, viſitándo purífica : ut véniens Jeſus Chriſtus Fílius tuus, parátam ſibi in nobis invéniat manſiónem ; Qui tecum vivit & regnat, &c.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM.

Ant. Benedícite.

Canticum. Benedícite, ómnia, *pag.* 10. *Ps.* Laudáte Dóminum in sanctis ejus. *pag.* 11.

Ant. Benedícite, Sacerdótes Domini, Domino, laudáte, & superexaltáte eum in sæcula. *Dan.* 3. 84.

PRECES.

Kyrie, eleïson. Christe, eleïson, &c. Pater noster, &c. ℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem; ℟. Sed líbera, &c.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua, ℟. Et sancti tui benedícant tibi. *Ps.* 144. 10.

℣. Exultábunt sancti in glória; ℟. Lætabúntur in cubílibus suis. *Ps.* 149. 5.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis; * ℟. Sed nomini tuo da glóriam. *Ps.* 113. 9.

℣. Dómine, exaudi, &c.


℣. Dóminus vobíscum, &c.

Orémus.

Deus, qui tribus púeris mitigasti flammas ígnium: concéde propítius, ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni, & adjuvándo proséquere; ut cuncta nostra orátio & operátio à te semper incípiat, & per te cœpta finiátur.

Da nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas extínguere: qui beáto Laurentio tribuisti tormentórum suórum incéndia superáre; Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.



INDEX

INDEX PSALMORUM.

Réquiem, &c.

S. Psalmus, Lauda, anima mea, *dictus fuerit ad preces in Vesperis*: *loco illius dicetur ad Laudes*, De profundis clamavi, &c. *pag.* cxx.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

Oratio.

In Depositione Pontificis.

DEus, qui inter Apostólicos Sacerdótes fámulum tuum *N.* Pontificáli fecisti dignitate vigere; præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpetuo aggregétur consortio; Per Dóminum, &c.

In Depositione Sacerdotis.

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N.* Sacerdotis, quē in hoc sæculo commorántem, sacris munéribus decorasti, in cœlesti sede gloriosâ semper exultet; Per Dominum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, &c.

In Depositione Defuncti.

ABsólve, quæsumus, Dómine, animam fámuli tui *N* ut defunctus sæculo tibi vivat: & quæ per fragilitátem carnis, humánâ conversatióne commísit, tu véniâ misericordissimæ pietátis absterge; Per Dóminum, &c.

In Depositione Defunctæ.

QUæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére animæ famulæ tuæ *N.* & à contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restitue; Per Dóminum nostrum.

In die tertio, septimo, & trigesimo.

PRæsta, quæsumus, Dómine, ut ánima fámuli tui *N* (*vel* fámulæ tuæ *N.*) cujus depositionis diem (tertium) (séptimum) (trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium, & rorem misericórdiæ tuæ perénnem infundas; Per Dóminum, &c.

In Anniversario die.

DEus indulgentiárum, Dómine: da animæ famuli tui, (famulæ tuæ) cujus anniversarium depositiónis diem commemoramus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, & lúminis claritátem; Per Dóminum, &c.

Cùm Officium fit ritu simplici, & plures dicendæ sunt Orationes. Orémus.

INclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur; ut animam fámuli tui (famulæ tuæ) quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, & Sanctorum tuórum júbeas esse consortem.

DEus véniæ largítor, & humánæ salútis amátor, quæsumus cleméntiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propínquos, & benefactóres, qui ex hoc sæculo transierunt, beatâ Maríâ semper vírgine intercedente cum ómnibus Sanc-

tis tuis, ad perpetuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

FIdélium, Deus, ómniũ Cónditor & Redémptor, animábus ómnium fidélium defunctórum remissiónem cunctorum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur; Qui vivis, &c.

Si pro pluribus celebretur Officium, prima ex illis Orationibus ponetur in plurali.

℣. Dóminus vobíscum,

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

COMMENDATIONES ET ORATIONES IN OBSEQUIIS DEFUNCT. FACIENDÆ, Cum tribus ℟℟℟.

Pro pluribus dicuntur in plurali.

OMnipoténtis Dei misericórdiam deprecémur, charíssimi, cujus judício náscimur & mórimur; ut spíritum fratris nostri (*vel* soróris nostræ) quem de incolatu mundi hujus transire præcépit, réquies ætérna suscípiat, eúmque Dómini pietas in beata resurrectióne repræséntet; & in sínibus Abrahæ, Isaac, & Jacob, inter sanctos & electos suos collocáre dignétur; Præstánte Dómino nostro Jesu Christo qui ventúrus est judicáre vivos & mórtuos, & sæculum per ignem. ℟. Amen.

℟. 1. Dómine, propter iniquitátem corripuísti hóminem; & tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam ejus.* Auribus pércipe lácrymas meas, & remítte mihi, ut refrígerer. ℣. Deus omnípotens, Rex sæculórum, quia solus pius es. * Auribus. *Ps.* 38. 12. 13. 14. *Apoc.* 15. 3. 4.

Kyrie, eléïson. Christe, eléïson. Kyrie, eléïson.

DEus omnípotens, qui humano córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es: dum, te jubente, pulvis in púlverem revértitur: tu imáginem tuam, cum sanctis & electis tuis, ætérnis sédibus præcípias sociari: repélle, quæsumus, ab ea omnes príncipes tenebrarum, & agnosce depósitum fidéle quod tuum est. Suscipe creatúram tuam, non à diis aliénis creátam; sed à te solo Deo vivo & vero: ne memíneris, clementíssime Pater, iniquitatum ejus antiquárum quas suscitávit furor mali desidérii; licèt enim peccáverit; tamen te non negávit; sed signo fidei insignita, in te Deum misericordiárum sperávit; Qui vivis & regnas in sæcula.

℟. Amen.

℟. 2. Redemísti, Dómine, virgam hæreditátis tuæ: *Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, & ánimas páuperum tuórum ne oblivíscáris in finem: réspice in testaméntum tuum; ne aver-

4




INDEX


CANTICORUM PSALTERII.

FINIS.


1. Ton.




DI- xit Dóminus Dómino




me- o : Se-de à dextris me- is. *D.*




à dex-tris me- is. *d.* à dex-tris




me- is. *A.* à dextris me- is. *F.*




Do-nec ponam. Ma- gní- fi- cat.



Et e- xultá- vit spi- ri- tus me- us.




Irreg. In e- xi-tu Iſra-el de Ægypto,




domus Jacob de pó-pulo bárba-ro.

2. Ton.



DI- xit Dóminus Dómino



me- o : Se-de à dextris me-is. *D.*




Donec ponam. Ma- gní- fi- cat.



Et e- xul- tá- vit ſpí- ri- tus me- us.




Di- xit Dóminus Dó-mino me- o : Se-



de à dextris me- is. *d.* Do-nec po-




nam. Ma-gní- fi-cat. Et e-xul-



tá-vit ſpí- ri- tus me- us.


3. Ton.




DI-xit Dóminus Dómino




me-o: Se-de à dex-tris me- is. *A.*




à dextris me- is. *a.* à dex tris



me- is. *E.* Do-nec po-nam. Ma-




gni- fi cat. Et e- xultà-vit ſpi- ri-




tus me- us.


4. Ton.



DI-xit Dóminus Dómino




me- o: Se-de à dextris me- is. *E.*



à dextris me- is. *A.* Do-nec po-nam.




Magní- fi-cat Et e- xultá-vit ſpi-




ri-tus me- us.


5. Ton.




DI-xit Dóminus Dómino



me-o : Se-de à dex- tris me- is. *F.*




à dextris me-is. *A.* Donec po-nam.




Ma-gní- fi-cat. Et e- xultá-vit ſpí-




ri-tus me- us.

6. Ton. 


DIxit Dóminus Dómi-




no me- o: Se-de à dex- tris




me- is. *F.* Donec po-nam. Magni-



fi-cat. Et e- xultá-vit ſpí- ri-tus




me- us. Di-xit Dóminus Dómino



me- o: Se-de à dex-tris me- is. *f.*




Do-nec ponam. Ma-gní- fi-cat. Et




e- xultá- vit ſpí- ri- tus me- us.


7. Ton




DIx-it Dómi-nus Dómino




me- o: Se-de à dextris me- is. *D*,



à dextris me- is. *A*. à dextris me-



is. *C*, Do-nec po - nam. Ma-




gní- fi-cat. Et e- xul-távit ſpi




ri-tus me- us.


8. Ton.




DI-xit Dóminus Dómino



me- o: Sede à dextris me- is.







Feriâ quintâ, ſextâ & Sabbato ante Paſcha, ſicut & in Officio Defunctorum, in Pſalmis atque Canticis omnes Verſus cantantur ut ſuprà notatur : Donec ponam.



PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amés & féaux Conseillers les gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils & autres nos Justiciers, qu'il appartiendra ; SALUT. Notre bien amé féal Conseiller en nos Conseils, le Sieur SCIPION-JERÔME BEGON, Evêque de Toul, Nous a fait exposer, qu'il auroit besoin de nos Lettres de Privilége pour l'Impression des Usages de son Diocése. A ces causes, voulant traiter favorablement ledit Sieur Evêque, Nous lui avons permis & permettons par ces Présentes, de faire imprimer par tel Imprimeur qu'il voudra choisir, tous les *Breviaires*, *Diurnaux*, *Missels*, *Rituels*, *Antiphoniers*, *Manuels*, *Graduels*, *Processionaux*, *Epistoliers*, *Pseautiers*, *Demi-Pseautiers*, *Directoires*, *Heures*, *Catéchismes*, *Ordonnances*, *Mandemens*, *Statuts Synodaux*, *Lettres Pastorales & Instructions à l'usage dudit Diocése*, en tels volumes, formes, marges, caractères, conjointement ou séparément, & autant de fois que bon lui semblera ; & de les faire vendre & débiter par tout notre Royaume pendant le tems de *vingt années consécutives*, à compter du jour de la date desdites Présentes ; sans toutefois qu'à l'occasion des Livres cy-dessus spécifiés, il puisse en être imprimé d'autres qui ne soient pas dudit Sieur Evêque. Faisons défenses à toutes personnes, de quelque qualité & condition qu'elles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance ; comme aussi à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer, ou faire imprimer, vendre, faire vendre & debiter lesdits Livres, en tout ou en partie, & d'en faire aucunes traductions ou extraits, sous quelque prétexte que ce soit, sans la permission expresse & par écrit dudit Sieur Evêque, ou de ceux qui auront droit de lui, à peine de confiscation des exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant, ou à celui qui aura droit de lui, & de tous dépens, dommages & interêts ; A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans

trois mois de la date d'icelles. Que l'impression de ces Livres sera faite dans notre Royaume, & non ailleurs, ne bons papiers & en beaux caractéres, conformément aux Réglemens de la Librairie; qu'avant de les exposer en vente, les manuscrits ou imprimés qui auront servi de copie à l'impression desdits Livres, seront remis ès mains de notre très-cher & féal Chevalier le Sieur Daguesseau, Chancelier de France, Commandeur de nos Ordres; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliothéque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier le Sieur Daguesseau, Chancelier de France; le tout à peine de nullité des Présentes: Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Exposant & ses ayans Causes, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie des Présentes, qui sera imprimée tout au long, au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenuë pour duëment signifiée, & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & feaux Conseillers & Sécrétaires, foi soit ajoûtée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier, ou Sergent sur ce requis, de faire pour l'éxécution d'icelles, tous Actes requis & nécessaires, sans demander autre Permission, & & nonobstant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires; Car tel est notre plaisir. Donné à Versailles le seiziéme jour du mois de Mars, l'an de grace, mil sept cent quarante-huit, & de notre Régne le trente-troisiéme.

Par le ROY en son Conseil,
SAINSON.

Régistré sur le Régistre II. *de la Chambre Royale & Syndicale des Libraires & Imprimeurs de Paris, n.* 930. *fol.* 820. *conformément au Réglement de* 1723. *qui fait défenses, Art. iv. à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, autres que les Libraires & Imprimeurs, de vendre, débiter & faire afficher aucuns Livres, pour les vendre en leurs noms, soit qu'ils s'en disent les Auteurs ou autrement; à la charge de fournir à la susdite Chambre, huit Exemplaires prescrits par l'Article cviij. du même Réglement. A Paris le* 19. *Mars* 1748.

G. CAVELIER,
Syndic.



CESSION DU PRIVILEGE.

NOus SCIPION-JEROME BEGON, Evêque Comte de Toul, déclarons avoir cédé & transporté aux Srs Louis Rolin & Antoine Leseure, Imprimeurs & Marchands-Libraires, le Privilége du Roy à Nous accordé, pour l'impression *des Antiphonaire, Graduel, Missel, Processional, Breviaires, Diurnal, Pseautiers,* & *Demi-Pseautier*, à l'usage de notre Diocése, selon la teneur dudit Privilége. Fait à Toul ce vingt-neuf Juin mil sept cent quarante-huit.

✝ SCIPION-JEROME, Ev. C. de Toul.

Je soussigné confesse avoir cédé & transporté au Sieur Antoine Leseure, la part qu'il a plû à Monseigneur l'Evêque de me donner au Privilége cy-dessus A Toul, ce 29. Juin 1748.

Louis Rolin, l'Aîné.

Errata Partis Autumnalis.

Pag.	Col.	Lin.	Erratum.	Correctio.
188	1	8	pro bata.	probata.
224	2	34	percrebuíſſet.	percrebruíſſet.
240	1	40	Ammonitæ.	Ammanitæ.
246	2	44	ſaucitis morbo.	ſauciátis morbo.
270	2	35	pediis.	pedis.
329	2	32	non faíent.	non fácient.
333	1	7	in domo.	in domum.
335	1	18	cùm fuerit.	cùm fuerint.
368	2	22	Patre, & Dómino.	Patre noſtro, & Dómino.
387	1	43	egni ſui.	regni ſui.
ibid.	1	44	agnos-ens.	agnóſcens.
389	1	42	ſi is forma.	ſitis forma.
390	1	19	ſinu trix.	ſi nutrix.
424	2	44	ad ignoſcédum.	ad ignoſcéndum.
466	1	35	par-em.	partem.
469	1	3	venian.	véniant.
507	2	4	Conónicas.	Canónicas.
551	1	11	opu mnil.	opum nil.
569	2	41	*DeCommemoratione.*	*De Communi.*
576	2	7	Sabellaniórum.	Sabellianórum.
577	2	8	convéntus peragéndo.	convéntus peragéndos.
578	1	25	Ef hoc.	Et hoc.
583	2	6	relíctis téribus.	relíctis retibus.

